DISCIPLINA
POPULI DEI
IN NOVO TESTAMENTO

EX SCRIPTORIBUS SACRIS ET PROFANIS COLLECTA

A CLAUDIO FLEURY

PRESBYTERO ET PRIORE ARGENTOLIENSI GALLICE SCRIPTA

HERBIPOLI AB EXTINCTÆ SOCIETATIS JESU SACERDOTE LATINE REDDITA,

Et a Francisco Antonio Zaccaria ejuſdem Societatis Presbytero, olim Ateſtiorum Principum Bibliothecæ Præfecto, nunc Romæ Nobilium Eccleſiaſticorum, qui in Clementino-Piana Academia degunt, in ſacra hiſtoria Inſtitutore adnotationibus, ac variorum Diſſertationibus illuſtrata.

EDITIO SECUNDA

Ab eodem caſtigata, multiſque additamentis locupletata, & nunc primum in tres Tomos diſtributa.

TOMUS SECUNDUS.



VENETIIS MDCCLXXXII.

Typis Antonii Zatta

SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIO.

INDEX TOMI II.

DISSERTATIONES RELIQUÆ IN SECUNDAM OPERIS PARTEM.

PARS

PARS III.

Ecclesia Christi in libertatem asserta.

MANTISSA.

DE



DE DISCIPLINA POPULI DEI.

DISSERTATIONES RELIQUÆ IN SECUNDAM OPERIS PARTEM.

AD CAPUT VIII. SECUNDÆ PARTIS JOHANNIS LAMIN

De re vestiaria hominis Christiani primitivi

DISSERTATIO XVII.

IN habitum primitivorum Christianorum, adrepta heinc occasione, paullo curiosius, inquiramus; de iis scilicet vestibus breviter differentes, quæ in Novi Fœderis libris memorantur, & a Christianis gestari solitas, vel inde, vel ex aliis antiquis Scriptoribus, intelligimus. Non quod communi eos aliorum vestitu usos non existimemus, sed quod communem hunc habitum in homine Christiano contemplari nunc lubeat, dum jucundæ varietatis lenocinia & illecebras in nostro hoc commentario adsectamus.

Jam sine pileo interdum, & galero, aliove capitis tegmine, processisse perspeximus; quod quidem ex antiquis Christianorum picturis simulacrisque confirmatur, ut apud *Aringhium in Roma subterranea*, & *Bonarrotium* in *Vitris illustratis*, & *Lambecium Lib. II. Commentarior. Cap. VIII.* & *Lib. III.* vi-

videre est; atque id præcipue in usu apud Judæos fuisse observat *Calmetius Dissert. de re Vestiar. Hebræorum*. Ceterum, & si antiqua Ethnicorum hominum simulacra, imaginesque spectemus, capite nudo fere semper intueri ea licet, ut *Cimeliarchium Medicæum* invisentibus, & antiquarios libros consulentibus patet. Hæc tamen vere de viris dicta sunt; de feminis aliter sentiendum. Sed non statim existimandum nullo semper tegmine caput habuisse primos illos Christianos; nam *Joannem* Apostolum auream laminam in fronte gestasse, auctor est *Polycrates Ephesi* Episcopus apud *Eusebium Lib. V. Histor. Eccles. Cap. XXIV.* & ex eo *Hieronymus de Vir. Illustr.* & id quidem portavisse, tanquam Jesu Christi Pontificem; nam Pontifices Hebræorum primi illi Episcopi imitabantur; quod loco citato *Eusebius* subindicat; adstruitque ad annum XXXIV. *Baronius*. *Epiphanius Hæref. LXXVIII.* memoriæ prodidit, simile Sacerdoti *Jacobum* etiam Minorem Apostolum portavisse. Anonymus autem Auctor *Actor. D. Marci*, quum *Marcum* Evangelistam ex *Aaronis* genere deduxisset, eum *pontificalis apicis petasum* gestavisse, litterarum monumentis consignavit. *Actorum Apostolicorum Cap. XIX. Pauli* sudaria memorantur, quæ quidem *Theophylactus*, & *OEcumenius*, ad eum locum auctores sunt, capiti imponi solita fuisse; & *Theophylacti* verba producemus inferius, ubi de semicinthiis agendum fuerit. Et quidem *Lazari* facies sudario erat ligata, ut scribit *Joannes* Cap. XI. 44. Et Cap. XX. v. 7. ubi de linteaminibus, quibus Christus mortuus involutus fuerat, agitur: *Et sudarium quod fuerat super caput ejus*, καὶ τὸ σουδάριον τὸ ἐπὶ κεφαλῆς αὐτοῦ. *Gregorius Magnus* quoque *Lib. III. Epistol. XXX.* scribit *B. Pauli* sudarium Romæ cum reliquis ejus lipsanis extitisse. Hic obiter tantum observaverim *Nonnum Panopolitanum*, elegantem *Joannis* Evangelistæ paraphrasten, vocem σουδάριον ὃ ἦν ἐπὶ κεφαλῆς αὐτοῦ *Syram* existimasse, quum *Latinam* linguam penitus ignoraret; & de eo quædam scitu non indigna habere *Jo: Jac. Chiffletium Chrisis histor. de linteis Sepulcral. Christi Cap. V. & seqq.* ut nihil de *Svicero*, & *Calmetio* in suis lexicis dicam. Sed apud laudatum *Aringhium* Sanctorum Martyrum *Abdon* & *Sennen*, *Persarum*, imagines tanquam Phrygio galero tectæ conspiciuntur, quali etiam trium puerorum Hebræorum in ignem in *Perside* conjectorum simulacra apud eumdem ornata cernuntur: tali etiam capitis tegumento Magi Christum adorantes ibidem exhibentur. In veteribus quoque Christianorum picturis, & imaginibus circulum quemdam, seu discum caput, & crines ambientem videre est; sed quum ille non aliquod frontis velamen indicet, sed præcipui honoris insigne, & ornamentum, quo Deorum simulacra veteres Ethnici, & Imperatorum deinde statuas decorarunt, ut apud *Bonarrotium* opere superius laudato videre est, & quod quidem proprio vocabulo *Nimbus* adpellabatur; de eo nunc agere supersedemus. At quorumque operimento antiquissimi Christiani caput tegerent, certe necessitatem, non ornatum respiciebant, quare nec fertis, nec floribus Ethnicorum more, redimiti, aut aliter ornati procedebant; quod *Q. Septimius Tertullianus* toto *de Corona Militis* volumine insinuat, ubi & generalem consuetudinem adstruit his verbis: *Omnes ita observant a catechumenis usque ad Confessores, & Martyres, vel negatores*. Et diserte quoque docet *Clemens Alexandrinus Lib. II. Pædagog. Cap. VIII.* ubi etiam quatenus, & quomodo Christiani homines unguentis, & floribus uti debeant, sapienter ostendit: quamquam eos, qui baptizati fuerant, fertis ornari solitos fuisse, docet ex vetustis auctoribus *Jo: Bapt. Casalius de Veter. Christian. Ritibus Part. II. Cap. V.* At non tantum ullo tegmine, aut ornatu capitis, antiquæ Christianorum imagines prostant, ut plurimum, verum etiam attonsis brevibusque capillis; quod quidem non Christianorum peculiare, sed Ethnicorum etiam virorum commune fuisse, vetusta, quæ supersunt, simulacra manifestissime comprobant, & consulendus est super hoc *Salmasius* ad *Tertullianum de Pallio*. Et quidem Apostolus *Paulus Corinthiis* scribens, virum detecto ac nudo capite laudaverat, & quadam veluti naturæ lege tonderi debere demonstrarat, ut ejus quidem verba, quæ producentur inferius, aperte significant. Hinc *Tertullianus Lib. De Velandis Virginibus* scribit: *Horum certe omnium contraria efficiunt, ne vir caput velet: scilicet quia non sit naturaliter consequutus ambitionem capillorum, quia radi, sive tonderi non sit turpe illi*. Capitis tamen tonsura ea fuis-

fuisse videtur, ut crines non ad cutem rasi ac resecti, sed decurtati tantum, & attonsi essent, ut quidem vetusta simulacra præseferunt; & *Actor. Cap. XVIII. Lucas* tradit, seu *Paulum*, seu *Aquilam* (nam ambigua lectio est) in Cenchris se totondisse, & quidem ex voto, more *Nazaræorum*, quod forte ex morticinio, ut *Cajetanus* putat, pollutus fuisset: quamquam tunc capilli ex Nazaræorum instituto crescere potuissent; de quo consulatur *Tillemontius* in *Paulo Art. XXVI.* Ceterum *Paulum* Apostolum non brevibus tantum crinibus, sed etiam recalvastrum fuisse docet *Philopatridos* Auctor supra laudatus, sic enim illum describit: ἡνίκα δέ μοι Γαλιλαῖος ἐνέτυχεν ἀναφαλαντίας, ἐπίῤῥινος, ἐς τρίτον ἀεροβατήσας. *Quando autem me Galilæus ille convenit, recalvaster, naso aquilo, qui in tertium usque Cælum per aerem ingressus est.* Ex hoc ignoti illius Auctoris testimonio liquido exstat, minus vere Apostolum in vetusta quadam ærea pulcherrimaque *Gazæ Medicæ* lucerna, quæ navem, *Petro* gubernaculo in puppi moderante, *Paulo* vero in prora prædicante, mysticam refert, capillis etiam in fronte crispantibus repræsentari, licet brevibus illis, & per ambitum concinne attonsis; minus etiam vere crinibus similibus in antiquis vitris apud *Bonarrotium* exhiberi, nisi quod *Tab. X.* & *XVI.* etiam calvus depingitur. Itaque Christiani, ut plurimum antiquitus tonsi, quod luculentius eminet ex *Cap. XI. v. 14. Epistolæ I. ad Corinthios*, ubi *Paulus* ita scribit: *Nec ipsa natura docet vos, quod vir quidem si comam nutriat, ignominia est illi. Mulier vero si comam nutriat, gloria est illi; quoniam capilli pro velamine ei dati sunt.* Et paullo ante dixerat: *Omnis mulier orans, aut prophetans, non velato capite deturpat caput suum: unum enim est ac si decalvetur. Nam si non velatur mulier tondeatur. Si vero turpe est mulieri tonderi, vel decalvari, velet caput suum.* Hinc *Actor. Cap. XXI.* quibusdam ut capita radant injungitur; & hinc non mirum, si *Prudentius Hymno in Cyprianum* indicat, Sanctum hunc Martyrem, statim ac Christianus effectus est, caput totondisse, promissamque decurtasse cæsariem:

> *Destua Cæsaries compescitur ad breves capillos.*

Hinc irrisor ille, Dialogi, qui *Philopatris* inscribitur, Auctor, Christianum quemdam describit κεκαρμένον τὴν κόμην, *attonsa coma*, & huc forte adludens alibi Christianos κεκαρμένους ταῖς γνώμαις, καὶ διανοίᾳ *detonsos mente, & sententiis* adpellat. Auctor autem *Constitutionum* Lib. I. Cap. III. τὴν τρίχα τῆς κόμης *comæ capillum* nequis nutriat jubet. Sed rem magis in propatulo collocat laudatus *Prudentius Hymno in Hemitherium & Chelidonium*, ubi ait ignorari, an longa custodia detenti, vinclisque & catenis obligati, *longum capillum paverint*, hoc est, comam alias brevem, & crebro attonsam, quum aliter fieri non posset, aluerint.

> *Hoc tamen solum vetusta subtrahunt silentia*
> *Jugibus longum catenis an capillum paverint.*
> *Quo viros dolore tortor, quave pœna ornaverit.*

Nec obstat quod idem *Prudentius Agone Hyppolyti* Christianos crinitos vocet.

> *Carcereo crinita situ stare agmina contra*
> *Jusserat, horrendis excrucianda modis.*

Nam signanter crinita dixit, quod carceris custodia cohibiti manibusque revinctis præpediti, se de more tondere non potuissent. Hinc *Hieronymus* ad *Eustochium*, De custodia virginitatis, viros improbat, *quibus feminei contra Apostolum crines, hircorum barba &c.* Quod si testes non adeo antiquos producere lubet, certe apud P. *Lambecium Lib. II. Comment. de Biblioth. Cæsar. Cap. VII.* pictura quædam Evangelistarum ex vetusto codice exhibetur, in qua *Lucas* tonsura in coronæ speciem efformata cæsariem habet circumcisam, quali fere Franciscani, & Dominicani Monachi utuntur. Sed licet illa omnia, quæ hactenus disseruimus, aut certa, aut saltem probabilia videantur, nihilo tamen minus universas fere Jesu Christi imagines capillo oblongo, & in humeros defluente, cernere est, cum apud *Aringhium*, tum in nummo æreo Christiano, quem eruditis Commentariis Eques *Victorius* nuper illustravit. Apud *Bonarrotium Tab. IX. Fig. I.* Christus cernitur coma quidem non admodum

prolixa, sed duobus hinc inde concinnis attorta, uti etiam occurrit in Vitro apud *Aringhium* laudatum *Lib. IV. Cap. L.* Et Christum quidem crispos concinnatosque capillos habuisse tradunt *Theodorus Lector*, *Damascenus*, *Theophanes*, & *Suidas in* ἀνδ, ut apud *Cangium* Diss. de inf. ævi Numiss. n. XXVIII. videre est. Ceterum brevibus etiam attonsisque capillis Christus occurrit in vetustis imaginibus apud *Bonarrotium* sæpe memoratum. Sed & *Jacobum* Minorem Apostolum, *Hegesippus* apud *Eusebium*, & *Hieronymum*; & *Joannem* Evangelistam numquam capillos rotondisse, scribit *Epiphanius* Hæres. XXX. Cap. XXIV. Attamen dubium non est, quin Christianorum plerique capillos saltem circumciderent, ut vidimus; barbam vero nutrirent, de qua jam agendum. Et profecto veteres prope omnes Christianorum picturæ Christum, & Apostolos barbatos spectantium oculis obferunt; & quin tunc temporis in Oriente, & in *Græcia* barbam alere in usu esset, non video cur ambigendum sit; licet apud *Romanos* serius id inductum fuerit, *Hadriani Cæsaris* ætate videlicet, ut ex antiquis numismatis constat. *Tertullianus* autem *de cultu feminarum*, dum viros barbam acrius cædentes, & intervellentes, formamque excolentes, damnat, contrarium usum probare maxime videtur. *Siquidem & viris propter feminas*, inquit, *& feminis propter viros, vitio naturæ ingenita est placendi voluntas. Propiasque præstigias formæ, & hic sexus sibi adgnoscit, barbam acrius cædere, intervellere, circumdare capillum, disponere, etiam colorare canitiem, primam quamque subducere totius corporis lanuginem, pigmento quoque muliebri distinguere, cetera pulveris cujusdam asperitudine lævigare, tum speculum omni occasione consulere, anxie inspicere; quum tamen cognito Deo, adempta placendi voluntate, per luxuriæ vacationem, omnia illa ut otiosa, ut hostilia pudicitiæ, recusantur. Auctor Constitutionum Lib. I. Cap. III.* Χρὴ δὲ οὐδὲ γενείου τρίχα διαφθείρειν, καὶ τὴν μορφὴν τοῦ ἀνθρώπου παρὰ φύσιν ἐξαλλάττειν. *Oportet præterea non barbæ pilum corrumpere, nec formam hominis contra naturam mutare.* Sed, ut quæ barbæ apud antiquos Christianos cura esset, & capillorum etiam, nam utraque adfinia, distinctius intelligatur, verba eruditissimi *Clementis* huc transcribenda sunt ex lib. III. Pædagog. cap. XI. quæ ita habent: Τριχῶν δὲ πέρι, ταύτῃ δοκεῖ. Ψιλὴ μὲν ἡ τῶν ἀνδρῶν κεφαλή, πλὴν εἰ μὴ οὔλας ἔχοι τὰς τρίχας. Λάσιον δὲ τὸ γένειον· αἱ δὲ συνεστραμμέναι τῶν τριχῶν, ἀπὸ τῆς κεφαλῆς μὴ καθιέσθωσαν ἄγαν, εἰς πλοκάμους κατολισθαίνουσαι γυναικείους· ἀπόχρη γὰρ τὸ γένειον τοῖς ἀνδράσιν. Εἰ δὲ τις καὶ κείραιτό τι τοῦ γενείου, οὐ μέντοι παντελῶς ψιλωτέον αὐτό· αἰσχρὸν γὰρ τὸ θέαμα· καὶ κατέγνωσται ἡ τοῦ γενείου ἐν χρῷ κουρὰ παρατίλσει καὶ λειότητι γειτνιῶσα... ἐπεὶ δὲ οὐχ ὡραϊσμοῦ χάριν ἡ κουρὰ παραληπτέα, διὰ περίστασιν δέ· τὰς μὲν τῆς κεφαλῆς τρίχας, ὡς μὴ αὐξόμεναι ταῖς ὄψεσιν ἐμποδίζοιεν καταβαίνουσαι· καὶ ἴσως τὰς ἐπὶ τῷ μυστακίῳ μολυνομένας κατὰ τὴν τροφὴν περιαιρετέον, οὐ ξυρῷ, ἀγεννὲς γάρ, ἀλλὰ ταῖς δυσὶν μαχαίραις ταῖς κουρικαῖς· τὰς δὲ τοῦ γενείου, μηδέν τι παραλυπούσας, οὐκ ἐνοχλητέον· σεμνότητα μὲν τοῦ προσώπου καὶ κατάπληξιν γεννητικὴν ἐμποιούσας. *De pilis autem ita videtur. Virorum quidem caput ne sit hirsutum, nisi forte pilos crispos habeat, barba autem hirsuta. Intorti autem capilli, ne a capite nimium demittantur, in comam muliebrem dilabentes: viris enim barba sufficit. Quod si quis etiam barbam nonnihil tondeat, ea tamen non est omnino denudanda, est enim turpe spectaculum: barbæque ad cutem usque tonsura non videtur multum abesse avulsione, & levore . . . Quoniam autem non decoris gratia tonsura, sed propter alias accipitur circumstantias, pili autem capitis ut succrescant, & descendentes visum impediant, & forte qui in superiori labri parte inter comedendum polluuntur, tondendi sunt non novacula, est enim illiberale, sed duabus tonsorum forficibus. Barbæ autem pili, qui nihil molestiæ adferunt, non sunt vexandi, ut qui vultui gravitatem adferant, & quemdam paternum terrorem incutiant.* Jam vero aliquid de capitis muliebris cultu delibandum. Non enim de viris tantum agere nobis propositum est, sed quatenus præfixa brevitas patitur de muliebribus etiam indumentis, quædam obiter differere.

Feminas obnupto capite processisse, saltem dum orarent, aut prophetarent ex Apostoli præcepto ad Corinthios primum scribentis colligere est. Nam *Cap. XI.* ita infit: *Omnis autem mulier orans, aut prophetans, non velato capite, deturpat caput suum; unum enim est, ac si decalvetur. Nam si non velatur mulier, tondeatur. Si vero turpe est mulieri tonderi, aut decalvari, velet caput suum... Ideo debet mulier potestatem habere supra caput propter Angelos.* Et quidem Christianas olim feminas intonsas fuisse, elucet etiam ex *Clemente* Alexandrino, qui dum capitis cultum

tum mulieribus præscribit, comas eas aluisse perspicue indicat, *Lib. III. Pædag. cap. XI.* Ταῖς γυναιξὶ δὲ ἀπόχρη μαλάσσειν τὰς τρίχας, καὶ ἀναδήσασθαι τὴν κόμην ἁπλῶς περόνῃ τινὶ λιτῇ παρὰ τὸν αὐχένα, ἀφελεῖ θεραπείᾳ συναυξούσαις εἰς κάλλος γνήσιον τὰς σώφρονας κόμας. Καὶ γὰρ αἱ περιπλοκαὶ τῶν τριχῶν αἱ ἑταιρικαὶ, καὶ αἱ τῶν σειρῶν ἀναδέσεις πρὸς τὸ εὐδειχθεῖς αὐτὰς δεικνύναι κόπτουσι τὰς τρίχας ἀποτίλλουσαι ταῖς πανούργοις ἐμπλοκαῖς .... Ἀλλοτρίων δὲ καὶ προσθέσεις τριχῶν, πάνυ ἐκβλητέον, ὀθνείας τε ἐπισκευάζεσθαι τῇ κεφαλῇ τὰς κόμας, ἀθεώτατον, νεκροῖς ἐνδιδυσκούσαις πλοκάμοις τὸ κρανίον. *Mulieribus autem crines mollire sufficit, & tenui aliqua fibula comam adligare frugaliter, simplici cultura pudicas comas in veram, & germanam pulchritudinem alentibus. Meretricii enim pilorum plexus, & catenarum nexus, cum eas deformes reddunt, tam etiam pilos discerpunt artificiosis insertis vinculis evellentes . . . Alienorum autem capillorum adpositiones omnino rejiciendæ sunt, & externas comas capiti adhibere, est maxime impium, quæ mortuis pilis cranium induunt.* Idem ex *Tertulliano de cultu feminarum* intelligitur: *Quid enim*, inquit, *tanta ornandi capitis onerositas salutem subministrat? Quid crinibus vestris quiescere non licet, modo substrictis, modo relaxatis, modo suscitatis, modo elisis? Aliæ gestiunt in cincinnis coercere: aliæ ut vagi, & volucres elabuntur non bona simplicitate. Adfigitis præterea nescio quas enormitates sutilium, atque textilium capillamentorum, nunc in galeri modum quasi vaginam capitis, & operculum verticis, nunc in cervicem retro suggestum.* Lubenter hæc *Clementis* & *Tertulliani* loca protuli, nam præter propositum, & illud ostendunt, quæ ornatus capitis vanitas jam inter Christianas feminas serperet. Certum alere comas feminis apud omnes æque gentes in usu fuit, ut ex antiqua historia, & vetustis simulacris intelligere est. Sed apud Judæos præcipue; quare legimus in Evangelio mulierem, quum Christi pedes lacrymis lavisset, absterisse capillis, *Luca* referente *Cap. 8. v. 38.* Caput quidem Christianas feminas velavisse, jam ex adlatis Apostoli verbis percipiatur: sed dum orarent, aut prophetarent; verum usu, & Patrum expositione, ut apud *Chrysostomum* ad hunc locum videre est, factum esse videtur, ut virgines & mulieres Christianæ velatæ semper incederent. Hinc illud *Tertulliani de cultu feminarum: Deus vos velari jubet: credo ne quarumdam capita videantur.*

Clemens autem *Alexandrinus Lib. III. Pædagog. Cap. XI.* jubet: πλεῖον τούτου ἐχέτω ἡ γυνή· κεκαλύφθω τὰ πάντα πλὴν εἰ μὴ οἴκοι τύχοι: *Hoc amplius habeat mulier; semper tecta sit, nisi quum domi fuerit.* Virgines vero etiam velandas ex eodem Apostoli loco laudatus *Tertullianus* comprobat; & ex *Corinthiorum* ipsorum consuetudine, *Libro de Virginibus velandis. Hodie denique*, inquit, *virgines suas Corinthii velant.* Et generale etiam antiquumque Ecclesiarum Apostolicarum institutum adducit: *Sed eas ego Ecclesias propesui, quas & ipsi Apostoli, vel Apostolici viri condiderunt, & puto autem quosdam. Habent igitur & illæ eamdem consuetudinis auctoritatem, tempora, & antecessores opponunt magis quam istæ.* Quatenus autem velarentur indicat idem *Tertullianus*, dum laudato statim libro abusum quarumdam carpit, & inquit: *Mitris & lanis quædam non velant caput, sed conligant a fronte quidem protectæ; qua proprie autem caput est, nudæ. Aliæ modice linteolis, credo ne caput premant, nec ad aures usque demissis, cerebro tenus operiuntur. Misereor si tam infirmo auditu sunt, ut pertegmen audire non possint. Sciant quia totum caput mulier est. Limites & fines ejus eo usque porriguntur unde incipit vestis. Quantum resoluti crines occupare possunt, tanta est velaminis regio, ut cervices quoque ambiantur.* Jam hæc omnia etiam ex antiquis Christianorum imaginibus confirmantur, inter quas feminæ, aut sparsis promissisque crinibus, aut colligatis, & velamine tectæ, vario tamen modo, frequenter occurrunt, & inter orandum præcipue, ut apud *Aringhium* videre est *pag. 475. 531. 537. 549.* quamquam mulier capite nudo, sed crinibus diffusis, orans offenditur pag. 461. Quædam vero de virginibus, & sponsis observanda; & eas quidem non velo sæpe, sed mitra, aut mitella tantum caput ornavisse dicendum est ex *Tertulliano*, *De Velandis Virg.* & ex antiquis picturis apud *Bonarrotium Tab. XVIII. fig. II. & Tab. XXI. fig. I.* Christianas item sponsas primis illis temporibus *Flammeum* non usurpasse, utpote vestem Ethnicorum superstitione profanam, ex antiqua nuptiarum pictura apud laudatum *Bonarrotium Tab. XXI. fig. III.* intelligere datur: quod tamen velum adhibere in nuptiis contrahendis insequentibus temporibus

ribus in usu fuit, ut ex *Ambrosio Exhortat. ad Virg. Cap. VI.* & *Epist. XIX.* ex *Epistola Siricii ad Ecclesiam Mediolanensem adversus errores Joviniani*, ex *Epistola Nicolai I. ad consultationes Bulgarorum cap. III.* ex *Isidoro de Divin. Offic. cap. XIX.* percipimus. In memorata tamen *figura III. Tab. XXXI.* sponsa, vestibus pretiosis ornata est, ut quidem communis consuetudo ferebat, quod tamen minus probat *D. Paulinus in Juliani Epithalamio*. Non tamen inaures sponsa habet, non monilia, ut pag. 154. *Bonarrotius* observat, quum tamen exploratæ fidei sit Christianas feminas interdum ea gestavisse, dum hunc luxum improbant Patres, *Clemens Lib. III. Pædag. cap. XI. Tertullianus de cultu feminarum*, *Cyprianus de habitu Virginum*. Adscititia quoque capillamenta usurpabant, ut ex laudatis Patribus eminet, & ornamenta quoque alia, quorum abusum, quum nec illi, nec ipse probem, feminæ primitivæ Christianæ facile abjudicaverim. Sed quacumque modestia olim incederent feminæ Christianæ, tamen dubitandum non videtur, secundo & tertio sæculo, luxum & superfluum capitis ornatum, vestiumque pretiosarum usum apud eas invaluisse, si expendantur ea, quæ declamat *Tertullianus de habitu muliebri*, & *de cultu feminarum*, & *de Virginibus velandis; atque insuper Clemens Alexandrinus Lib. III. Pædagogi*.

Jam de aliis vestibus verba faciamus. Christum pallio, & tunica, indutum fuisse, ex Evangelistarum commentariis elucet: nam *Joannis Cap. XIX. vers.* 33. ita scribitur: οἱ οὖν στρατιῶται ὅτε ἐσταύρωσαν τὸν Ἰησοῦν, ἔλαβον τὰ ἱμάτια αὐτοῦ καὶ ἐποίησαν τέσσαρα μέρη, ἑκάστῳ στρατιώτῃ μέρος, καὶ τὸν χιτῶνα. *Igitur milites, quum crucifixissent, Jesum, acceperunt vestimenta ejus, & fecerunt quatuor partes, unicuique militi partem, & tunicam.* Ubi observat *Salmasius* τὰ ἱμάτια posuisse Joannem pro τὸ ἱμάτιον ex Græce loquentium usu, & ἱμάτιον heic pallium significare; quod confirmari potest ex iis, quæ adducit eruditus *Suicerus* in suo *Rerum Ecclesiasticarum Thesauro* voce ἱμάτιον. Quare *Eusebius lib. VII. Histor. Eccles. cap. XVIII.* Servatoris statuam, quæ *Paneade* prostabat, διπλοΐδα indutam fuisse ait, hoc est, pallium duplicatum, quale cernitur apud *Bonarrotium ad vitra Tab. V. Fig. III.* ut explicat etiam laudatus *Salmasius* dum sub *Fr. Franci* nomine ab *Dionys. Petavii* objectionibus se tueri conatur. Igitur duas Christi vestes considerabimus, tunicam, & pallium. Christi tunica est interior vestis, ut ex *Theophylacto ad Matthæum cap. V.* Intelligere est, ubi ait: χιτῶν κυρίως τὸ παρ' ἡμῖν λεγόμενον ὑποκάμισον. *Tunica proprie dicitur, quam subuculam, vel indusium vocamus. Erat autem inconsutilis* ἄρραφος auctore Joanne loco laudato: ἦν δὲ ὁ χιτὼν ἄρραφος ἐκ τῶν ἄνωθεν ὑφαντὸς δι' ὅλου. *Erat vero tunica inconsutilis desuper contexta per totum*. Hoc est, quum duo præcipue essent tunicarum genera, unum earum, quæ χιτοὶ dicebantur, & quum apertæ essent, fibulis, aut corrigiis conjungebantur; alterum earum, quæ nullis ejusmodi vinculis connecterentur, ut nostræ subuculæ sunt, quum vel Textoris, vel Sartoris ope, jam undique clausæ, & connexæ sint; hujus secundi generis erat Christi tunica. Ἄρραφος autem, idest *inconsutilis* dicta est, non quod suturas nullas haberet, sed quod scissa, & aperta non esset, nec iis fibulis necteretur, quæ ῥαφαὶ dicebantur, ut late ostendit doctissimus *Suicerus* in voce χιτών. Hujusmodi tunicis etiam Apostoli usi sunt, ut ex Christi præcepto intelligimus jubentis eis unam tantum tunicam gestare. *Matth. cap. X. vers.* 10. μὴ πήραν εἰς ὁδὸν μηδὲ δύο χιτῶνας, μηδὲ ὑποδήματα, μηδὲ ῥάβδον. Et *Marci VI. vers.* 9. καὶ μὴ ἐνδύσασθαι δύο χιτῶνας. Et ita quidem Apostolos se vestire consuevisse, indicant etiam verba Christi *Lucæ cap. XXII. vers.* 36. dicentis Apostolis suis: *Sed nunc qui habet sacculum, tollat similiter & peram: & qui non habet, vendat tunicam suam, & emat gladium*. *Joannis* autem *Cap. XXI. vers.* 7. scribitur. *Simon Petrus, quum audisset, quia Dominus est, tunica succinxit se, (erat enim nudus) & misit se in mare*. Sed quomodo locus hic explicandus sit, inferius docebimus. In *Actis* vero *Apostolorum Cap. XII. v.* 8. ubi de *Petro* vincto agitur, legitur: εἶπέ τε ὁ ἄγγελος πρὸς αὐτόν, περίζωσαι καὶ ὑπόδησαι τὰ σανδάλιά σου· ἐποίησε δὲ οὕτω· καὶ λέγει αὐτῷ, περιβαλοῦ τὸ ἱμάτιόν σου καὶ ἀκολούθει μοι. Ubi evidenter Tunica indicatur illo verbo περίζωσαι; nam tunica succingebatur, ut ex loco *Joannis* statim producto perspicue elucet. Quod si apocryphorum scriptorum auctoritate fungi fas est, *Pseudo-Abdias* Lib. V. §. XXI. *Joannem* Apostolum tunica usum fuisse docet, & *Bartholomæum*, colobio, quod est tunica sine manicis aucto-

ribus

ribus *Alb. Rubenio*, *ff. Valesio*, & *C. Cangio*, ut ipsius *Aldiæ lib. VII.* videre est. Hinc ad Apostolorum imitationem Christiani quoque alii, seu potius consuetudinem servantes, antiquis illis temporibus tunica induebantur. Si *Stephano* III. Papæ in Epistola ad *Hilduinum* Abbatem credendum est, *Dionysius* Areopagita, colobio indutus, ei καθ' ὄναρ visus est. Et quidem Monachi veteres, qui antiquum & primitivum Christianorum habitum retinuisse videri possunt, tunica, vel colobio utebantur. *Rufinus* de Monachis *Tabenneriis*, ingentis abstinentiæ viros vocat, *quibus usus est indui colobiis, quasi saccis lineis, & pelle confecta*. *Hieronymus* in vita *Hilarionis*. *Igitur octogesimo ætatis anno, quum absens esset Hesuschius, quasi testamenti vice, brevem manu propria scripsit epistolam, omnes divitias suas ei derelinquens, Evangelium scilicet, & tunicam saccineam, cucullam, & palliolum*. Idem saccum alio loco adpellat: *Igitur sacco tantum membra coopertus, & pelliceum habens ependyten, quem illi beatus* Antonius *proficiscenti dederat, sagumque rusticum*.

Tunicæ pallium a pluribus superponebatur, quo Christus usus est, ut superius auctoritate Evangelistæ *Joannis* adstruximus. Eodem etiam Apostoli induti sunt, quare Angelus *Actor. cap. XII. vers. VIII.* ait *Petro*: περιβαλοῦ τὸ ἱμάτιόν σου, καὶ ἀκολούθει μοι. Ubi τοῦ περιβαλοῦ τὸ ἱμάτιον pallium manifeste denotatur, quod & περιβόλαιον propterea proprie adpellabatur. *Pseudo-Abdias Joanni* Apostolo, *Simoni* & *Judæ* & *Bartholomæo* pariter Apostolis pallium tribuit, ut *Lib. V. Lib. VI. Lib. VIII.* videre est. Et pallio quidem uti Apostolos consuevisse late demonstraverunt *Grotius* ad Acta XII. 8. & *Salmasius* ad *Tertullianum de Pallio*. Hinc Christus quum eos aliosque in Monte adloqueretur apud *Matthæum Cap. V.* 40. de vestibus agens nonnisi χιτῶνα tunicam & ἱμάτιον, hoc est pallium, commemorat. *Stephanus III.* Pontifex Maximus in laudata superius Epistola ad *Hilduinum* Abbatem, *Dionysium* Areopagitam pallio amictum inducit; & certe primitivorum Christianorum plerosque pallium gestare solitos fuisse, tam verum est, quam quod maxime; & sufficit Librum *De Pallio*, *Quincti Septimi Florentis* evolvere. Hinc ab Auctore *Philopatridas* Christianus indicatur τρίβωνιον ἔχων *pallium habens*. Sed B. *Rhenanum* in *Librum Tertulliani de Pallio* differentem audiamus: *Quoniam*, inquit, *Græcorum gestamen erat pallium, ut toga Romanorum, & Christiani Frugalitatis gratia pallio vestiebantur tamquam veste simpliciore & philosophica, factum est, ut vulgari convicio, qui nostris sacris initiati forent* Græci *vocarentur, & ab injectione pallii, quod tunicæ superimponebant, etiam* Imponentes, *ut ita dixerim, sive* Impositores. *Nam pallium, ut* Tertullianus *inquit, interulæ superest, cujus tota molitio operire solutim, idest uno circumictu*. *Quoties ergo Christianus aliquis prodiisset, statim illud de trivio audiebat* ὁ γραικὸς ἐπιθέτης. *Id simpliciter accipiebat indoctum vulgus ob pallii superimpositionem; ceterum litterati figuratum morsum intelligebant in vocabulo* ἐπιθέτης, *in quo fieret ad impostoris nomen apud Latinos adlusio, hoc est, deceptoris, & hominis sanctitatem mentientis, atque hoc est, quod* Hieronymus *ad Furiam scribens*, Ubicumque, *inquit*, viderint Christianum, statim illud de trivio ὁ γραικὸς ἐπιθέτης, vocant impostorem, detrahunt. *Quamquam ut* Erasmus *noster illic adnotavit, illa duo verba* vocant impostorem *non sunt in exemplaribus vetustioribus, indubie pro glossa primum adscripta in margine, deinde recepta in contextum*. *Sensum scommatis idem* Hieronymus *expressit in Epistola ad* Marcellam *de Christianis agens, qui propter vestitum viliorem a gentilibus, nonnumquam etiam a Pseudo-Christianis riderentur*. Nos, *inquit*, quia serica veste non utimur monachi judicamur; quia ebrii non sumus, nec cachinno ora dissolvimus, continentes vocamur & tristes. Si tunica non canduerit, statim illud e trivio, Impostor & Græcus est. *Ubi vides ad vestem pertinere dicterium, qua Philosophi Græcorum peculiariter uterentur, & post illos Christiani, quum inquit*, Si tunica non canduerit. *Porro ob suam & utentium eo simplicitatem pallium in contemtum venit, ut fieret dicterio locus apud Carthaginienses, quemadmodum ex hoc libello adparet*. A toga ad pallium, *de mutatione vitæ splendidioris in frugalem, & magnarum opum in paupertatem, simile illi:* Ab equis ad asinas. *Inde natum, quod summæ apud Gentiles auctoritatis viro relicto paganismo Christianæ religioni frequenter nomen dantes pallio vestirentur*. Atque ita quidem ille. Sed

ab

ab hominibus doctis disceptatum est an Christiani omnes pallio philosophico passim uterentur, vel quorumdam tantum austeriorem disciplinam profitentium peculiare vestimentum esset. Illud quibusdam adrisit & *Dionys. Petavio* in primis sub adscititio *Antonii Cercoetii* nomine latitanti; hoc vero *Cl. Salmasio*, qui ita in suo *Commentario ad Librum Tertulliani de Pallio* inter cetera scriptum reliquit. *Sciendum est pallium illud, quod quidam ex Christianis tunc gessere, & propter quod* γραικοὶ ἐπιθέται *per convicium vulgo dicebantur, non fuisse Græcorum commune pallium, sed proprium ac peculiare philosophorum*, τρίβων & τριβώνιον *vocabatur, quæ vox vilem usque detritam vestem sonat; unde &* τριβωνοφόροι *philosophi dicti. Quemadmodum autem Græci generis haud alii ferme* τρίβωνα *sive pallium soliti erant usurpare, quam qui philosophos profiterentur; sic inter Christianos habitum illum philosophicum, hoc est pallium nemo tunc temporis vere usurpavit, nisi qui Christianum vere philosophum agere vellet. Nam qui disciplinæ Christianæ diligentissimos & exactissimos cultores præstare volebat in omnibus, hi Christiani philosophi erant, & dicebantur. Tales Tertulliani ætate Episcopi, Presbyterique, & omnes Clerici, ac postea Monachi*. Hactenus ille, qui isthuc ipsum non spernendis rationibus & argumentis confirmare conatur. Et profecto si *Aristides* & *Justinus* Martyr, ut superius vidimus, philosophicum habitum post Christianæ sapientiæ professionem retinuisse signanter dicti sunt, quorsum isthæc, si pallium philosophicum omnium Christianorum commune erat? Insuper tradit idem *Justinus Dialogo cum Tryphone*, se vestis indicio a *Tryphone* pro philosopho cognitum; quod difficile fuisset, si Christiani omnes pallio utebantur huiusmodi. Sed pallium gestavisse primævos Christianos probabiliter quoque adstruitur ex eo, quod Monachi, quos antiquæ vestis modum retinuisse mature observavimus, pallio super induebantur, ut ex *Hieronymi* loco in *Vita Hilarionis* superius adlato constat, & luculentius exiliet ex Scriptorum testimoniis, quæ inferius proferenda sunt. Pallii autem forma exhibetur ab erudito *Oct. Ferrario Part. II. de re vestiar. lib. IV. & Analect. De re Vestiar. Tab. XXIX.* eamque discere est etiam ex duobus Philosophorum marmoreis simulacris, quod unum in Museo *Gaddiorum*, alterum in ædibus *Nicoliniorum*, *Florentiæ* adservatur; quæque depingi, & tabulis æneis incidi feci ad volumen II. Operum *Io. Meursii* a me producenda. Ceterum qui *Tertulliani* tempore præter Christianos pallium usurparent, ita idem *Tertullianus* docet libro *De Pallio*. *Viderit nunc Philosophia quid prosit. Nec enim sola mecum est. Habeo alias artes in publico utiles. De meo vestiuntur & primus informator litterarum, & primus adornator vocis, & primus numerorum arenarius, & grammaticus, & rhetor, & sophista, & medicus, & poeta, & qui musicam pulsat, & qui stellarem conjectat, & qui volaticam spectat.*

De tunicæ ac pallii materia, colore, ornamentis, & longitudine, aliquid etiam dicendum. Pallia igitur, tunicas, chlamides chlænas, & alias id genus vestes laneas fuisse ostendit *Ferrarius* laudatus *Part. II. De re Vestiar. lib. IV. cap. XI.* At *Hegesippus* apud *Eusebium Hist. Eccles. cap. XXIII.* (si tamen is ille est) *Jacobum Jerosolymorum* Episcopum linea tantum veste usum fuisse, lanicio autem abstinuisse, memoriæ prodit οὐδὲ γὰρ ἔριον ἐφόρει, ἀλλὰ σινδόνας. *Neque enim lanicio, sed linea tantum veste, utebatur. Epiphanius Hæres. XXX. Cap. XXIV.* idem de *Joanne* Evangelista litteris mandavit. Sic adolescens ille, de quo loquitur *Marcus cap. XIV.* erat περιβεβλημένος σινδόνα ἐπὶ γυμνοῦ, *amictus sindone super nudo*, hoc est, *linea veste*, *seu tunica*, quam cœnatoriam fuisse vestem censet *Baronius ad annum XXXIV. num. 39.* & de qua pluribus agit *Jo. Jacobus Chiffletius* in sua *Crisi Historica De Linteis sepulcral. Christi cap. V.* Sed passim sericis auratisque & pretiosis vestibus Christiani abstinebant. *Clemens lib. II. Pædagog. Cap. X.* Τὰς μεμωρημένας λεπτουργίας, καὶ τὰς ἐν ταῖς ὑφαῖς περιέργους πλοκὰς ἐκ ποδῶν μεθιστάντας, νῆμα χρυσοῦ, καὶ σηρὰς Ἰνδικὰς, καὶ τοὺς περιέργους βόμβυκας χαίρειν ἐῶντας. *Nimis subtiliter per summam stultitiam laborata opera, curiosaeque in texturis plicaturæ, longissime amandentur: auri fila, & Indicos seres, & operosas bombyces, valere jubentibus*. Tunicæ color albus. Hinc illud *Hieronymi*: *Si tunica non canduerit*. Et pluribus ostendit *Oct. Ferrarius* Par..... lib. III. *De re vest.* cap. XII. Hinc in *Actis SS. Perpetuæ* & *Felicitatis* legitur: *Pridie quam pugna-*

gnaremus, video in aromate huc venisse Pomponium *Diaconum ad ostium carceris & pulsare vehementer; & exivi ad eum & aperui ei, qui erat vestitus discinctam candidam*, ut locum corrigit eruditissimus *Ph. Bonarrotius ad Vitra antiqua*. Monachis tamen etiam pulla tunica in usu fuisse videtur. *Hieronymus* ad Rusticum Monachum: *Videas nonnullos accinctis renibus, pulla tunica, barba prolixa, a mulieribus non posse discedere, &c.* Idemque indicat *Epistola ad Salvinam*. Et quidem *Clemens Alexandrinus Libro III. Pædagogi* cap. XI. candidam vestem, ceu maxime Christianos decentem commendat: nam & Apostoli tunica alba utebantur, quum *Pseudo-Abdias* candidum colobium *Bartholomæo* tribuat: & candidissima tunica amictum *Dionysium* Areopagitam *Stephanus III.* in sua Epistola repræsentet. Sed num & Christus tunica alba utebatur? At quorsum tunc *Herodes*, ut illuderet, veste alba illum induisset? Observandum igitur *Lucam Cap.* XXIII. v. 11. non vestem albam dixisse, sed λαμπρὰν *splendidam*, quam *Syrus* Interpres coccineam dicit. Et quum *Jacobus cap. II. v. 2.* ἐσθῆτα λαμπρὰν opponat vesti sordidæ, nil aliud illo *Lucæ* loco significari credendum est, quam *Herodem* vestem Christo circumjecisse privata splendidiorem, licet utraque candida esset, joculare indicium adsectati regni. Quum vero generaliter *Clemens* candidum vestium colorem in Christianis hominibus adprobet, oportet ut in *Ægypto* pallio Christiani minime uterentur; quum satis compertum sit pulli coloris fuisse pallium philosophorum. *Basilius* Presbyter in *Nazianzenum*: τρίβωνες, περιβλήματά τινα, τῶν μὲν ῥητόρων ἐρυθροί τε καὶ φοινικοῖ, φαιοὶ δὲ τῶν φιλοσόφων. *Pallia, amictus quidam; rhetorum quidem rubra & purpurea, pulla vero Philosophorum*. Hoc item scriptum habetur in Lexico *Cyrilli*. Pallium etiam Monachorum & Ascetarum nigrum. *Synesius* Ep. CXLVI. ad *Joannem*, qui asceticum habitum sumserat: Καὶ φαιὸν τριβώνιον ἀμπέχεσθαί σέ φασι. *Et nigro pallio amiciri te dicunt*. Hinc de Monachis humilitatem adsectantibus & hypocritis *Hieronymus Epistola ad Eustochium de Custodia Virginitatis*. *Viros quoque fuge, quos videris catenatos: quibus feminei contra Apostolum crines, hircorum barba, nigrum pallium, & nudi patientia frigoris pedes*. Quamquam vero hæc ita habent, tamen exploratæ fidei est universa vestimenta Catechumenorum, qui lustrali aqua tingendi erant, candida fuisse, & ideo φωτοειδῆ ἱμάτια adpellabantur. *Pachymeres ad Dionys. Areopagitæ* Cap. II. de Eccles. Hierarchia, φωτοειδῆ ἱμάτια ὁ τελούμενος ἀμφιέννυται, διὰ τὸ ἀπαθὲς καὶ ἀῤῥύπωτον καὶ τὴν πρὸς τὸ ἓν φῶς σύννευσιν, καθ' ἣν ὁ ῥυπαρὸς βίος καὶ ἄκοσμος, καὶ ἀειδέστερος ὡσεὶ δυσειδής. *Candidis vestibus initiatus induitur, propter passionum ac sordium vacuitatem, & ad unum lumen inclinationem, per quam sordida & immunda informisque vita quasi disparuit*. Eorumdem vestem *Basilius Magnus Exhort. ad Baptism.* ἔνδυμα φωτινὸν *vestem splendidam* vocat, & in *Prato spirituali Joannis Moschi cap. CCVII.* νεοφωτιστικοῖς ἐνδύμασι dicuntur. *Nazianzeno* autem Orat. XL. ἐμφώτιος ἐσθὴς nuncupatur. Quare recens Baptizati λαμπροφοροῦντο dicebantur. *Jobius* apud *Photium* Cod. CCXXII. οἱ φωτιζόμενοι ἑπτὰ ἡμέρας λαμπροφοροῦσι. *Baptizati septem diebus candidati incedunt*. Sed fides ne habenda erit *Sisinnio Novatianorum Constantinopoli* Episcopo, qui candidis indumentis *Christum* usum fuisse opinabatur, ut apud *Socratem lib. VI. Hist. Eccles.* cap. XXII. videre est? Fides *Stephano* III. Papæ qui *Dionysium Areopagitam* pallio purpureo circumamicit? Certe *Clemens Alexandrinus* Lib. II. Pædagogi *cap.* X. vestium tincturas omnino improbat παραιτητέον δὲ τὰς ἐσθῆτος καὶ τὰς βαφάς. *Rejiciendæ quoque sunt vestimenti tincturæ*. Non me quidem latet in antiquis vitris Christi & Apostolorum imagines occurrere vestibus vario colore efflorescentibus indutas; sed eorum non est fortassis antiquitas tanta & auctoritas, ut vetustiorum apertissimis testimoniis præferendæ sint. Et *Phil.* quidem *Bonarrotius* observat non veritatem pictores in hoc sequutos esse, sed suæ ætatis morem; & propensioni ita Christum & Apostolos honorandi indulsisse. Hinc & ornatus alios vestium, & luxum, primitivos Christianos rejecisse credibile est. Vestis tamen Christi fimbria legitur in Evangelio Matthæi cap. IX. v. 20. ἥψατο τοῦ κρασπέδου τοῦ ἱματίου αὐτοῦ. *Et tetigit fimbriam vestimenti ejus*, hoc est *pallii*. *Theophylactus* ad hunc locum Κράσπεδον exponit τὸ ἄκρον τοῦ ἱματίου, *oram vestimenti extremam*. Sed, ut quænam hæ vestimentorum extremitates essent perspicue comprehendamus, sciendum est Deum *Deuteronom. cap.* XXII. *vers.* 11. ita præcepisse. *Funiculos in fim-*

briis facies per quatuor angulos pallii tui, quo operieris. Itaque pii *Iſraelitæ*, non luxu, ſed religione, pallii ſui angulos ornabant, funiculis contortis, ſeu filis contortis duplicatis, qualia videre eſt in his ornamentis, quæ *vernacule* dicimus *Nappe* & *Peneri*; tantum enim ſonat vox גדילים *ghedilim* loco *Deuteronomii* adlato. Hinc intelligitur alter *Matthæi* locus *Cap.* XXIII. *verſ.* 5. ubi de *Scribis* & *Phariſæis* agitur: μεγαλύνουσι τὰ κράσπεδα τῶν ἱματίων αὐτῶν. *Producunt fimbrias palliorum ſuorum*. Ad quem locum ita commentatur *Hieronymus*: *Juſſerat quoque aliud Moyſes, ut in quatuor angulis palliorum hyacinthinas fimbrias facerent, ad Iſraelis populum dignoſcendum: ut quomodo in corporibus circumciſio ſignum Judaicæ gentis daret, ita & veſtis haberet aliquam differentiam. Superſtitioſi magiſtri captantes auram popularem, atque ex mulierculis ſectantes lucra, faciebant grandes fimbrias, &c.* Super quo tamen loco conſulendus eſt idem *Hieronymus* etiam *Epiſtola ad Celantiam*, ſeu quicumque auctor eſt. *Theophylactus* ad eumdem locum eas violaceas aut coccineas fuiſſe ſcribit. Ubi autem hæ fimbriæ adligarentur, & qua forma eſſent, docet *Epiphanius Hæreſ.* XV. de Scribis agens. Φοίνικας γὰρ τινὰς ἐπὶ τὰ τέσσαρα πτερύγια τοῦ τρίβωνος ἕκαστος εἶχον διὰ παντὸς τοῦ σήμονος δεδεμένους. *Corymbos enim quoſdam ad quatuor alas pallii unuſquiſque habebat adligatos ex eodem ſtamine*. Pallium enim erat quadrangulare. *Pſeudo Abdias lib.* VIII. ita de *Bartholomæo* ſcribit: *Veſtitus colobio albo, clavato purpura. Induitur pallio albo, habente per ſingulos angulos ſingulas gemmas purpureas. Salmaſius* ad *Tertullianum de Pallio* huic *Abdiæ* loco hanc cenſuram ſubjungit: *Pallium utique quadrangulum habuit, ſed illa de gemmis ſingulis ad ſingulos pallii angulos, ac de purpura colobio intexta, de fabula plane attexta ſunt, & commentitium Scriptorem arguunt*. Idem judicium ferendum eſt de *Dionyſii Areopagitæ* colobio *candidiſſimo clavato, & pallio toto purpureo auro interſtellato, ut habet Stephanus* III. in *Epiſtola ad Hilduinum Abbatem*. Quamquam diſſimulandum non eſt in antiquis picturis *Chriſti*, & Apoſtolorum, tunicam clavis aut aureis, aut purpureis adſutis inſignem exhiberi, ut apud *Bonarrotium* ſæpe laudatum videre eſt; ſed quanta fuerit in hoc pictorum licentia jam animadvertimus, quum præſertim illæ imagines IV. & V. ſæculi ut plurimum ſint. At laudatus *Bonarrotius* quoad gemmas recte ſentire *Salmaſium* cenſet; non tamen quoad clavos, qui ſaltem, ſi minus purpurei, aureique, eſſent, rubri coloris tantum in plebei ordinis, & pauperioribus hominibus eſſe potuerunt. Aut etſi vere ex purpura conſtitiſſent, id vulgare, & cuiuſvis conditionis, ſervis, & id genus exceptis hominibus proprium, & non temere quidem opinatur. *Tabulis* inſuper X. & XI. apud laudatum *Bonarrotium* fibulæ quædam gemmatæ ante pectus Apoſtolorum *Petri* & *Pauli* occurrunt, de quibus etiam mox opportunius agemus. Et quidam antiqui Chriſtiani veſtium ſimplicitatem, vilitatem & illuviem ipſam ſectabantur. Hinc eſt τριβώνιον ἔχων πολύῤῥαπτον, *pallium habens, admodum lacerum*. Hinc illud apud *Hieronymum* ſupra commemoratum. *Si tunica non canduerit*. Hinc pallium pulli coloris, quod humilitatem præfert, & pauperiem. Nam color hic vulgi pauperioris, & deſpectioris erat, quare vulgus a *Plinio*, *pullatum hominum genus*, & a *Quinctiliano*, *pullatus circulus*, ac *pullata turba* vocatur. Quo forte reſpexit *Calpurnius*, quum dixit:

> *Venimus ad ſedes, ubi pulla ſordida veſte*
> *Inter femineas ſpectabat turba cathedras*

Et alibi eidem *pulla paupertas* dicitur:

> . . . . . . , *ſed mihi ſordes*
> *Pullaque paupertas, & adunco fibula morſu,*
> *Obſtiterunt*.

Quare *Hieronymus de vitando ſuſpecto contubernio*: *Veſtis ipſa vilis, & pulla*. Quam quidem ſordium, illuviei que rationem Monachi, vetuſtæ ſimplicitatis tenaciores, jugiter habuerunt, eaſque adfectarunt quodammodo: & quam ſemel tunicam induiſſent, numquam exuebant, priuſquam penitus tota uſu detrita, & ſciſſa eſſet, ac de altera habenda cogitandum foret. *Hieronymus Vita Hilarionis*. *Saccum, quo ſemel fuerat indutus, numquam lavans, & ſuperfluum eſſe dicens munditias in cilicio quærere: nec alteram tuni-*

nicam mutavit, *nisi prior penitus scissa esset*. *Rutilius* autem *Mumatianus* de solitario Christiano agens *in Itinerario*.

Infelix putat illuvie cælestia pasci;
Seque premit sævis sævior ipse Deis

Hinc laudatus *Hieronymus Rustico* Monacho ita præscribit: *Sordidæ vestes*, *candidæ mentis indicia sint*, *vilis tunica*, *contemptum sæculi probet*. Et epistola ad *Salvinam*: *Aliis nihil prodest vile palliolum*, *furva tunica*, *corporis illuvies*, *&c.* Nil mirum igitur, si gemmarum lapillorumque, auri argentique usum maxime improbent in feminis Christianis *Tertullianus* de *habitu muliebri*, & *de cultu feminarum*, & *Clemens lib.* II. *Pædag. cap.* XII. quod eo magis in maribus fecissent, si illa gestare ausi essent. In Actis nihilominus SS. *Perpetuæ* & *Felicitatis* legitur Diaconus tunicam albam indutus *multiplices* habuisse *calliculas*; qui ornatus quidam vestium erant ob pulcritudinem ita adpellati, & interdum ob rotunditatem τροχίδες dicti, observante P. *Lambecio Tom.* IV. *Biblioth. Cæsar. in Append.* Has autem *multiformes calliculas ex auro argentoque factas fuisse* aliquando ex laudatis Actis elucet. *Ph. Bonarotius Ad Vitra antiqua* in Figura II. Tab. V. & in figura II. Tab. VI. hujusmodi calliculas se deprehendisse arbitratus est, censuitque eas non semper pretiosas esse potuisse, & ex panno etiam purpuram colore referente vestibus adsui; & figuras quasdam apud *Aringhium* adlegat. Sed quamquam simplicitatem vestium, & frugalitatem amarent vetusti illi Christiani, non tamen credendum omnibus sordes, & lurida vestimenta adeo hæsisse, ut & munditiem quamdam innocentem minime præseferrent. *Hæc utique* inquit *Tertullianus de cultu Feminarum*, *non ad crudam in totum & ferinam habitudinem insinuandam vobis suggeruntur*, *nec de bono corporis squalore*, *seu de putore suademus*, *sed de modo*, *& cardine*, *& justitia corporis excolendi*. *Non supergrediendum ultra quam quod simplices & sufficientes munditiæ concupiscunt*, *ultra quam Domino placere*. Egregie *Hieronymus* ad *Eustochium* De Virginitate servanda: *Nec adfectatæ sordes*, *nec exquisitæ munditiæ conveniunt Christiano*. Tunica & pallium vestimenta longa erant; & *Clemens* quidem Alexandrinus vestes talares esse vult, τὸν γὰρ μηκέτι διῃσθημένον ποικιλίᾳ χρωμάτων, ὅλον δὲ λευκανθίζοντα δι' ὅλου ἀπὸ κεφαλῆς ἄχρι ποδῶν ἐσχάτων, καθαρὸν εἶναι ἐθέλει. *Eum ergo qui varietate colorum minime efflorescit*, *totus autem a vertice capitis usque ad extremos pedes est candidus*, *mundum esse vult*, *&c.* Attamen non adeo longas vestes Christianorum fuisse crediderim, ut ad pedes usque defluentes, illos tegerent, ut elucet ex antiquis Christianorum simulacris, quæ *Aringhus*, & *Bosius*, in *Roma subterranea*, & *Bonarrotius*, in *Vitris antiquis* exhibent; & ex communi usu vestiendi etiam apud Ethnicos, quem tibi obseret *Oct. Ferrarius* in suis *de re vestiaria* eruditis lucubrationibus. Sed nec ipse *Clemens* longas adeo vestes probare videtur; Libro enim II. laudati operis *Cap. X.* ita scribit: τὸ δὲ καὶ σύρειν τὰς ἐσθῆτας, ἐπ' ἄκρους κατιεὶς τοὺς πόδας, κομιδῇ ἀλαζονικόν, ἐμποδὼν τῇ ἐνεργείᾳ τοῦ περιπατεῖν γινόμενον, καλλύντρου δίκην ἐπισυρομένης τῆς ἐσθῆτος τὰς ἐπιπολαίους τῆς γῆς ἀχυρμιάς, &c. *Trahere autem vestes ad summos usque pedes demissas*, *valde est adrogans & superbum*, *quod ambulandi actionem impedit*, *quum vestis instar verriculi*, *quæ in soli sunt superficie*, *sordes secum attrahat*, *&c.* Sed nec nimis breves e contra commendat, nam, ut ipse ait, τῆς χρήσεως τὴν ἀμετρίαν εὐλαβητέον, *vitanda est usus immoderatio*. οὐδὲ γὰρ ὑπὲρ γόνυ, καθάπερ τὰς Λακαίνας φασὶ παρθένους, ἐστολίσθαι καλόν. *Neque enim sicut Lacænas virgines supra genu vestiri honestum est*. Ergo vestes Christianorum juxta *Clementem* infra medium crus & prope talos, descenderant, quales hodienum *Armeni* ferunt, quales in feminis agri Rœtici, quum illuc transirem adspexi. Sed tractu temporis apud Romanos longæ, & usque ad imos pedes fluentes tunicæ in usu fuere, & tunc zonarum quoque usus, & cingulorum invaluit; nam tunicæ paulo breviores minime cingebantur, ut ex *Tertulliano Libro de Pallio* intelligitur; adeoque *tunicæ rectæ*, *& discinctæ*, Græcis πόδηροι, ὀρθοστάδιοι, τανιχίτωνες adpellabantur, ut eruditissimus *Bonarrotius* noster observat. Apud *Hebræos* tamen talares tunicas fuisse oportet; nam Christus Apostolorum pedes lavaturus, pallio deposito præcinxit se apud *Joannem cap.* XIII. *vers.* 4. *Petrus* quoque in *Actis* præcingi jubetur; & tunica seu ἐπενδύτην succingitur apud laudatum *Joannem c. XXI.*

At non hæ tantum Apostolorum vestes fuisse videntur. Penula *Paulus* induebatur, de qua *Tertullianus De corona militis*: *Habebit* inquit *etiam Penulam Paulus*. Et quidem *Paulus* ipse id testatur II. ad *Timoth.* cap. IV. v. 13. Τὸν φαιλόνην ὃν ἀπέλιπον ἐν Τρωάδι παρὰ Κάρπῳ ἐρχόμενος φέρε. *Penulam, quam reliqui Troade apud Carpum, veniens adfer tecum*. Nec mirandum quod *Paulus Judæus*, peregrina, idest, *Romana* veste usus sit; nam ad eum locum Diaconus observat id evenisse, *quia erat ex Tarso, quos constat in societatem Romanorum receptos, ut de cetero adpellarentur cives Romani; idcirco necesse est & curiam habere, in quam more Romanorum* penulati conveniunt. Et laudatus *Tertullianus* libro *De Oratione* Christianos penula pariter indutos nobis commemorat. Sed alii φαιλόνην, non Penulam, sed saccum interpretantur, in quo ille membranas & volumina haberet. Vide *Tillemontium* Art. XLVII. Ceterum in vita S. *Hugonis* Abbatis *Cluniacensis* planeta *Petri* Apostoli memoratur, quam ille *Antiochia Lutetiam Parisiorum* attulerit, & in D. *Genovefæ* collocaverit. Penula autem planeta fuisse videtur, & hac veste antiquos passim Christianos usos *Tertullianus* ad *Martyres* innuere videtur, ubi scribit: *Deus scilicet non audiat penulatos, qui tres sanctos in fornace Babylonii regis orantes cum sarabaris, & tiaris suis exaudivit*. Et certe credibile est etiam ἀσκητὰς quosdam fuisse qui rudioribus asperioribusque indumentis amicirentur. Ecce *Joannes Baptista*, deserti & nemorum cultor, veste pilis camelorum contexta tegebatur, cingebatur autem zona pellicea, Auctoribus Matthæo cap. III. v. 4. & *Marco* cap. I. v. 6. Igitur *Joannis* vestitus, potius cilicium erat; factum ἀπὸ τριχῶν καμήλου, quam ipsa cameli pellis, ut quidam censent, quod recte animadvertit & illustrat B. *Lamius* in *Harmon. Evang.* Ceterum in antiqui nummi Christiani, quem *Victorius* illustrat, aversa parte *Joannes Baptista* pelle cameli tectus adspicitur; quemadmodum in antiqua gemma apud eumdem. *Chrysostomus* ad *Cap. III. Matthæi* huiusmodi habitum utpote iis, qui quotidie in urbibus atque agris oberrabant, maxime adcommodatum *Petro* quoque ac *Paulo* Apostolis tribuit. Et quidem Apostolos, saltem dum iter agerent, zonis accinctos fuisse constat ex *Matth.* X. 9. *Marco* VI. 8. Zona autem *Pauli* memoratur *Actor. Cap. XXI.* 11. Eodem referri possunt illa loca, quæ *lumbos nostros præcinctos esse jubent*, *Lucæ* XII. 35. & *ad Ephes.* VI. 14. Si autem Apocalypseos cap. 1. 13. Christus adparet περιεζωσμένος ζώνην χρυσᾶν, *præcinctus zona aurea* & cap. XV. 6. Angeli prodeunt, περιεζωσμένοι περὶ τὰ στήθη ζώνας χρυσᾶς, *præcincti circa pectora zonis aureis*; & id mysteria altissima continet, & zonarum usum confirmat. *Ph. Bonarrotius* suspicatur quasdam tunicas apud *Judæos*, ut diximus, prælongas fuisse, & non uno loco eas zona præcingi solitas, ita ut uno cingulo circa pectus & mammas adstringerentur; altero vero, circa lumbos: quando veliter facere, vel aliquo ministerio exerceri, opus erat, quo expeditior quis esset ad operandum. Sanctum *Polycarpum* cingulo usum fuisse ejus martyrii acta testantur. *Matthæi Cap.* X. 10. pera memoratur, sed ibi facculum viatorium significat. Ceterum *Ægyptii* Monachi melotas & pelles caprinas, quibus etiam induebantur, sicut & cucullo peras adpellabant, ut apud *Cassianum De habitu Monachorum Cap.* XI. videre est. *Hieronymus* in *Vita Hilarionis pelliceum ependytem vocat*. Sed *ependyte Petrum* etiam Apostolum usum fuisse docet *Joannes cap.* XXI. 7. ubi de *Petro*: τὸν ἐπενδύτην διεζώσατο. *Vulgatus & Erasmus*, *Tunica succinxit se*. *Idest*, inquit *Erasmus*, *pallio, sive penula, aut toga*. *Nam tunica vestis est interior, ependytes dicta, quod superne induatur. Et verisimile est, piscatoribus tunicam fuisse summam vestem*. *Fullerus* etiam *Miscellaneorum Lib.* II. *Cap.* XI. vult hac voce intelligi *vestem superiorem*. *Boisius* interpretatur *velamentum earum partium, quæ honeste conspici non possunt*. *Ludovico* ἀποδέω ἐπενδύτης; nec suprema nec infima vestis, fuisse videtur, sed inter indusium & stolam media. *Glossæ Græco-Latinæ* habent: ἐπενδύτης, *instata*, *superaria*. Et *Latino-Græcæ*: *Superaria* ἐπενδύτης. *Superaria*, quæ supra indusium, supra primam vestem, induitur. Eratque ex levi semper tenuique materia, gossypina plerumque & interdum linea. Unde etiam *Theophilactus in Cap.* XXI., *Joannis* dicit ἐπενδύτην fuisse λινοῦν τι ὀθόνιον, *linteum quoddam*.

Jam de femineis vestibus aliquid dicendum est. Femineam vestem a virili aliquatenus diversam fuisse non dubitandum; & earum tunica, stola, pallium, palla dicebatur ut pluri-

rimum, quas vestes antiquæ feminæ induebantur; ut apud *Octav. Ferrarium Analectis de re vestiaria*, & *Baifium* ejusdem tituli opere, videre est. At simplicitas vestium & vilitas, eadem in illis debuit esse, atque in viris, ut ex *Tertulliano de Habitu muliebri*, & *de cultu feminarum*: intelligimus. Præclariter *Clemens* Alexandrinus *Lib. II. Pædagogi cap. X.* Φημὶ τοίνυν οὐκ ἄλλου τινὸς ἕνεκα δεηθῆναι ὑφασμάτων τὸν ἄνθρωπον, ἢ σκέπης σώματος πρὸς ἀπαλέξησιν κρυμῶδους ὑπερβολῆς καὶ καυμάτων ἐπιτάσεως, μή τι ἡμᾶς παραλυπῇ τοῦ περιέχοντος ἡ ἀκρασία· εἰ δ' οὗτός ἐστι τῆς ἐσθῆτος ὁ σκοπός, ὅρα μὴ οὐκ ἄλλη μὲν ἀνδράσιν, ἄλλη δὲ ἐσθὴς ἀπονεμητέα γυναιξίν· κοινὸν γὰρ ἀμφοῖν τὸ σκέπεσθαι, κατὰ τὸ αὐτὸ τῷ ἐσθίειν, καὶ πίνειν. Κοινῆς οὖν οὔσης τῆς χρείας; τὴν ὁμοίαν κατασκευὴν δοκιμάζομεν. ὡς γὰρ τὸ δεῖσθαι τῶν σκεπόντων κοινὸν ἑκατέροις, οὕτως καὶ σκέποντα παραπλήσια εἶναι χρή. *Dico ergo hominem non alia de causa opus habere vestimentis, quam ut tegatur corpus, ad maxima frigora & vehementes æstus propulsandos, ne nos lædat ambientis aeris immoderatio. Quod si hic est vestis scopus, vide ne non alia quidem viris, alia vero feminis, vestis tribuenda sit: tegi enim utrisque commune est, quemadmodum comedere & bibere. Quum usus itaque sit communis, constructionem similem comprobamus. Quemadmodum enim utrisque commune est, ut egeant iis, quæ tegunt, ita a quibus tegendi sunt esse oportet similia*. Denique ad summum vestibus paulo mollioribus indui feminis concedit, at iis usque simplicissimis. Ipse quidem de muliebris habitus cum virili similitudine, quæ heic *Clemens* disserit, de simili vestium simplicitate intellexi; sed si vera persequi lubet, non ea erat inter muliebrem & virilem vestem diversitas, ut illæ tunica & pallio indutæ fuisse dici non possent, quod ex antiquis imaginibus apud *Aringhium*, & *Bonarrotium* comprehendere datur. Immo & breviores tunicæ, & clavatæ, & distinctæ, iis fuisse videntur. Non tamen heic quæsierim an Maria Deipara tunica cingeretur, quod quidem verosimile; nec ejus zonam alicubi, ut perhibent adservatam morabor; quum alicujus gentis crudelitatem nec nocere mihi, nec iuvare posse deprehendam. Unum heic de Sanctimonialibus observandum superest, scilicet eas antiquitus virile pallium usurpasse, quod *Canon* XIII. Synodi Gangrensis prohibuerat. Et nescio an huc partim spectent illa *Hieronymi* ad *Eustochium*, quæ cuncta exscribere lubet, quod rem vestiariam religiosarum mulierum illustrent, atque ita habent. *Sunt quippe nonnullæ exterminantes facies suas, ut adpareant hominibus jejunantes: quæ statim ut aliquem viderint, ingemiscunt, demittunt supercilium: & operta facie vix unum oculum liberant ad videndum. Vestis pulla, cingulum sacceum, & sordidis manibus, pedibusque, venter solus, quia videri non potest, æstuat cibo . . . . Aliæ virili habitu, veste mutata erubescunt esse quod natæ sunt, crinem amputant, & impudenter erigunt facies eunuchinas: sunt quæ ciliciis vestiuntur, & cucullis fabrefactis: ut ad infantiam redeant, imitantur noctuas & bubones*.

Actorum cap. XIX. *Pauli* sudaria, & semicinthia memorantur, ad quem locum ita commentatur *Theophylactus*: Σουδάρια καὶ σιμικίνθια, λινοῦ εἰσιν ἀμφότερα, πλὴν τὰ μὲν σουδάρια ἐπὶ τῆς κεφαλῆς ἐπιβάλλεται, τὰ δὲ σιμικίνθια ἐν ταῖς χερσὶ κατέχουσιν οἱ μὴ δυνάμενοι ὠράρια φορῆσαι, οἷοί εἰσιν οἱ φοροῦντες ὑπατικὰς στολὰς πρὸς τὸ ἀπομάττεσθαι τὰς ὑγρότητας τοῦ προσώπου. *Sudaria & semicinthia linea sunt utraque, sed sudaria quidem capiti imponuntur, semicinthia vero in manibus tenent, qui non possunt oraria gestare, quales sunt qui ferunt consulares vestes, ut abstergant humores faciei*. Eadem fere habet *OEcumenius*. Et quidem σιμικίνθιον esse τὸ ἐν χερσὶ κατεχόμενον confirmat etiam *Basilius Seleuciensis Homil.* εἰς τὸν εὐαγγελισμὸν τῆς Θεοτόκου quando σιμικίνθιον, de quo in Actis, vocat ἐγχείριον, *quod manu gestatur*. Sed *Ludovicus* ἀνόθιος *Hesychii* auctoritate fretus, qui σιμικίνθια ait esse quoque ζωνάρια, *cingula*, semicinthia cingula intelligit, quibus *Paulus* præcingeretur, ut expeditius incederet; & semicinthiis etiam præcingi ostendit *Ferrarius Analect. de re Vestiar. Cap. XV. Joannis* autem *Cap. XIII. vers. 4. & 5. Christus* linteo quodam se præcinxisse legitur. Quando autem orariorum mentio incidit, sciendum est orarium probabiliter nihil aliud esse, quam fasciam quamdam laudato *Ferrario cap.* XXIII. memorati operis demonstrante & *Suicero* in Ὠράριον; & vestes vulgares erant, omnibusque communes, de quibus multa egregie disputavit *Casaubonus* ad illa *Vopisci*, *ipsumque primum donasse oraria populo Romano, quibus uteretur populus ad favorem*; fuisse scilicet veteribus, ut hodie quoque, linteamina quædam parva ad munditiem corporis, usus magni, & multiplicis, sudaria, semicinthia, oraria,

ria, & quorum unus meminit *Arnobius*, muccinia. Orariis igitur antiqui etiam Christiani utebantur, ut elucet ex *Prudentio*, qui Hymno *Hemitherii* & *Chelidonii*, qui milites stipendia meruerant, ait eos quum mortem violentam subituri essent, munera Deo quemlibet obtulisse, unum, annulum aureum; alterum, candidum orarium: quæ quidem sublime lata cælo recepta fuerunt.

> *Illa Laus occulta non est, nec senescit tempore,*
> *Missa quod sursum per auras evolarunt munera*
> *Quæ viam patere cæli præmicando ostenderent.*
> *Illius fidem figurans, nube fertur annulus,*
> *Hic sui dat pignus oris (ut ferunt) orarium*
> *Quæ superno rapta flatu lucis intrant intimum*
> *Per poli liquentis axem fulgor auri absconditur,*
> *Ac diu visum sequacem textilis candor fugit;*
> *Subvehuntur usque in astra, nec videntur amplius.*

Item *ex Ambrosii* Oratione *De obitu Satyri Fratris*: *Divinum illud fidelium sacramentum ligari fecit in orario, & orarium involvit collo, atque ita se dejecit in mare. Ex Augustino Lib. de Civit. Dei cap. VIII. Tunc sicut potuit oculum lapsum atque pendentem, loco suo revocatum, ligavit orario*. Tandem orarium vestis sacerdotalis & Ecclesiastica factum est, & ita adpellarunt *pannum oblongum*, brachio sacerdotis imponi solitum, quod Græci etiam λορᾶν adpellant. Orarium etiam vocata est fascia illa, quæ collo sacerdotis imponitur, & ἐπιτραχήλιον *Græcis*, *stola* a nostris nuncupatur, quamquam *Codinus Lib. de Officiis* ἐπιτραχήλιον ab *orario* separat. Consulendus de his inter alios *Suicerus* in ὠράριον. λῶρον ἐπιτραχήλιον & *Ferrarius* supra laudatus. Hic autem ἐπιτραχήλια gestandi mos ex ipso Apostolorum instituto aut tempore defluxisse videtur. Nam Judæi, quum o arent ἐπωμίδος speciem quamdam, ab ephod sacerdotis summi diversam humeris circumjecisse, ex II. *Reg. Cap.* VI. *v.* 14. facile creduntur: quare non mirum, si *Judæi*, qui Christianos ritus amplexi fuerant, hunc morem retinuerunt, primis illis Ecclesiæ temporibus, & Apostoli ipsi usurpaverunt, & quidem imagines Apostolorum *Petri & Pauli* hujusmodi velaminibus contectæ circa humeros occurrunt apud *Bonarrotium* Tab. X. XI. XII. quæ quidem fasciæ fibula, ut videtur, gemmis ornata ante pectus adstringuntur. Consulatur etiam Tab. XVIII. Fig. III.

Sed ex elegantibus *Prudentii* versiculis Christianos annulos gestare consuevisse, & quidem aureos, etiam ediscimus. Ipse quidem *Castri Franci*, *Etruriæ* in valle *Arni* inferiori oppido *Severi* martyris λείψανα contemplatus, aureo annulo ejus digitum insigniri conspexi. Et quidem aurei annuli meminit etiam *Jacobus* cap. II. 2. *Etenim si introierit*, inquit, *in conventum vestrum vir aureum annulum habens in veste candida, introierit autem & pauper in sordido habitu*. *Pseudo-Craton* vero scribit *Bartholomæum* Apostolum annulis ac gemmis ornatum processisse; cujus rei fides penes auctorem esto. Annulum Mariæ Deiparæ nuptialem Perusii exstare perhibent; sed mihi de eo liquido nihil constat, & forte ejusdem generis est cum D. *Zenobii Florentini* Episcopi annulo, qui *Florentiæ* a quibusdam ostenditur. Quales autem annulos, & quomodo, quibusque figuris insignitos, veteres Christiani aut ferrent, aut ferre deberent, docet *Clemens Lib.* II. *Pædagogi Cap.* XI. Ἀλλὰ καὶ τὸν δακτύλιον οὐκ ἐπ' ἄρθρῳ φορητέον τοῖς ἀνδράσι, γυναικεῖον γὰρ τοῦτο· εἰς τὸν μικρὸν δὲ δάκτυλον καὶ τοῦτο εἰς τὸ ἔσχατον καθιέναι, ἔσται γὰρ οὕτως ἐνεργὸς ἡ χείρ, ἐν οἷς αὐτῆς δεόμεθα. Καὶ οὐ ῥᾶστα ὁ σημαντὴρ ἀποπεσεῖται, τῷ μείζονι τοῦ ἄρθρου σφενδόνῃ φυλαττόμενος. αἱ δὲ ἡμῖν ἔστων πελειὰς, ἢ ἰχθὺς, ἢ ναῦς οὐριοδρομοῦσα, ἢ λύρα μουσικὴ, ᾗ κέχρηται Πολυκράτης, ἢ ἄγκυρα ναυτικὴ, ἣν Σέλευκος ἐνεχαράττετο τῇ γλυφῇ. Κἂν ἁλιεύων τις ᾖ, Ἀποστόλου μεμνήσεται. καὶ τῶν ἐξ ὕδατος ἀνασπωμένων παιδίων. οὐ γὰρ εἰδώλων πρόσωπα ἐναποτυπωτέον, οἷς καὶ τὸ προσέχειν ἀπείρηται. οὐδὲ μὴν ξίφος, ἢ τόξον τοῖς εἰρήνην διώκουσιν, ἢ κύπελλα, τοῖς σωφρονοῦσιν· πολλοὶ δὲ τῶν ἀκολάστων γεγυμνωμένους ἔχουσι τοὺς ἐρωμένους, ἢ τὰς ἑταίρας κ. τ. λ. *Sed neque est a viris annulus in articulo ferendus, hoc enim est muliebre: sed in parvo digito, atque adeo in extrema ejus parte est collocandus: ita enim erit manus maxime ad operandum expedita in iis, in quibus ea egemus, neque facile excidet sigillum, quod majore articuli ligamento custoditur. Sint autem nobis signacula, columba, vel piscis, vel navis, quæ celeri cur-*

sa

su a vento fertur, vel lyra musica, qua usus est Polycrates, vel anchora nautica, quam insculpebat Seleucus; & si quis sit qui piscetur, meminerit Apostoli, & puerorum, qui ex aqua extrahuntur. Neque enim idolorum sunt imprimendæ facies, quibus vel solum attendere prohibitum est: sed nec ensis vel arcus iis, qui pacem persequuntur: nec pocula iis, qui sunt moderati & temperantes. Multi autem libidinosi nudatos habent eos, quos amant, vel amicas &c. Et quidem *Eques Victorius* in suo commentario, quo veterem Christianorum nummum illustrat, gemmam annullarem profert, in qua anchora & duo pisces, hinc & hinc sculpti sunt, in superna autem parte ΙΗΣΟΥΣ, in inferna ΧΡΕΙΣΤΟΣ, scriptum est. Idem tres quoque Christianorum æreos annulos profert, in quibus Christi monogramma conspicitur & in uno Α & Ω ad monogrammatis latera. Achatem quoque varium antiquum exhibet, in quo crux, & YESU, & YAVA, ad quatuor Crucis cornua divisim insculpta fuit, quem annularem fuisse non videtur dubitandum. Item gemmam in cujus antica facie Χρ, in postica vero columba cernitur; & aliam gemmam, in cuius aversa parte anchora adspicitur. Non ἀπροσδιόνυσον videatur adnotare Christianis quidem illos vetustos, sed hæreticos *Basilidis* sectatores, aliosque *Gnosticos*, quædam nominum & figurarum portenta in suis annullis incidere aut exsculpere solitos fuisse, qualia videre est in antiquis gemmis, quas *Abraxas* vulgo adpellant, & de quibus Fr. Chiffletius commentarium pereruditum conscripsit. Dignus etiam qui videatur *Jo: Kirchmanus De Annulis Cap.* XIII. Baculum ne ferrent *Christus* Apostolis præcepit, ut *Matthæus Cap.* 10. & *Lucas Cap.* IX. 3. memoriæ prodiderunt. *Marcus* tamen *Cap.* VI. 8. virgæ usum eis concessisse scribit: quæ divinorum Scriptorum discordia quomodo concilietur, vide apud B. *Lamium* in *Harmon. Evangel.*

Calceamenta quod attinet, *Christum* soleis sandaliisque usum ex eo constat, quod in Evangelio *Johannes Baptista* se indignum, qui corigiam *Christi* calceamentorum solveret, professus est, ut apud *Matthæum Cap. III.*, *Marcum Cap. I. & Lucam Cap. III.* legere est. *Hebræorum* calcei plantarum calces tantum infime tegebant; cetera prope nuda & teretibus habenis juncta erant; quales Romanorum soleæ & gallicæ, dictæ a *Græcis* κρηπῖδες. Non tamen perpetuo sandalia illa *Christus* usurpasse videtur, quare *Hieronymus Epistola XIII.* scribit: *Milites vestimentis Jesu sorte divisis, caligas non habuere, quas tollerent. Non enim habere Dominus potuisset, quod Servos suos habere prohibuerat.* Domi autem saltem sæpe non habuit, unde apud *Lucam Cap. VIII.* 35. *Mulier stans retro secus pedes ejus, lacrymis cœpit rigare pedes ejus, & unguento ungebat.* Et *Joannis Cap. XIII. v.* 4. 5. *Christus* post Cœnam Apostolorum pedes lavat; qui certe non alio habitu ac illi erat. Non enim videntur antiqui, saltem in calidis regionibus, domi calceati manere consuevisse, ut *Calmetius* quoque *Dissert. De re vestiar. Hebræorum* non difficulter concedit. Quare Angelus *Petro* in custodia vincto ait: ὑπόδησαι τὰ σανδάλιά σου, quod vulgatus Interpres vertit. *Calcea te caligas tuas* & quod servat etiam *Pseudo-Aldias lib.* 1. quum tamen verrendum sit *crepidas*, sive *soleas*, ut patet, & ostendunt *Salmasius adversus Cercætium*, & *Nigronus de Caliga*. Et hinc elucet Apostolos sandaliis esse usos; & sandaliorum Apostolorum frequens mentio apud *Pseudo-Aldiam*. Et quidem *Marcus Cap.* VI. *v.* 9. scribit *Christum* sandaliorum tegmen Apostolis concessisse. Sed quid *Matthæo* feciemus, qui *Cap.* X. *v.* 10. ait Christum præcepisse Apostolis ne calceamenta secum tollerent? Ad quem locum *Joannes Chrysostomus* habet: *Apostoli cum una tunica, & discalceati circumibant totum mundum, &c.* Sunt qui inter ὑποδήματα, quæ apud *Matthæum* a Christo prohibentur, & σανδάλια, quæ apud *Marcum* permittuntur, distinguant, & censeant illa, quæ totum pedem tegunt, inhiberi; hæc, quia plantam pedum dumtaxat subtegebant, concedi. Et quidem sandaliorum, quibus Apostoli utebantur, mentio frequens, ut diximus, apud *Aldiam*; & in eburneo Dypticho Musei Riccardiani *Petrus* & *Andreas* sandaliis instructi conspiciuntur; & hoc sensu Dominicum præceptum accipiebant Ægyptii Monachi, qui calceos recusabant, sandalia vero induebant, ut apud *Cassianum de Halitu Monachorum lib.* 1. *Cap.* X. videre est. Quidquid autem sit in antiqua ærea lucerna Gazæ *Medicæ*, quam alibi laudavimus, Ecclesiam sub navis symbolo referente, *Petrus*, qui gubernaculum regit, habet pe-

pedes calceis undique vestitos, quod quidem in Anaglyphorum imaginibus, quas *Aringhius* exhibet, nusquam cernere est; licet in iisdem nudis omnino pedibus *Christus* & Apostoli non frequenter occurrant, sed omnes fere semper subligaculis & sandaliis instructi, quemadmodum & apud *Lambecium lib.* II. *Comment. cap.* VIII. *Polycarpus* autem *Joannis* Apostoli discipulus calceatus exstitisse traditur in insigni *Smyrnensis* Ecclesiæ Epistola, in qua ejus martyrium describitur apud *Eusebium*. In hac discordi consuetudine, & non una Evangelicorum verborum intelligentia, nil mirum, si Christiani antiquissimi nudis pedibus ingrederentur. Hinc Christianus apud crebro advocatum *Philopatridis* Scriptorem est ἀνυπόδητος. *Tertullianus* autem *libro de Pallio*, *Calceos* inquit *nihil dicimus proprium togæ tormentum immundissimam pedum tutelam, verum & falsam. Quem enim non expediat in algore, & ardore rigere nudipedem, quam in calceo unquipedem*. Et mox: *si quis calceatus induitur mundissimum opus est* (scilicet cum pallio) *aut pedes nudi magis, certe virile magis, quam in calceis*. Sic *Libro De Corona militis*, militem commendat calceos exuentem, quia Christianus, & terræ nudis pedibus insistentem. *Idem gravissimas penulas posuit relevari auspicatus, speculatoriam morosissimam pedibus absolvit terræ Sanctæ insistere incipiens*. Sed perspicue distincteque exponit *Clemens Alexandrinus lib.* II. *Pædagog. cap.* XI. quomodo pedibus ingredi Christiani consuescerent, seu mares, seu feminæ. Ἡ γὰρ χρῆσις, inquit τῶν ὑποδημάτων, ἡ μὲν αὐτῶν εἰς σκέπην ποδῶν, ἡ δὲ εἰς προφυλακὴν τῶν προσπταισμάτων, καὶ τῶν ὀρειβατικῶν τραχυτήτων, τὸ πέλμα ποδῶν σώζουσαν. Γυναιξὶ μὲν οὖν τὸ λευκὸν ὑπόδημα συγχωρητέον· πλὴν μὴ ὁδεύουσιν· τότε δὲ τῷ ἀλείπτῳ χρηστέον· ἡλωμένων δὲ δέονται τῶν καττυμάτων αἱ ὁδεύουσαι· πλὴν τὰ πολλὰ ὑποδήμασι χρηστέον αὐταῖς· οὐ γὰρ ἁρμόζει γυμνὸν ἐπιδείκνυσθαι τὸν πόδα· ἄλλως τε καὶ εὐεπίθετον εἰς βλάβην ἡ γυνή· Ἀνδρὶ δὲ ὦ μάλα ἁρμόδιον ἀνυποδησία, πλὴν εἰ μὴ στρατεύοιτο. Καὶ γάρ πως ἐγγὺς τὸ ὑποδεδέσθαι τῷ δεδέσθαι. ἀσκητικώτατόν γε τοι γυμνοῖς χρῆσθαι τοῖς ποσίν, καὶ πρὸς ὑγείαν καὶ εὐκολίαν εὔθετον, ἔνθα μὴ ἀνάγκη τις διακωλύοι· εἰ δὲ μὴ ὁδεύοιμεν, ἀλλὰ μηδὲ φέροιμεν τὴν ἀνυποδησίαν, βλαύταις ἢ φαικασίοις χρηστέον. *Calceorum enim usus hic quidem est ad tegendos pedes: alius autem ad propulsandas offensiones, & a montanis asperitatibus plantam pedis conservans. Sunt itaque mulieribus albi concedendi calcei, nisi iter ineant: tunc autem eis unctis utendum est. Clavis autem perforatis opus habent Soleis, quæ viam conficiunt: quamvis illis ut plurimum calceis utendum est. Neque enim feminam decet pedem ostendere: & alioquin mulieri tener est sensus, ut facile lædatur. Viro autem pulcre convenit nullos habere calceos, præterquam si militer.* Ὑποδεῖσθαι enim non parvam habet adfinitatem cum δεδέσθαι, *quod est, esse ligatum. Optimum quidem est exercitationis genus nudis uti pedibus, & ad sanitatem, & ad expeditam facilitatem, ubi non prohibeat necessitas. Quod si iter non ingrediamur, nec nudis incedere pati possimus, soleis utendum est*. Illud autem quod a viduis spectatis Apostolus exigit, ut scilicet sanctorum pedes laverint, tam ad eos qui nudis pedibus ingrederentur, quam ad eos qui sandaliis & soleis uterentur, referri potest. Ceterum *Hieronymus* ad *Eustochium*, *nudos patientia frigoris pedes* in Monachis quibusdam non probat, & adfectatæ eos abjectionis insimulat. Feminas autem nudis pedibus incedere vetitum idem *Clemens* Lib. II. cap. X. quoque ait, quemadmodum velari præceptum. Καὶ μηδὲ ὅτι τὸ παραγυμνοῦν τὸ σφυρὸν κεκώλυται μόνον, ἐγκεκαλύφθαι δὲ καὶ τὴν κεφαλὴν καὶ τὸ πρόσωπον ἐπεσκιάσθαι προστέτακται. *Neque vero solum* calcaneum est *prohibitum ut nudent iis, verum etiam caput ut tegant, atque obnubant, illis est impositum*. Et quidem in antiquis anaglyphis ab *Aringhio* productis feminæ pedibus calceatis fere semper occurrunt. Ceterum id multum differt ab Ethnicarum feminarum moribus & instituto, siquidem hæ, quum soleis tantum & crepidis uterentur, pedis ac cruris partem nudam ostendebant, ut recte docet *Oct. Ferrarius Analect. De re vestiar.* vetustiorum simulacrorum imaginibus in medium adductis. Harum solearum figuram habes etiam in antiquo marmore sepulcrali, quod in Museo *Mediceo* adservatur, & quod v. cl. I. *Gruterus*, & *B. Monfauconius*, & *Ant. Fr. Gorius* edendum curaverunt. Sed ut exemplum Christianorum, qui nudis tantum pedibus incedebant, opportune proferam; ita consuevisse *Origenem* Adamantium presbyterum tradit *Eusebius Lib. VI. Hist. Eccles. cap.* III. quod ex Evangelii verbis calceorum usum a *Christo* interdictum opinaretur.

Duo interim a nobis observanda sunt, quæ rem nostram vestiariam illustrabunt: Unum, etsi tam multa de Christianorum vestibus pecu-

culiariter differuerimus, tamen exploratæ fidei esse, Christianos vestes cum Ethnicis, juxta regionis & patriæ suæ mores, generaliter loquendo, habuisse communes; nec enim verum esse videtur, ut *Cl. Salmasius* advertit, statim ac quis Christianus effectus esset, habitum vestemque mutavisse, aut id semper perpetuumque servatum. Insuper pro loco, pro ætate, pro dignitate, conditione, & officio varios fuisse Christianorum amictus perspicue docet *Clemens Alexandrinus* lib. III. *Pædagog. cap.* XI. & iis adplicanda sunt, quæ de habitu Monachorum *Cassianus lib.* I. *cap.* XI. habet. *Hæc dicta sunt, ne quid prætermisisse de Ægyptiorum habitu videamur. Ceterum a nobis tenenda sunt illa tantummodo, quæ vel locorum situs, vel usus provinciæ admittit. Nam neque caligis nos, neque colobiis, seu una tunica esse contentos hyemis permittit asperitas.* Hinc apud *Aringhium Abdon* & *Sennen* martyres *Persæ*, more *Persarum* induti, non aliarum gentium ritu, conspiciuntur. Magi item, qui Jesum adoratum ex Oriente venerunt, apud eumdem *Aringhium*, braccis, seu sarabaris, ut cum *Tertulliano De Oratione* loquar, & brevibus palliis, pileoque acuto & inflexo, vestici occurrunt, non secus ac Martyres laudati; de quorum habitu & vestibus multa disserunt *Aringhius* laudatus, aut *Severanus*, & *Bonarotius*. Alterum est etsi Christianos primi sæculi multam in vestibus simplicitatem præsetulisse satis demonstravisse credamus, tamen inficiandum non esse, sæculo secundo jam & tertio, luxum inter Christianos sensim irrepsisse, id quod ex *Tertulliani Libris De Habitu muliebri*, & *de cultu feminarum* & *de Virginibus velandis*, atque ex *Clementis* Pædagogi *Lib.* II. & III. & *Cypriano de Lapsis* colligere proclive est, & perspicue intelligeretur ex figuris *Tab.* XXI. XXII. XXIII. XXIV. apud *Bonarrotium Ad vitra antiqua*, nisi ætate posteriores essent.

Jam tempestive inquirendum videatur, an ulla esset primis illis Ecclesiæ temporibus inter Clericos, & laicos, vestium discretio, & adfirmat quidem *Cl. Salmasius* in suo ad *Tertullianum De Pallio* Commentario. *Pallium igitur*, inquit, *Tertulliano* Sacerdos habitus *adpellatur, quod eo habitu tunc sacerdotes uterentur Christiani, eumque præferendum adserit, non solum omnibus vestibus, & ornamentis quibus paganæ* θρησκείας *antistites uterentur, sed etiam omnibus exuviis & peplis, quibus Deorum simulacra vestiri & ornari solebant. Ex hoc vel unico* Tertulliani *loco satis liquide liquere arbitror, illa ætate non passivum, & communem omnium, qui Christianam fidem profiterentur, habitum fuisse pallium, sed solorum presbyterorum.* Locus *Tertulliani*, quem laudat *Salmasius*, est qui sequitur: *Enimvero quum hanc primum sapientiam vestit, quæ vanissimis superstitionibus renuit, tunc certissime pallium super omnes exuvias & peplos augusta vestis, superque omnes apices ac titulos Sacerdos habitus;* quorum postremorum verborum lectionem strenue eruditeque contra *Gelenium* tuetur. Et *Herachas* quidem Presbyter pallium philosophicum gestavisse traditur ab *Eusebio Lib.* VI. *Hist. Eccles. cap.* XX. *Ceterum*, pergit ex intervallo *Salmasius*, *ne illa quidem ipsa tempestate perpetuum hoc fuit, aut pro regula observatum, ut omnes Clerici pallium sumerent, aut soli istum habitum usurparent. Multos quippe ex laicis propter* ἄσκησιν, *hac eadem veste philosophica & ascetica usos esse scimus, & ex presbyteris eos solum, qui asceticam profiterentur, hoc est, qui Apostolicæ humilitati, & severiori Christi disciplinæ, congruam & consentaneam sectam sectarentur. Nondum enim ascetarum* πολιτεία, *qui Monachi postea dicti sunt, certis legibus ac regulis constituta in notitiam venerat &c.* Sed quantas mutationes decursus temporis invehit? Hoc pallium, quod prima Ecclesiæ ætate sacerdotum erat & clericorum, præcipue indumentum, sub *Constantino* principe ita exoleverat, quum Episcopi & Clerici communi cum aliis veste uterentur, ut indecens & incongruum Clericis vestimentum haberetur, id quod ex *Synodi Gangrensis Epistola* & *Socrate lib.* II. *Histor. Eccles. cap.* XXXIII. late *Salmasius* laudatus ostendit.

At hæc pauca de hominis Christiani primitivi habitu, & re vestiaria delibasse suffecerit, quum ex divortiis hisce in regiam viam & ad propositum revertendi tempus jam sit; quamquam & πάρεργον hoc intentioni meæ conducere deprehenditur. Nam & heinc antiquorum Christianorum humilitas, simplicitas, paupertas, exsistere forte aliquatenus, atque eminere, videatur; id quod ipse demostrandum susceperam, quodque vere dici po-

poteſt, eſſe veras divitias, veras delicias, de quibus ſoli Chriſtiani participant, quia boni & honeſti, ut late exſequitur *Clemens* eruditiſſimus *Lib.* III. *Pædag. cap.* VI. & VII.

MONITUM

Eſſent aliqua in hac Lamii diſſertatione caſtiganda; verum ſatis erit Lectorem ad *Atromi Traſeomachi* Italicas epiſtolas amandare.

AD CAPUT XII.

P. EMMANUELIS DE AZEVEDO S. J.

De Diſciplina Arcani, & de Liturgiis.

DISSERTATIO XVIII.

I. PAradoxa ſcribere, immo & deſipere mihi videntur, qui tanto labore ſuadere conantur, quatuor primis Eccleſiæ ſæculis nullum Canonem Liturgicum, hoc eſt formulam ſacrificalem privatis Codicibus, & Chartis conſignatam fuiſſe. Referam primo aliqua ſpectantia ad diſciplinam Arcani, qua illius ſæculi illigabantur divina Chriſtianorum Myſteria; quam diſciplinam tamen, ut ſæpiſſime commendatam legi ab Epiſcopis illorum temporum, prout magis, vel minus a gentilibus timebant; ita nullo Conciliari Decreto ſancitam ullibi memini; quod diligenter adnotandum eſt: deinde aliqua ad rem facientia breviter addam.

II. Ad diſciplinam Arcani hæc faciunt. Ruffinus Aquilejenſis in explicatione Symboli, non longe ab initio pag. 170. Edit. Pariſ. 1580.: Idcirco denique hæc non ſcribi chartulis, aut membranis, ſed reponi credentium cordibus tradiderunt, ut certum eſſet hæc neminem ex lectione, quæ interdum pervenire poteſt etiam ad Infideles, ſed ex Apoſtolica traditione didiciſſe &c.: S. Hieronymus tom. 2. Operum per Vallarſium Edit. Veron. pag. 435. cap. 28. libri contra Joannem Jeroſolymit., alias Epiſt. 61. ad Pammachium pag. 124. Edit. Manutii: In Symbolo Fidei, & Spei noſtræ, quod ab Apoſtolis traditum non ſcribitur in charta, & atramento, ſed in tabulis cordis carnalibus &c. Sozomenus ſcribens ſub Theodoſio Juniore lib. 1. cap. 19. abſtinet a recenſendo Symbolo Nicæno: quia id debet tradi, & explicari a Sacerdotibus; & quia periculum eſt, ne liber deveniat in manus non initiatorum myſteriis; & cap. 20. vocat *Arcanum reticendum*.

III. S. Cyrillus Hieroſolymit. Catech. V. num. 12. Edit. Pariſ. per Toutte. Maur. Symbolum quidem ipſis verbis meminiſſe vos volo, & apud vos volo, & apud vos ipſos cum omni ſtudio recitare, non chartis mandantes, ſed in corde inſculpentes memoriæ: dum vero meditando revolvitis, cavete, necubi Catechumenorum quiſquam, quæ vobis tradita ſunt exaudiat. Et Catech. VI. num. 29. Hæc myſteria, quæ nunc tibi patefacit Eccleſia, ex Catechumenorum forte tranſgreſſo Gentilibus exponere mos non eſt: Non enim Gentili, quæ Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum ſpectant, myſteria declaramus; neque Catechumenis etiam de Myſteriis palam loquimur, ſed multa ſæpe tecte dicimus, ut qui norunt fideles intelligant, qui vero neſciunt non lædantur. Legatur locus pulcherrimus eiuſdem S.Cyrilli in Procatecheſi cap. 12. ubi iterum de non vulgando Symbolo, & myſteriis Gentilibus, & Catechumenis, ne iſti non intelligentes lædantur, & deriſui habeant.

S. Auguſtinus eadem habet de non vulgando Symbolo ſerm. 212. num. 2. tom. 5. & lib.

lib. de Symb. ad Catech. num. 1. tom. 6. Edit. PP. Maurin.

IV. Mirum eſt, quam crebris, & efficacibus verbis arcanum circa Symbolum commendet S. Petrus Chryſologus: fortaſſe aliquid incommodi acciderat in eius Eccleſia ex Symboli evulgatione. In ſex Sermonibus a 56. ad 62. de Symbolo ſemper id ipſum inculcat Catechumenis ex ea ratione, ne Gentiles lædantur, & irrideant &c.

V. Eamdem Arcani diſciplinam fuiſſe circa Euchariſtiæ myſteria, Sacramentum Confirmationis &c. patet abunde ex notiſſima Epiſtola Decretali S. Innocentii I. data anno 416. ad Decentium, quam ſic concludit: Reliqua, quæ ſcribi fas non erat, cum adſueris, interrogati poterimus edicere. Citantur etiam pro hac diſciplina Tertullianus de corona militis cap. 3. S. Baſilius Magnus lib. de Spiritu Sancto cap. 27. ſed perperam: quæ enim hi ſcribunt, ſunt ſolum in commendationem traditionis Apoſtolicæ, & ſolum negant ſcripto aliquo Canonico, & publicæ auctoritatis hæc myſteria comprehenſa fuiſſe.

VI. Præterea Concilii Illiberitani Canon. 34. prohibuit, ne Dei, & Trinitatis imagines pingerentur in Eccleſia Dei: id factum ratione Arcani, ne Gentiles ſæpius ad Eccleſias convenientes ſcirent Chriſtianorum myſteria, interpretantur Albaſpineus in explicatione illius Canonis; Scheleſtrat. de Diſcipl. Arcani cap. 6. art. 3. Bona Liturg. lib. 5. cap. 6. Pagius n. 5., & 6. Critices ad an. 57. Baronii. SS. Benedictus XIV. lib. 4. de Canonizatione SS. part. 2. cap. 2. ſed incerta aliquibus videtur hæc interpretatio.

VII. Diſciplinam hanc Arcani, præcipue circa Symbolum, Epiſcopos aliquos retinuiſſe uſque ad VIII. ſæculum patet ex Paulino Epiſcopo in Synodo Forojulienſi celebrata anno 791. apud Harduin. tom. 4. pag. 854., ubi commendatur ſymbolum non ſcribendum.

VIII. Cetera de diſciplina Arcani videri poſſunt apud citatum Scheleſtrat. Opere integro; & Bona lib. 1. cap. 16., & lib. 2. cap. 8. n. 1., & apud notatores ad citata ſcripta Patrum.

IX. Non obſtante tamen hac ſecreti diſciplina, S. Juſtinus Apol. 2. ad Antonium deſcribit omnes fere partes ſacrificii, in eoque mixtas fuiſſe Preces, Gratiarumque Actiones multiplices Reſponſiones populi &c, Eadem fuſius proſequitur S. Cyrillus Hieroſolymitanus Catech. 23. quæ eſt 5. Myſtag. Ex quibus apparet Liturgicam formulam fuiſſe ſatis longam, nec adeo breviſſimam, ut putant aliqui, id ſibi aſſumentes, ut tueantur opinionem de ea numquam ſcriptis tradita. Præterea idem S. Cyrillus pleraque omnia tradit de Sacramento Confirmationis Catech. 21. Myſtag. 3. & in aliis fere omnia de Baptiſmo. Formula vero Symboli ubique apparet in cit. Catecheſi, præcipue 4. & 14. licet ipſe adeo commendaverit, ne ſcriptis daretur; has enim Catecheſes vel ipſe ſcripſit, vel quod verius puto, exceptæ fuerunt ab eius Clericis, dum ex tempore ab eo recitabantur. Symbolum etiam chartis tradiderunt. Tertullianus lib. 6. de velandis Virginibus cap. 1. & lib. de præſcript. cap. 13. adverſus Praxeam cap. 2. Item S. Athanaſius: Baſilius de Fidei Confeſſione, Ruffinus citatus, S. Auguſtinus in pluribus locis, S. Petrus Chryſologus, S. Maximus Taurin. S. Irenæus lib. 1. cap. 2. Origenes initio lib. Periarchon, S. Chryſoſt. Homilia 2. de Symbolo.

Profecto mirum eſt, pleroſque ex his Doctoribus, qui tantopere ſilentium circa divina myſteria inculcaverant, eadem ſuis ſcriptis conſignaſſe. Quomodo ſibi conſtant Cyrillus, Auguſtinus, Petrus Chriſologus, Ruffinus, & in ſententia adverſariorum S. Baſilius, Tertullianus, &c.? Dicam facile ſi hæc diligenter res, alios minus, prout cuiuſcumque indoles, & periculorum occaſio ferebat. Secundo. Id maxime voluiſſe Patres, ut hæc non ſubiicerentur Gentilium oculis, aut Catechumenorum, quibus adhuc non ſatis fidebant. Hinc Tertio. Miſſalia non fuiſſe Codicibus conſignata, qui in vulgus ſpargerentur, ſed ſcripta huiuſmodi fuiſſe, vel apud ipſos Patres, vel apud Clericos, & Sacerdotes, qui Patribus loquentibus, quæ dicebantur excipiebant, & diligentiſſime ſervabant. Hinc Quarto. Maxime caviſſe, ne hæc ſcriberentur pagellis Litteris Miſſivis, quæ facile deperderentur, & in manus Gentilium pervenire poterant. Ceterum hæc omnia ſervata etiam ſcripto, præcipue apud Epiſcopos, & Sacerdotes in Eccleſiis, dubitari non poteſt, cum apud eoſdem ſervarentur libri ſacri, & Codices ſcripturarum cum maxima diligentia, & in iiſdem omnia divina myſteria contineantur.

Hinc Quinto. Credimus ex hac disciplina nullum solidum argumentum desumi posse, quo statuatur primis quatuor sæculis nullam scripto conservatam fuisse formulam Liturgicam apud Ecclesias, & Sacerdotes cum cautela jam indicata. Nam qui citantur horum sæculorum scriptores, dum ajunt hæc mysteria, & ritus haberi ex traditione non scripta, non scriptis consignata fuisse &c. & similia; id unice innuunt hæc non haberi ex scriptura ulla Canonica, & ex libris publicæ auctoritatis in Ecclesia, non vero negant generaliter inserta ulli libro, seu Rituali particularium Ecclesiarum: & in hoc sensu locutus est Tertullianus, Basilius, & Sanctus Augustinus: alioquin quis credat eos chartis consignasse, quod retinendum sola traditione in hoc sensu toties scripserunt? Immo si ex traditione constabant Preces, & Ritus Liturgici, impossibile erat conservari apud populos, & persuadere universas Ecclesias sine scripti adminiculo; apud Patres enim, & Theologos, id dicitur haberi ex traditione, quod non scriptum Libris Canonicis servatum est moribus Ecclesiæ; atque de illis testantur Scriptores per omnes ætates suis privatis scriptis: ex scriptoribus enim constat de traditione. At impossibile videtur tot scriptores in diversissimis regionibus Ecclesiæ Orientalis, & Occidentalis referre adeo uniformiter fere omnes Ritus Liturgicos, nisi legissent formulas sacrificales suarum Ecclesiarum servatas apud Episcopos, apud quos non dubitamus scripto repositas fuisse una cum symbolo, & aliis spectantibus ad administrationem Baptismatis, reconciliationis Pœnitentium, & aliorum Sacramentorum. Credat, qui voluerit, hæc omnia sola memoria tenuisse Episcopos, Diaconos, &c. qui tam multa in sacrificio ipso interloquebantur.

Ego non credam.

XI. At Patres cum impugnant vel hæreticos, vel adversarios aliquid immutantes de Ritibus Liturgicis, nunquam citant Liturgias scriptas, sed consuetudinem, & traditionem Ecclesiæ. Item Chrysostomus, & Basilius, qui suas Liturgias scripserunt, nullam laudant Veterem Liturgiam. Sed hæc nullius sunt momenti. Quid enim proferrent ad convincendos adversarios libros privatos, & particularium Ecclesiarum, qui non erant Canonici? Cum præcipue illis sæculis formulæ ipsæ sacrificales secundum diversum morem Ecclesiarum in pluribus accidentalibus discreparent. Ad Basilium, & Chrysostomum dico, quod antequam ipsi novam suam Liturgiam proponerent, utique in Ecclesiis celebrabatur sacrificium, unde non dubito fuisse illis suam formulam sacrificalem: hanc reformasse Basilium, & Chrysostomum tradunt historici; nec opus habebant illam citare, cum eamdem proponerent, paucis immutatis.

XII. At proferamus jam argumenta, quibus suadetur scriptam fuisse formulam Liturgicam primis illis sæculis.

Primo ab absurdo; nam si hæc omnia peragebantur memoriter, quot errores admissi fuissent a Sacerdotibus, cum nihil facilius, quam memoriam deficere circa Ritus & verba, præcipue in Viris senio gravatis, & actionis longitudine defatigatis! Hinc etiam originem duxisset mira deformitas in sacrificando, non solum in diversis Provinciis, & Sacerdotibus; sed in eadem Civitate, eodemque Sacerdote, quia una die orationes, & preces uno modo, altera diverso modo enunciasset; at ex antiquis Scriptoribus constat, constantem fuisse ritum, & orandi, & agendi in re tanti momenti. Nec eluditur hoc argumentum nunquam solutum a sententia opposita, fingendo priscis illis temporibus sacrificalem formulam fuisse brevissimam, paucissimosque Ritus complexam: nam toto cælo falluntur, qui ita scribunt: eosque satis redarguit S. Cyrillus Hierosol.; qui utebatur Liturgia non a se denuo cusa, sed antiqua Hierosolymitana: legatur Catech. 23. Mystag. quinta, & ex simplicitate Rituum, & Orationum statim apparebit, quam longe sacrificium protenderetur. Præterea Produs Constantinopolitanus Episcopus circa annum 434. in Tract. de Trad. Missæ testatur Chrysostomum, cui fuerat Amanuensis, & Basilium ideo præcipue Liturgiam reformasse, quia longior molestia afficiebat populum. Nemo autem dubitat Liturgiam, qua usi sunt Chrysostomus, & Basilius, ante suam reformatam antiquam fuisse, & jam usitatam tertio sæculo, & fortasse etiam secundo. Iterum interrogo, quis credet Liturgiam Basilii, & Chrysostomi peractas fuisse a Sacerdotibus memoriter? Multo minus igitur credam,

dam, Veterem longiorem nullum adminiculum habuisse ex Codice scripto. Plinius in sua dissertatione de hoc argumento num. 49. ingenue scribit: Cum floruerit S. Cyrillus sæculo quarto, dubium esse non potest, quin si pro Codice aliquo Liturgico ante ejus tempora scripto solidi aliquid afferri posset, sententia negans ullum hujusmodi Codicem quatuor primis Christi sæculis scriptum extitisse plane corrueret. At subjungit non corruere, quia Cyrillus non refert distincte verba, quibus comprehensæ erant Orationes, quasi ex formula concepta recitarentur. At nos ex eodem Cyrillo argumentum nostrum urgemus ita. Actio sacrificalis satis longa erat, ut refertur a Cyrillo in sua Ecclesia; plurimæ erant Preces, & Ritus; intermixtæ etiam responsiones populi &c.; At parum quid solidi cuipiam videri potest difficultas, & impossibilitas hæc omnia peragendi memoriter, ad adstruendum Codicem Scriptum? Secundo: Primis illis sæculis in Ecclesia sacrificii tempore lectum Evangelium ex Codice testantur Eusebius lib. 2. Hist. cap. 15. & alii apud Bonam lib. 2. cap. 7. num. 1. Item nemo dubitat psalmos, & hymnos in Codicem relatos, nec memoriter decantatos a populo. At quis credat partem præcipuam sacrificii, & quæ spectat ad Sacerdotem, caruisse subsidio libri cum periculo turpiter errandi?

Tertio: In Const. Apostolicis S. Clementis I. Papæ lib. 2. cap. 57., & lib. 8. cap. 5. & 6. habetur fere integra Liturgia, quam se ab Apostolis accepisse, & descripsisse dicit. Scio Scriptorem illius Operis non credi Clementem; at opus esse antiquum, & scriptum tertio sæculo plerique credunt apud Bonam lib. 1. cap. 8. 3. 4. immo conflatas has Constitutiones ex variis Opusculis Virorum Apostolicorum circa finem secundi sæculi concedit Eterodoxus Caveus in Clemente.

XIII. Quarto: Jacobum Minorem Fratrem Domini Liturgiam tradidisse, & scriptam perseverasse in Ecclesia Hierosolymitana, & pervasisse plerasque Orientis Ecclesias videtur certum: id agnovit Nicolaus Methones Episcopus, Marcus ipse Ephesinus, Card. Bessarion in Opusculo de Sacramento Eucharistiæ, Claudius Saintes in Præfat ad Liturgias Patrum cap. 8. Leo Allatius integra Dissertatione in suis Synomistis part. 1. pag. 176. Bona lib. 1. cap. 8. 5. 3. Marteuius, & alii non pauci. Difficultates quæ fiunt in contrarium, tanti non sunt, ut credere non debeant auctoritati S. Cyrilli Hierosolymitani, quæ refert pleraque, ut in hac Liturgia Jacobi: item auctoritati Procli Constantinopolitani de Traditionibus Missæ (quod frustra negatur esse ipsius; legatur Vincentius Ricardus in notis ad Opera Procli Romæ 1630. & Caveus) ubi diserte asserit Jacobum scripsisse Liturgiam; & demum Auctoritati Concilii Trullani Can. 32. quod scriptam asserit Jacobi Liturgiam. Celebratum fuit anno 691.

XIV. Quinto: Canonem nostrum Latinum, & Mozarabum etiam, scriptum ante sæculum quartum non levis est conjectura, quod nullum ibi recitetur nomen SS. Confessorum, sed tantum Martyrum. Cultus Confessorum haberi cœpit initio sæculi quarti, & ideo Confessores non apparent in Canone Nostro. Legatur SS. Benedictus XIV. lib. 1. cap. 5. num. 3, Bona lib. 2. cap. 12. num. 3. In Canone Mozarabo præterea oratur pro Hilario, Athanasio &c. tamquam pro spiritibus pausantium, & non commemorantur tamquam Sancti, quæ omnia ostendunt tempora antiquiora quarto sæculo.

XV. Circa hanc controversiam de Liturgiis scripto consignatis in quatuor primis seculis legendi sunt Le Brun in explicatione Missæ tom. 2. Dissert. 1. Ambrosius Gandeborse in Hist. Eccles. Synopsi tom. 1. Dissert. 5. Joan. Plinius de Liturgia Mozarabica ad frontem tomi 6. Julii Bolland. a 55. ad 5., qui non dissimulat se adhærere sententiæ neganti fuisse aliquam formam Liturgicam scriptam quatuor primis Ecclesiæ seculis; sed ejus argumenta mihi non solide probant. Honoratus a S. Maria Carmelita de usu Critic. lib. 5. dissert. 3. a §. 3. ubi pugnat pro scriptis Liturgicis. Legatur etiam Marten. lib. 1. cap. 3.

XVI. Sunt, qui putent S. Joannem Chrysostomum, & Basilium primos scripsisse Liturgias, quod quidem confirmant ex eo quod nullam anteriorem Liturgiam Patres isti laudant. Sed his apte respondemus verbis Claudii de Saintes in Præfat. ad Liturgias Patrum

cap.

cap. *6.* Postulamus, quod est in Dei nostri Religione usitatissimum, animadverti: Instituta, immo etiam antiquitus jam præcepta, sæpe iterum quasi nova præcipi, aut quia, nescio quorum culpa, desinant, aut non legitime observentur, aut quia, ne aliquando antiquentur obrepentibus hominibus vitiis, cautius sit prospiciendum &c. Id fecere Basilius, & Chrysostomus, non quod ante illos nulla fuerit scripta Liturgia.

AD CAPUT XIV.

P. PETRI LAZERI S. J.

De Persecutionibus in Ecclesiam excitatis Ævo Apostolico

DISSERTATIO XIX.

I. Apostolicum ævum quod dicitur, Trajani imperio conclusit Hegesippus *apud Eusebium lib.* 3. *Hist. Eccl. cap.* 22.; postquam *Apostolorum chorus, & omnis ætas, quæ a Domino susceperat vivæ vocis auditum de hac luce discessit*, ut eum locum vertit Rufinus. Hæc in illam ætatem laus ibidem confertur, quod singulari Dei Providentia fuerit a violentiori Hæresum incursu, & manifestiori libera; *corruptoribus veritatis, & Divini Verbi temeratoribus, aut nusquam omnino extantibus, aut etiam, si qui forte fuerant, in occultis, & abditis terræ biatibus delitescentibus*. Itaque vehementiori vi Persecutionis illius caruit, quam Augustinus *enarrat. in Psal.* 9. *vers.* 27. vocat *fraudulentam*. Habuit vero quam ille primam Persecutionem Ecclesiæ dixit, *cum proscriptionibus, tormentis, cædibus Christiani ad sacrificium cogerentur*, ejusdem Providentiæ illustriori documento; cum in Ecclesiam recens fundatam non solum portæ inferi prævalere non potuerint, sed quod Tertullianus *Apol. cap.* 5. postea animadvertit, *plures efficerentur Christiani, quoties a Paganis metebantur*. Quare valuit, valetque observatio Persecutionum ad Ecclesiæ Christianæ veritatem demonstrandam; quam PP. ita proposuerunt, ut ab infelici Persecutorum, & lapsorum Christianorum exitu modo eam repeterent, ut inter ceteros Tertullianus *adv. Scapulam*, & Auctor *de mortibus Persecutorum*, & Hieronymus; modo a Fidei inter has ærumnas propagatione, & Ecclesiæ perpetuitate, ut Arnobius & ceteri Apologistæ, atque Augustinus *de Civit.*; vel a Martyrum constantia, ut Athanasius *de Incarnatione Verbi*; spectato scilicet ingenti eorum numero, ætatis & conditionis variæ, vitæ anteactæ sanctitate, vel virtutis specimine in morte edito, aliisque adjunctis; sine quibus bene Nostri docent idoneum argumentum, non hinc confici ad Ecclesiæ veritatem ostendendam. Quas vero Persecutionis caussas PP. fuisse asserunt, vel Ethnicis intentandæ, vel Deo permittendæ; non omnes, sed aliquæ tantum valent in ævum Apostolorum. Imminutum Deorum cultum, & auctum numerum Christianorum ex Auctore *de M. P.* Ethnicis caussam fuisse asserimus insectandi Christianos hoc etiam tempore, non vero alteram, quam Apologistæ præsertim repetunt a calumniis, & criminibus Christianis affictis, quæ ad aliud tempus pertinet, quando Gnosticorum aliæque Hæreses invaluerunt. Si autem homini fas est *Deum*, ut Tertullianus ait, (*in Scorpiac.*

piae. cap. 7.) ventilare, haec videtur ob eam potissimum caussam Deus permisisse., quod Persecutio esset *Fidei documentum*, ut eam vocavit Hilarius *in Psalm. 118. lib. 12. n. 7.* & quemadmodum Cyprianus *in Epist. ad Lucium*; ut ad Ecclesiae hostes *confundendos*, *& retundendos ostenderet Dominus quae esset Ecclesia*.

II. *Census disciplinae* nostrae *a Tiberio est*; *cum odio sui coepit simul veritas, atque apparuit inimica esset*, vere omnino scripsit Tertullianus *Apolog. cap. 6.* Itaque a Tiberii tempore Persecutiones numerare possemus cum Augustino *lib. 4. de Civit. cap. 52.* primamque facere, *qua ipse Dominus crucifixus est*. Quod si numerandae sint, *quae ad corpus pertinent*, *non qua ipsum caput est appetitum*, *& occisum*, admonente eodem Augustino, plures Persecutiones occurrunt in Actis Apostolorum, 1. quando Stephano occiso *facta est Persecutio magna in Ecclesia, quae est Hierosolymis*; quando etiam *Saulus devastabat Ecclesiam per domos intrans, & trahens viros & mulieres tradebat in custodiam. Act. 8.* Altera Persecutio narratur *Act. 12.* cum *misit Herodes Rex manus, ut affligeret quosdam de Ecclesia; occidit autem Jacobum fratrem Joannis gladio, &c.* Harum Persecutionum primam anno 1. post Christi Domini mortem, idest juxta rationes nostras, anno vulg. aerae 30. collocamus, alteram anno 42. Nec vero Hierosolymis solum saevitum est in Christianos; & bene Henschenius (*Act. SS. ad 10. Febr.*) ex antiquis Martyrologiis SS. Andream & Aponium in altera hac Persecutione Bethleemii passos putat. Nihil tamen huc facere putamus, atque ad Ecclesiae Persecutiones pertinere, quod eodem anno ex Dione *lib. 9. pag. 668.* habetur; Judaeos prohibitos conventus agere. Quamvis enim Judaeorum nomine venire Christianos aliquando apud Ethnicos Scriptores non diffiteamur; tamen cum ibi multitudinem tantam Dio significet, ut sine tumultu Roma exigi non possent, id in Christianos convenire non videtur, recens Romam advecto Petro, quem primum Fidem in hanc urbem intulisse cum Irenaeo, Eusebio, Epiphanio, Chrysostomo, Theodoreto censemus. Aliam omnino rem, atque aliud tempus (Claudii annum IX. ex Orosio *lib. 7. Hist. cap. 6.*, & ex Josephi loco non illo quidem supposito, sed qui periit) significavit Suetonius *in Cl. cap. 25.*, cum de Claudio ait: *Judaeos impulsore Chresto assidue tumultuantes Roma expulit*. Hic quoque ex *capit. ult. Act.* Christianos intelligi debere negamus, quos proprio ipsorum nomine cognitos Suetonio fuisse ex alio ipsius loco (*Neron. cap. 16.*) liquet: falsumque omnino est, quod Binghamus (*Orig. Eccl. lib. 1. cap. 1.*) hic *omnes omnino eruditos* Judaeorum nomine Christianos accipere pronuntiavit. An vero Hebraei tantum peculiari ejus gentis odio; an, quemadmodum Valesius vult, peregrini omnes Roma expulsi fuerint, nobis non constat. *Chrestum* etiam qui a Suetonio nominatur (etsi ex Tertulliano, & Lactantio Christum Dominum errore ita appellatum a Paganis aliquando novimus) vulgaris hominis nomen fuisse arbitramur, sive Romani, ut Pitiscus contendit; sive, ut alii volunt, Graeci. Alias in Palestina adversus Christianos excitatas fuisse Persecutiones ex Jacobi Hierosolymorum Episcopi Martyrio certum exploratumque est. Eam Historiam, cujus auctor dicitur Hegesippus ab Eusebio *lib. 2. Hist. cap. 23.*, defendimus; excipimusque solum, quod additur; prope templum adhuc eo tempore fuisse, quod τῷ ναῷ, merito fortasse suspectum est viris doctis. Jacobum hunc, etsi fateri malumus eumdem esse, ac Jacobum minorem filium Alphaei, abstinemus tamen ab *imprudentiae* nota, quam recens vir eruditus ei opinioni inussit, quam Eusebius, Epiphanius, Nyssenus, Hieronymus adamasse videntur, atque hos secuti Florentinius, Combefisius, Henschenius; ut omittam Michaelem Glycam, Nicephorum Callisti, & plerosque Graecos recentioris aetatis.

III. His Persecutionibus omissis multi Vett. cum Orosio *lib. 7. Hist. cap. 27.* Persecutiones numerant X., totidem quot passus est Moyses a Pharaone *contradictiones*, quas decem *plagae* pariter secutae sunt. Duo nos asserimus 1. quod antiquorum nonnullis visum est, praeter illas, nullas unquam Ecclesiam passuram Persecutiones, usque ad postremam Antichristi; quam alii undecimam, alii cum Severo Sulpicio *lib. 2. Hist. Sac. cap. 23.* decimam dixerunt, similem plagae illi, *qua Aegyptii dum hostiliter persequerentur Hebraeos, in mari rubro, populo Dei per siccum transeunte, perierunt*; falsum id esse, & jure refutatum ab Augustino *lib. 18. de Civit. c. 52.*

Al-

Alterum est: etsi ibidem Augustinus plures alias Persecutiones coacervat, retinere tamen cum plerisque Vett. denarium illum numerum Persecutionum possumus; eas scilicet intelligentes, quæ vel plures mundi plagas comprehenderunt, vel publicorum edictorum, sive exquisitorum apparatu sævierunt, & in quibus præcipua quadam ratione periclitata est Ecclesia, antequam Christianorum Imperatorum edictis stabiliretur. Ex his Persecutionibus duæ ab Orosio, Augustino, Sulpicio, Auctore de M. P. ceterisque recensentur, quæ ad ævum Apostolicum pertinent, Neronis, & Domitiani, quibus plerique tertiam addunt Trajani. Hasce tres nos admittimus.

IV. Primus Nero (quo *dedicatore damnationis nostræ*, ut Tertullianus ait *Apolog. cap. 5. gloriamur*) in Christianorum Ecclesiam *tum maxime Romæ orientem Cæsariano gladio ferociit;* quod Ethnici ipsi Auctores testantur. Ad eorum *Commentarios* provocat Tertullianus, quo nomine intelligere putamus Taciti Annales præsertim *l. 15. cap. 45.*, & Suetonium *in Nerone cap. 16.* Quare idem *in Scorpiac. cap. 15. Vitas Cæsarum legimus; orientem Fidem Romæ Primus Nero cruentavit*. Hi vero dicendi modi faciunt, ut credamus primum omnino Neronem Romæ capite damnasse Christianos. Quamobrem suspecta nobis sunt quæcumque Romæ Martyria sub prioribus Imperatoribus narrantur, quale est S. Priscæ, si sub Claudio I. non Gothico collocetur. Nec vero aliquid Baronium adjuvat Tacitus *repressam Christianorum sectam* dicens. Vel enim de eodem Nerone intelligendum, ut multi faciunt; vel explicanda verba illa cum Henschenio *Act. SS. tom. 2. Jan. pag. 183.* de Pilato. Qui Priscam hanc putant, quam Paulus salutat *Rom. XVI. 3.* magis etiam urgentur, quod scribens alteram epistolam ad Timotheum sub Nerone eam iterum salutet. Nos diversam putamus; Priscamque & Aquilam eosdem, qui alibi Aquila & Priscilla vocantur; quos Martyres unus Veterum asserere existimatur Chrysostomus; non tamen nobis, qui eo loco (*oper. tom. 3. pag. 186. E.*) nihil aliud indicare videtur, quam gravia eos pro Paulo pericula adiisse; atque eodem sensu Martyres alibi (*oper. tom. 9. pag. 741. B.*) appellasse. Ceterum Priscæ illius, quæ die 18. Januarii colitur, Martyrium ignorasse videntur Veteres omnes, qui Theclam sub Nerone passam feminarum πρωτομάρτυρα appellant.

V. Theclæ antiquissima Acta quæ legebantur nomine *circuitus Pauli & Theclæ*, supposita tamen, ut Tertullianus & Hieronymus testantur, vix inducere in animum possumus nunc extare, atque illa esse, quæ Grabius vulgavit, supplevitque Thomas Hearne. Illud asserimus, Basilio Seleuciensi abjudicandum librum *de vita & miraculis Sanctæ Theclæ*, tum ob stili diversitatem ab eo, quem Photius Basilio tribuit, tum quod idem Photius testetur eum librum metro scriptum a Basilio: utroque autem modo scriptus, ut Tillemontius putat, nemo Veterum prodidit. Sanctæ huic Virgini præconia illa vindicamus, quæ apud PP. frequentissimâ occurrunt; *ut cum quid superexcellens de femina dictum vellent, eam Theclæ nomine donarent*, ut bene Baronius scripsit, & ex Hieronymo constat. Titulum tamen *Apostoli*, qui in libro cit. Basilii nomine, atque apud alios Græcos Scriptores ei collatus reperitur, suspicor ex *circuitu* illo depromptum, ex quo libro, Tertulliano teste *de baptism. cap. 17.* Hæretici colligebant, licere mulieribus publice in Ecclesia docere & baptizare, quod Thecla Paulum secuta palam docuisset, & baptizasset: nisi mavis ita excusare, atque in eo sensu accipere, quo, adnotante Spelmanno, *Apostola* nuncupata est Clothildis Clodovei uxor, quod prima fuerit apud eos Christiana: *& Apostolici* olim dicti sunt proximi ab Apostolis, antiquitate *& consanguinitate doctrinæ*, ut loquitur Tertullianus *de Præscr. cap. 32.*, atque ita Thecla vocetur ἰσαπόστολον quod feminarum antiquissima, & prima martyrii sui testimonio publico fuerit Fidem professa. Martyris enim titulum obtinuisse, & antiquissimum fuisse hoc nomine ejus cultum affirmamus, cujus testis Evagrius, Procopius, Nicæna II. &c. in Occidente etiam & Romæ, ut monumenta declarant, quæ Dominicus Georgius (*ad Adon. Martyrolog.*) protulit. Nihilominus Tillemontio assentimur contra Baronium pugnanti Theclam pluribus tormentis objectam, ignibus præsertim & feris, ut PP. dumtaxat docent, *in pace requievisse*; quemadmodum Romanum Martyrologium *die 23. Septemb.* Atque

hæc

hæc caussa fuisse videtur, cur ex Martyrologiis alii alium locum ejus recolendæ memoriæ deputent (in qua re explicanda mire se torquet Florentinius) quod alii locum passionis, mortis alii locum designent; cum vetustissimum Hieronymianum Epternacense, Sollerio teste, *orientem* dumtaxat nominet. Etsi de anno non constat, quo tormenta subivit, longius tamen ab eo tempore quo Iconii passus est Paulus: & supplicia quibus Thecla fuit destinata declarant, non Judæorum, sed Ethnicorum rabiem expertam.

VI. Hinc vehementer a Dodwello dissentimus (*in dissert. de paucit. MM.*) quod ille Neronianam Persecutionem intra urbis mœnia concludat, nos latius multo patuisse, & Orientis etiam regiones comprehendisse censemus, in quibus multi omnino Martyres extiterint. Hinc vero auguror ortam opinionem illam, quæ illis temporibus invaluerat apud Christianos, Neronem, vel ipsum esse Antichristum, qui jam advenerat; vel *translatum, ac vivum reservatum, Sybilla dicente; Matricidam profugum a finibus esse venturum; ut quia primus persecutus est, idem etiam novissimus persequatur, & Antichristi præcedat adventum*, ut est apud *A. de M. P.* Primum ex his opinatos esse *multos* testis est Hieronymus *in Daniel. cap.* 11. *v.* 27. alterum Augustinus nonnullis tribuit *lib.* 20. *de Civit. cap.* 19., & Sulpicius Severus *lib.* 2. *Hist. Sac.*; qui pariter *lib.* 2. *Dial. cap. ult.* testatur, id sensisse B. Martinum; Neronem & Antichristum simul venturos, atque alterum ab altero perimendum. Sybillæ versus quos A. commemorat, nunc quoque extant *lib.* 5. *Sybill. orac. v.* 364. & *lib.* 5. *v.* 91.; de quibus eadem quæstio est, quæ de ceteris Sybillinis.

VII. Primi Romæ MM. fuere, quos Ethnicorum *commentarii* narrant a Tertulliano allegati; cum nimirum Nero Romani incendii *aboleudo rumori subdidit reos, & quæsitissimis pœnis affectos, quos vulgus Christianos appellabat*, ut refert Tacitus *l. c.*; a quo *multitudo ingens* vocatur. Horum MM. commemoratio VIII. Kal. Jul. consignata est in Romano Martyrologio, sed multo recentiori ætate, quam ut hinc necis illorum verum diem, ut Lualdus facit, colligere debeamus. Necatos illos dicimus cum Papebrochio paullo post incensam Romam; cui incendio Tacitus *lib.* 15. *An. cap.* 41. XIV. Kal. Sextiles principium factum tradit L. Lecanio Basso, M. Licinio Crasso Coss. id vulgar. æræ 64. Ergo hos illo anno *primitias Martyrum Romana Ecclesia transmisit ad Dominum*; ut habet Martyrologium Romanum. Ante hoc tempus nullum dicimus Martyrem Romæ passum posse demonstrari. Itaque Neronianæ Persecutioni eo anno initium factum, quæ ferme duravit ad Neronis necem an. 68.

VIII. Quod apud Eusebium *lib.* 2. *H. c.* 25. Dionysius Corinthius tradit, Apostolorum Principes martyrium passos κατὰ τὸν αὐτὸν καιρὸν, hanc putamus interpretationem habere, ut unum eumdemque annum deputet utriusque passioni; quod diserte affirmat Liberianus catalogus, Epiphanius, Hieronymus, Leo Papa, Cassiodorus, Idatius &c. Itaque hoc malumus, quam quod Prudentius Arator, & Auctor Sermonis 205. *Append. Augustin.* (*tom.* 5. *oper. col.* 340. *num.* 4.) affirmavit, eodem die, sed non eodem anno passos. Diem hunc statui debere III. Kal. Jun. *exploratissimum* esse jure dixisse Baronium asserimus contra Dodwellum *l. c.* §. 14., neque illum esse diem translationis alicujus. Hinc colligimus Apostolorum Martyrium statui non posse ante annum vulgar. æræ 65. Ne vero ulterius differamus obstant anni Petri Successoribus assignandi. De loco Martyrii Principis Apostolorum, contra Baronium, Sommier, Ciaconium &c. assentimur Papebrochio, & Francisco Blanchinio, a quo vere dictum *in not. ad Anastas. in Petr. Consensus omnium ætatum docet in Circo Vaticano eum cruci affixum inter utramque metam Circi, prope quem locum Evaristus titulum superstruxit sepulchro, Constantinus Basilicam Vaticanam*. Vegius ceterique, qui *metam utramque* interpretantur sepulchra Hadriani & Cæstii, nugas agere velle nobis videntur. Cum vero Cajus, qui Zephyrino Papa floruit, apud Eusebium *lib.* 2. *Hist. cap.* 25. testetur *Apostolorum trophæa* in Vaticano fuisse, & in Ostiensi via; hinc, spectata etiam antiqua Christianorum disciplina, nisi aliter facere prohiberentur, Martyres in loco, quo passi fuerant, sepeliendi, & martyria ibi construendi, nolumus cum Papebrochio locum Martyrii S. Pauli longius removere ab Ostiensi via. Martyrii genus diserte significavit apud Eusebium *lib.* 3. *Hist. cap.* 1. Origenes; cru-

crucifixum fuisse Petrum capite deorsum demisso; Petri vero & Pauli Eusebius *lib.* 2. *cap.* 25., Tertullianus *de Præscript. cap.* 36. aliique, quos ad hunc Tertulliani locum congessit Christianus Lupus, ut jam de eo dubitare non liceat. Quam caussam intentatæ a Nerone mortis Græcus commentarius a Papebrochio productus *ad d.* 29. *Jun. num.* 13. *pag.* 416. *& pag.* 423. *num.* 27. narrat, fuisse ejus Imperatoris pellices duas ad castam vitam traductas ab Apostolis; cum eamdem Pauli rerum diligens scrutator Chrysostomus tradat non uno in loco (*lib.* 1. *adv. oppugnat. Vitæ Monast. n* 3. *tom.* 1. *pag.* 48. *in II. epist. ad Timot. hom.* 3. *num.* 1. *tom.* 11. *pag* 673.) veram fuisse censemus, atque ex traditione, vel monumentis antiquioribus fide dignis hos Scriptores accepisse.

IX. Quamobrem de Cæsaris, idest Neronis domo quosdam amplexos fuisse Christianam fidem arbitramur; quos Paulus *ad Philipp.* 4. 22. *Sanctos de Cæsaris domo* vocet. Nolumus enim cum Dorotheo, quicumque ejus nomine circumferatur ineptus fabularum consarcinator, in libro de LXX. discipulis (*tom.* 3. *Biblioth. PP. L. pag.* 429.) Cæsarem Dyrrachii Episcopum facere: præsertim cum videamus apud eumdem Chrysostomum *hom.* 46. *in Act. tom.* 9. *pag.* 349.) perhiberi, Paulum salutasse Neronis καὶ οἰνοχόον, καὶ παλλακίδα. Nec vero non assentimur iis, qui horum nonnullos Martyrium obiisse affirmant, præcipue Torpetem; de quo bene a Papebrochio (*Act. SS. d.* 17. *Maji*) & Sollerio (*ad M. Us.*) pronuntiatum; quantum illustris, & antiquus ejus est cultus, tantum incerta esse omnia, quæ de ipsius Martyrii historia, vel Sæculo VII. nota inveniuntur: quod idem de S. Evellio, quem esse *de familia Neronis* Romanum Martyrologium affirmat (*d.* 11. *Maji*), Pudente Senatore, & ceteris ferme dici potest. Et si duos Pudentes cum Papebrochio (*ad d.* 19. *Maji*) distinguamus, alterum antiquiorem SS. Apostolorum hospitem, alterum Praxedis, & Pudentianæ patrem Sæculo II., nihilominus de Actis, quæ a Pastore scripta feruntur assentimur Sollerio (*ad Mart. Usuard.*) *prudenter* dubitari posse, an ejus Scriptoris sint cui tribuuntur. An vero Pudens alteruter Martyr dicendus sit, qui in Kalendario Carthaginiensi *ap. Mabillon. tom.* 3. *Annal.* inscriptus fuerit, ut Fontaninus *Hist. Aquil. lib.* 2. *cap.* 2. suspicatur, nobis non liquet.

X. Martyrum plurimorum, qui Neronianæ Persecutioni adscribuntur, incertam esse ætatem lubentes concedimus, atque *ex sola vetustatis præsumptione* huic tempori fuisse adscriptos, ut de S. Clateo Papebrochius suspicatur *ad d.* 4. *Junii*. Epocham Martyrii Hermagoræ, quam eius Acta exhibent *nutantem esse*, & cum nulla Persecutionis Neronianæ mentio in vetustis Martyrologiis occurrat, ultra Neroniana tempora differri posse idem vir doctus *de SS. Gervas. & Protas.* § 5. & recens monumentorum Ecclesiæ Aquileiensis diligens scriptor *cap.* 3. observarunt. Gervasii & Protasii passionem, quam aliqui in hoc tempus conferunt, Baronius ad M. Aurelii rejecit *in Martyr.*, *& ad an.* 171. Nos Papebrochio accedimus, qui nihil certi haberi posse de tempore eorum Martyrii affirmavit *tom* 3. *Act. SS. Jun. pag.* 824. & ceteris eruditis viris, qui epistolam de illis *ad Fratres Italiæ* suppositam Ambrosio censent. Tempus quoque Martyrii SS. Nazarii, & Celsi, quod ipsum Neronis esse, Ennodius *Carm.* 18. tradit, ignotum fuisse Ambrosii ætate, testis est huius vitæ scriptor Paulinus; quod animadversum etiam a Sirmondo est *ad Ennod.* Ambrosio perperam adscriptum de his sermonem, & auctori Sæculi IX. tribuendum eruditioribus Criticis concedimus. Ab his, quorum Martyrii ætas incerta dicitur, excipimus SS. Processum & Martinianum, ac jure putamus scripsisse Sollerium (*Act. SS. ad d.* 2. *Jul.*) *constantissimam Ecclesiæ traditionem neutiquam eos esse dubitasse, qui SS. Apostolorum Petri, & Pauli carcere Mamertino detentorum custodes fuere, ab ipsis ad fidem conversi, baptizati, & paullo post Martyrii laurea donati*: qui etiam Dominico Georgio teste (*ad Ad. M.*) *in omnium Latinorum veteribus monumentis celebrantur*. Et si interpolata eorum Acta sint, nullum est tamen argumentum Tillemontii, & Bailletii ex *Prædestinato*, quo eos non satis tuto ad Sæculum I. referri arbitrantur. De Mamertino carcere, & Tulliano eadem est Sententia nostra, quæ Baronii, quam in altera Martyrologii editione an. 1588. copiosius contra Pompejum Ugonium defendit, probavitque Ricquius *de capit. cap.* 45.; eos diversos fuisse; atque hunc ad occidentalem Fori Romani par-

partem situm, Mamertinum ad Aquilonarem plagam.

XI. Incertitudinem hanc ætatis Martyrum fortasse fecit Scriptorum penuria, qui hæc litteris consignarent, quod nimirum, ut Papebrochius animadvertit *tom.* 4. *Act. SS. Junii pag.* 808. *in prima ubique consternatione verisimile non sit cuiquam in mentem venisse hæc scripto mandare*. Idem Notarios Ecclesiasticos constitutos vult *ad summum* Domitiano Imperatore; postquam sub Vespasiano, & Tito quietius agentes Christiani Ecclesiasticas res commodius ordinare potuerunt. Si quis id ulterius protrahere vellet, etiam post Domitiani tempus, libentibus nobis faceret, in eadem caussa incertitudinis, & penuriæ monumentorum. Nec vero libri Pontificalis, sive Anastasii auctoritas multum urgeret, quem narrantem multarum rerum constitutionem, aut falsi arguunt viri docti, aut benigne excusandum censent; ut nihil dicamus de laciniis antiquo illi Scriptori recentius assutis. Quid quod idem Fabiano Papæ dum similem institutionem tribuit, diu non perdurasse, aut rem neglectam fuisse significat? Utcumque sit, id sub Nerone factum, & diligentissime omnium Martyrum nomina recensita probare non potuit Dodwellus, atque hinc colligere Martyrum paucitatem. Ex antiquioribus hujus instituti testibus, qualis est Cyprianus; ex vetustioribus monumentis, nimirum Kalendariis Bucherii, quod ad Sæculum IV. pertinet, Mabillonii *tom.* 3. *Annal. Sæcul.* V. Martene *tom.* 5. *Thesaur. nov. anecd.* quod ab eodem habetur ejusdem ætatis, novimus, non omnes omnino Martyres, sed aliquos tantum certæ Ecclesiæ, vel regionis proprios, recensitos. Idem valet de Fastis, si hæc a Kalendariis distinguenda sunt, & ad profanorum fastorum normam confecti fuere, ut Papebrochius censet *ad Ephemer. Græco-Mosch.*; quorum meminit Tertullianus *de Coron. Milit. cap.* 13. Idem de diptychis, aliisque omnino monumentis, quæ antiquiora sunt Martyrologiis, quorum primum indicium Sæculo VI., & quidem Romani: ut male id extitisse ante SixtumV. Valesius negaverit. Ceterum non recte Dodwellus ex antiquis monumentis collegit Martyrum paucitatem. Addimus tantum abfuisse ut in his omnes Martyres nominarentur, ut ii etiam vicinarum & comprovincialium Ecclesiarum, ut plurimum omitterentur; aliqui etiam in aliena Ecclesia culti, cultum in propria non haberent, quod vel corpora deessent, vel eorum Acta; ut bene Ruinartius observavit *in præf. ad Acta MM. num.* 18. Joanni etiam Frontoni consentimus (*in prænot. ad Kalend.* §. 3.) in Kalendariis appositos fuisse eos tantum MM. *quorum dies festivo populi concursu, & publicis sacrificiis celebrabatur*.

XII. Apollinaris Ravennæ Episcopus Martyrium Vespasiano Imperatore consummavit, ut ex Adone, Beda, Agnello Bacchinius aliique docent. Alii præterea MM. nominantur Leontius, Hypatius &c. Neque omnes populari furore contra Imperatoris voluntatem, aut Præsidium necatos fuisse innuere videtur cum Theodoretus, qui *serm.* 9. *de curand. Gr. aff. tom.* 4. *pag.* 611. Vespasianum cum Tito adjungit Domitiano, atque inter Persecutores recenset, tum vero Hilarius eumdem Vespasianum nominans cum Nerone & Decio, *quorum in nos odiis*, ait (*sub init. lib. contr. Auxent.*) *confessionem Divinæ prædicationis effloruisse*. Quamobrem, quod scripsit Eusebius *lib.* 3. *Hist. cap.* 17. Vespasianum adversus nos nihil ἄτοπον gessisse, malim sic interpretari, ut singulare quoddam sævitiæ genus, & in persequendis Christianis diligentiam, sive etiam nova edicta proposita neget, non, quemadmodum post Rufinum interpretantur ceteri, *injuriam* omnino *nullam* intulisse Christianis.

XIII. Vere de Domitiano Eusebius *lib.* 3. *Hist. cap.* 17., eum Neronianæ impietatis, bellique, & odii adversus Deum successorem se professum fuisse scripsit: apud quem *lib.* 3. *cap.* 20. idem tradit Tertullianus, cujus locus extat *Apolog. cap.* 5. Quod Dæmonum instinctui excitatum movisse hanc Persecutionem tradit *A. de M. P.* non pugnat cum eo, quod Melito apud Eusebium *lib.* 4. *cap.* 46. affirmat; fecisse id Domitianum inductum malevolorum consiliis. Duo de hac persecutione affirmamus, eaque contra Dodwellum. Primum ac præcipuum est; Domitianum non exsilio tantum in Christianos animadvertisse, sed corporis cruciatibus, & capitis sententia. Itaque bene *crudelissimæ Persecutionis edicta ubique data*, Orosius *lib.* 4. *c.* 10. affirmat; Theodoretus *l. c.* πολλοὺς τῷ θανάτῳ παρέπεμψε παντοδαπαῖς κολαστηρίων ἰδέαις χρησάμενος scripsit: immo ex Brutio ipso, quem in sui præsidium

advocat Dodwellus, id constare dicimus, dum apud Eusebium *in Historia & in Chronico* narrat, vel alienos a Religione nostra -όντι διωγμὸν ϗ τὰ ἐν αὐτῷ μαρτύρια mandasse litteris. Si quæ enim non id diserte significare videntur; ex Tertulliano, Eusebio, ceterisque quos laudavimus, interpretanda sunt.

XIV. Quos Dio *lib. 67. pag. 766.* damnatos refert, quod in Judæorum mores transivissent, hos ipsos putamus fuisse Christianos; itemque Fidei Christianæ professionem, quod ibidem vocat crimen ἀθεότητος: hanc enim accusationem Christianis impingi solitam, ipsosque vocatos ἀθέους ex Vett. liquet, multique viri docti jam pridem observarunt. Itaque quos ibi nominat Flavium (ita enim legendum non *Fabium*) Clementem, Consulem, Domitiani patruelem, & Flaviam Domitillam ejus uxorem, Domitiani consanguineam, pro Christiana fide Persecutionem passos dicimus. Et Flavium quidem Clementem occisum a Domitiano, ex Scriptorum æque Christianorum, atque externorum testimoniis conficimus, quos diligenter persecutus est Baronius *ad a. 98. a 96.* Verissima nobis videtur conjectura Eduardi de Vitry *in Tumul. Fl. Clem. illustr.* Consulem processisse cum Domitiano XVII. nondum Christianum; post absolutos in Consulatu duos menses Christianis Sacris imbutum, & tandem eodem anno interemptum. Nullam extare hujus tanti Martyris illustrem memoriam, vel in Martyrologiis (maxime enim dubia est, quod sibi invenire aliqui videntur in Bucheriano, & Hieronymiano 9. die Novembris); quod Baronius miratur *ad a. 98. n. 7.* id confirmat quod de Notariis nondum institutis superius dicebamus: probamus vero Doctissimi Annalium parentis conjecturam, hinc factum, ut Clementi Papæ, quæ T. Flavii erant, genus aliaque tribuerentur. An id dicendum de antiqua Basilica S. Clementis viri docti judicent, quam tamen Hieronymus Clementi Papæ dicatam aperte significat *in Catal.* Ex pluribus feminis quatuor, vel quinque eodem nomine *Flaviæ Domitillæ*, quas bene Nicolaus Antonius, Eduardus de Vitry, recens Baronii Adnotator, aliique distinxerunt; quæ Fl. Clementis uxor fuit ex iisdem vett. Scriptoribus pro Christi Fide in insulam Pandatariam, seu Pandariam relegatam dicimus non multo ante Domitiani necem. Flavia Domitilla Plautillæ Fl. Clementis Sororis filia ex Eusebio *lib. 3. Hist. cap. 18.* Christianis Sacris cum matre initiata, primum a Domitiano in insulam Pontiam relegata, deinde Trajano Imperatore martyrium consummavit: atque hæc ea est, quæ die 7. & 12. Maji in Romano Martyrologio *Virginis* & *Martyris* titulum obtinuit; ut male Scaliger *ad Euseb. Chron. pag. 188.* primam ei laudem deneget, & cum Fl. Clementis uxore confundat. Quæ de ea traduntur in Actis SS. Nerei & Achillei suspecta nobis sunt, uti & Bollandianis, prudentioribusque Criticis *ad d. 12. Maji tom. 3. pag. 6.*

XV. Pauci præterea Martyres sunt sub Domitiano, de quorum Martyrio constet. De Valerio Lucæ in Etruria M. incerta esse omnia, uti de Paulino, cujus iste discipulus dicitur, Bollandus & Pinius docuerunt *in Act. SS. ad d. 29. Januar. & 12. Jul.*; utcumque strenue eos vindicet Florentinius. De S. Marco Atinensi Episcopo, etsi Passionis ejus Acta scripta ferantur sæculo II. a Salomone Atinensi Episcopo, sæculo deinde XI. ab Adenulpho Archiepiscopo Capuano recognita atque emendata, nihilominus Tillemontius *not. 3. in Persec. Domit.* nihil tuto de eo dici posse censet, præter pauca illa, quæ in sermone inveniuntur, qui Bonifacii Episcopi Atinensis nomen præfert. Papebrochius quoque, qui Marci Acta ab Adenulpho expolita recensuerat *tom. 3. April. pag. 551.* alibi postea in Actis recognoscendis SS. Nicandri, & Marciani *tom. 3. Jun. pag. 267.* Marci martyrium censuit spectare ad M. Aurelii tempora, atque ita primorum Atinensium Episcoporum seriem ordinandam, ut ante Marcum tres alii sederint incruenta omnes morte defuncti; Marcum vero ideo antiquiorem habitum, quod in catalogis Atinensibus non invenientes nomen a quo fuerit ordinatus, Petrum substituerint. Probabilis hæc nobis viri docti conjectura videtur, spectato scilicet more eorum temporum, quo a Petro factum dicebat, quod a quocumque Romano Pontifice fuerat patratum. Antipæ martyrium quod Apocalypsis *cap. 2.* commemoratur, in Domitiani tempora incidit. In populari seditione eum interfectum, contra id quod in *Martyrio* ejus a Papebrochio producto (*ad d. 11. April.*) legitur, nullo fundamento dici a Grotio *in*

cap. 2.

cap. 2. *Apocal.* & Dodwello affirmamus. Sub Theodosio bovem æneum instrumentum ejus Martyrii Constantinopoli allatum scribit Cedrenus *p.* 323. Non esse hoc novum, ut in Paganorum templis hominibus exurendis hujusmodi instrumenta servarentur asserimus; ut nullum hinc contra Acta repeti argumentum possit.

XVI. Alterum quod contra Dodwellum affirmamus est, Domitiani persecutionem non ita brevem fuisse, ut vix annum complecteretur. Recruduisse quidem illam anno Domitiani xv. cum Domitilla acta est in exsilium, putamus; sed multo antea excitatum, vel triennio ante Domitiani mortem, ut in Chronico suo Prosper; vel quadriennio, ut habet Chronicon Paschale, quod Petavius, Pagius, Blanchinius, aliique secuti sunt, ejus initium constituentes ann. vulg. æræ 93. Domitiani vero necem ann. 96. His accedimus, nec magnopere repugnamus Blanchinio aliisque, qui primam hujus Persecutionis originem referunt ad tempus, quo Domitianus se Deum, ac Dominum appellari jussit anno imperii 2. vulg. æræ 87. aut iis, qui Philosophorum nomine quos urbe expulit, comprehensos Christianos volunt. Quin etiam ita rem componendam, & Scriptorum varietatem putamus, ut ante Persecutionis æstum, sæpius Christiani vexati sint: quare *multarum sub Domitiano Persecutionum procellas* nominant Acta vetusta Sancti Ignatii. Sæpius etiam efferbuisse hanc Persecutionem illud confirmat, quod ex Hieronymo *in Catal.* anno Domitiani xiv. Joannes Apostolus in Patmos insulam relegatus est. Antea in ferventis olei dolium immissum idem Hieronymus *in Matth. cap.* 20. *& lib.* 1. *contra Jovinian. cap.* 14. tradit Tertulliani auctoritate, qui id ipsum narrat *de Præscript. c.* 36. cujus rei memoria in Ms R. consignatur die 6. Maii. Quod aliqui Domitiani Persecutionem videre sibi visi sunt expressam in nummo Isiaco apud Otrechtum, non illi verum credent, qui similia in Ægyptiacis monumentis sæpius occurrere norunt, atque ad Domitiani potius fortunam referent, cum habitu Isiaco occultatus latuit.

XVII. Quod Dio *init. lib.* 68. narrat a Nerva reos impietatis absolutos, τοὺς κρινομένους ἐπ' ἀσεβείᾳ ἀφῆκε de Christianis interpretamur, præsertim cum Eusebius cum in Chronico, tum *lib.* 4. *Hist. cap.* 20. inter exsules restitutos Joannem Apostolum commemoret. Atque id ipsum est, quod ait *A. de M. P.* occiso Domitiano rescissisque Actis ejus, *in statum pristinum Ecclesiam restitutam*; immo multo *clarius*, *ac floridius enituisse*. Quod Tertullianus *Apolog. cap.* 5. Domitiano id adscribere videtur; atque eum laudans Eusebius *lib.* 3. *Hist. cap.* 20. addit, missis edictis Persecutionem compressisse, ne pugnet cum vetustissimorum monumentorum auctoritate, interpretamur de Persecutione contra Servatoris nostri propinquos ab eo commota, quos liberos postea abire permisit, hominum humilitatem aspernatus: nam quod alii volunt a Domitiano reduci jussos, eo intermortuo rediisse Nerva Principe, contrariis AA. non satisfacit. Sub Nerva martyrium obiisse nonnulli dicendi sunt, ut Timotheus, si Polycratis narrationem recipimus, quam Photius legisse videtur, & Bollandus, ac Tillemontius defendunt. Id tamen non diffitemur in populari seditione accidisse, cum festum celebrarent *catagogium*, quod festum, etsi apud Græcos Scriptores fortasse nunquam occurrat, nihil tamen inde damni aliquid provenire *Actis* debet; cum similia vocabula ad significanda ipsa sacrificia ex Polluce habeamus, atque ex aliis ad funebres ceremonias designandas, quales illæ fortasse erant infernæ Deæ consecratæ.

XVIII. Ad Apostolicum ævum pertinet Trajani Persecutio. Tertiam hanc numerant Sulpicius Severus, Augustinus, Orosius. Ex Auctore vero *de Mortibus Persecutorum* nihil est, quod sententiæ suæ præsidium quærat Dodwellus §. 17. Nam quod affirmat *secutis temporibus* a Domitiano ad Decium, *multos ac bonos Principes Romani imperii clavum regimenque tenuisse*; Ecclesiam *nullos inimicorum impetus passam &c.* certe excusari explicarique quocumque tandem modo debet: Passam enim Ecclesiam, multaque passam, ipse quoque admittit ex Eusebio *lib.* 3. *c.* 32., qui divisim μερικῶς quamdam per singulas civitates populari motu adversus Nostros excitatam esse persecutionem affirmat. Contra id vero, quod ipse statuit in ea tractatione qua μερικῶς illas Persecutiones considerandas sumit; hæc nos asserimus.

XIX. Primo falsum esse dicimus; ad Imperatorem spectare solam Antiochenam Persecutionem, in qua passus Ignatius. Immo, quod

quod Catholici etiam nonnulli recentiores veriti sunt affirmare, nos asseveramus; novis edictis promulgatis movisse hanc Persecutionem Trajanum; quod ex Actis S. Ignatii M. iis, quæ latina ab Usserio edita, Græca a Ruinartio pro genuinis ab ipsis Heterodoxis habentur, colligimus. Diversum ab his edictum a Plinio in epistola ad Trajanum commemoratur, quo *betæriæ* prohibebantur: *betærias* autem de solis cætibus, in quibus Agapes celebrabantur, male interpretatus est Dodwellus. Quod præterea Dodwellus affirmat præter Ignatium, Rufum, & Zosimum neminem in Syria obiisse Martyrium, ex Polycarpi epistola apud Eusebium *lib.* 3. *c.* 36., revincimus, ex Ignatii genuina epistola *ad Romanos*, & ejusdem Actis. Tertio Dodwello negamus Judæorum dumtaxat infensis odiis adversus Christianos Persecutiones fuisse commotas. Simeonem ipsum Hierosolymitanum accusatum ab Hæreticis, testis est apud Eusebium *lib.* 3. *Hist. cap.* 32. Hegesippus; idque nequaquam est de Hebræorum Sectis intelligendum; de cujus etiam martyrio fidem omnino fefellit Dodwellus, cum affirmavit accusatum fuisse potius, quod ex Davidica stirpe oriundus esset, quam quod Christianus; cum Hegesippus ex utraque pariter caussa accusatum narret; Eusebius vero postremam tantum caussam afferat. Argumentum quod ille reperit, ex eo quod ἀθεότητος crimen a Gentilibus illatum Christianis, ad inferiores ætates spectet, nullum est. Contrarium enim ex Ethnicis ipsis Scriptoribus evincitur, & ex Christianis, qui eam veluti inveteratam accusationem proponunt; immo ex Actis ipsis MM., præsertim Polycarpi, quæ pro se laudat Dodwellus apud *Euseb. lib.* 4. *c.* 15., in quibus formula veluti jamdiu in usu inducta repræsentatur αἶρε τοὺς ἀθέους.

XX. Tiberiani ad Trajanum epistolam, quæ apud Joannem Malalam extat, & a Suida laudatur, haud equidem ausim defendere. Rationes tamen adversus eam, vel Cotelerii ex Eusebii silentio, vel aliorum ex ignota eo tempore divisione Palæstinæ in primam & secundam, atque ex titulis Trajano attributis, non adeo firmas judicamus, ut non ad eas probabilem responsionem adhibere possimus; multa alia præterea præterivisse Eusebium; sæpe a recentiore vetus aliquid proferri phrasi paullulum immutata, atque accommodata temporibus suis, quod recentissima ætate fecit Surius, aliaque hujusmodi, quæ eam epistolam paraphrasi potius aliqua ornatam, aut leviter mutatam, quam sine caussa totam confictam persuaderent; nisi aliter sentire Pagium, Vallesium, Tillemontium &c. videremus: a quibus tamen discedit Usserius. Quoad epistolam Plinii ad Trajanum, illa contineri illustre omnino testimonium multitudinis Martyrum interfectorum eo tempore existimamus; & male Eusebium, quod ita eam interpretetur, reprehendi a Dodwello.

XXI. Ex his quæcumque de Persecutionis hujus duratione Hæreticus idem affirmavit, refutamus. Et primo divinationem illam suam de tempore Martyrii Simeonis sub finem imperii Trajani ex caussa necis ei intentatæ. Cum vero diserte Eusebius in Consulatu Suræ, & Senecionis decimo anno ante Trajani mortem statuat, nihilque huic epochæ obstare videamus; eam cum Papebrochio *de Patriarch. Hierosol. tom.* 3. *Maji*, Tillemontio *not.* 1. *in Traj. Persec.* aliisque recipimus. Plinii Proconsulatum male circa Imperii Trajani initia collocat Dodwellus Trajani XII. Trajanum ann. X. ante obitum suum Persecutionem inchoasse scribit in Chronico Eusebius, & Prosper Consules adnotans Trajanum VII. & Africanum, quos Consules, & Fasti vulgo Idatiani dicti recensentes addunt; *His Coss. Persecutio Christ.* XII. annum ante obitum Imperatoris habet Chronicon Paschale. Eusebium & Prosperum sequitur ex Recentioribus Petavius *lib.* 3. *D. T.* consignans anno ær. vulg. 107., Blanchinus a. 106.. Pagius a. 107. auctam putat, atque ideo hoc anno ab Eusebio in Chronico consignari; qui omnes in eo conveniunt quod a. 117. consignent Trajani mortem. Quamobrem brevis non fuit, ut Dodwellus censuit. Nam etsi *ex parte frustratus est vetando inquiri Christianos*, ut Tertullianus scribit *Apolog. cap.* 5. ad Plinium nimirum scribens; nihilominus cum ibidem mandarit; *si deferantur & arguantur, puniendi sunt*, a Judæis vel Ethnicis delatos esse multos, multosque punitos fuisse nemo inficiare poterit.

XXII. Ex his constare arbitramur Auctorem de M. P. aut falsi arguendum, aut opportuna aliqua explicatione excusandum. Primum ex his concedit Nourry *dissertat.*

in

in Cæcil. cap. 6. art. 3. deceptumque eum non negat *aut librorum inopia*, *aut memoriæ lapsu*, *aut denique falsis rumoribus*. Nos animadvertimus, in exequendis aliis ante Diocletianeam Persecutionibus breviter nimium jejuneque versari. Itaque valet apud nos suspicio, non ea quæ ipse viderat, aut audiendo cognoverat a testibus spectatoribusque rerum, scripsisse; sed incertiorem rumorem quemdam secutum esse, aut monumenta hominum, quæ res fortasse regionis suæ dumtaxat narraverant. Cum vero in censu Persecutorum instituendo prætereat M. Aurelium & Severum, quos in eorum numero ceteri collocant, Orosius, Augustinus, Sulpitius Severus &c.; & Maximinum etiam quem Persecutoribus Augustinus, & Orosius adjiciunt: id vero omne faciat etiam Tertullianus *in Apolog. l. c.* eius popularis si ille Lactantius fuit, Tertullianum habitum præ oculis ab Auctore de M. P. arbitramur. Atque hinc, cum de Trajano Tertullianus solum narret, vetuisse Christianos inquiri; hoc Tertulliani effatum perinde ab eo acceptum, quasi esset a Persecutorum numero Traianus excludendus. Non id quidem revera sentiendum de Tertulliano, vel si ille Traianum excludit, laudatque, dicendus eo modo facere de Trajano, quo de Vero idest M. Aurelio (*Verum* enim non *Severum* habent probatissimi codd. eumque postea rursum nominat): vel quod Persecutionem aliquando inhibuerint, vel nulla nova edicta tulerint contra Christianos. Denique illud universim affirmamus, nihil prodesse Dodwello ad stabiliendam Sententiam suam de paucitate Martyrum, antiquorum Scriptorum testimonia; & multo fuisse diuturniores, ac sæviores Persecutiones, numero etiam plures, quam ille probare conatus est.

XXIII. Prudentius *contra Symmach. lib.* 2. *v.* 669. *&c.* Neronianæ Persecutioni, ceteris omissis adnectit Decianam. Male hunc locum ad Dodwellum defendendum produxit ejus suffragator Gisbertus Cuperus *in not. ad Lactant. de M. P.* Adversus hunc tuemur, quod ex Prudentio ipso contra Dodwellum attulit Mabillonius *Inter. Ital. tom.* 1. *part.* 1. *pag.* 139. 1. *edit.* Ceterum multa potuit priore illo loco spectare Prudentius cur præteritos illos Persecutores vellet. Nos inter cetera illud asserimus ad eum explicandum; de Domitiano idem fortasse opinatum, quod Tertullianus & Eusebius, illorum auctoritate inductum; Domitianum scilicet Persecutionem cohibuisse ad extremum, exsulesque revocasse: ceteros omisisse, quod crudeliores non fuissent in exquisitioribus novisque suppliciis adhibendis contra Christianos; qualia supplicia describere amat versibus suis Prudentius. Atque hoc sensu Tertullianus quoque potuit bonis Imperatoribus nullas, idest sæviores, & tormentorum novitate vehementiores Persecutiones, tribuere, sed malis dumtaxat. Nam qui probi habiti sunt ita in Christianos animadvertebant, ut usitata legibusque præscripta supplicia adhiberent quæstione habita, & servata utcumque legitima judicii forma; improbi fuere, & scelerati ad inusitata quoque supplicia descenderent. Ex eo Criticum Canonem statuimus ad discernenda Acta MM. sincera a vitiatis, sive confictis, dicimusque in Trajano, M. Aurelio, Severo, & si qui alii sunt probitatis aliquam famam apud Veteres consecuti, suspecta esse debere Acta omnia, in quibus exquisita tormenta quædam atque inusitata repræsentantur; ubi judiciaria forma servata sit, non populari tumultu res peracta. Rem longius etiam protrahere possemus, cum noverimus, in ceteris quoque Impp. genera quædam tormentorum inaudita solum torquendis Christianis adhibita, non in aliis, cum in eos quoque sævirent; eruditioribus Criticis suspecta esse solere.

XXIV. *Matidiam Augustam Imperatoris Cæsaris Trajani Sororem discipulam secretam S. Clementis* fuit qui in medium produceret (*Julian. Petr. in Advers. cap.* 75.) Nos Matidiam Marcianæ Trajani sororis filiam, Sabinæ Hadriani uxoris matrem novimus, neque hanc Christianam vetera ulla monumenta exhibent. *Illustrissimum Virum Præfectum urbis Romæ Hermetem* Ado in Martyrologio, & Acta Alexandri Papæ habent, eumque constantissime Martyrium pertulisse narrant. Hanc ei dignitatem asseruit contra Tillemontium Joannes Stiltingus *Act. SS. ad d.* 28. *Augusti* post Contelorium *de P. U.*, & historiam S. Hermetis vindicavit; cujus nomen *in tabulis omnibus celeberrimum hac die esse* Georgius *ad Adon* tradit; & Sollerius *ad Usuard.* clarissimum Martyrem *vetustissimo, & perenni cultu celebratum* ostendit ex antiquis Kalendariis, & Martyrologiis. Cœmeterium

rium etiam memorat Aringhius *lib.* 4. *c.* 34. aliique Romæ subterraneæ Scriptores, in quo extat eximium quoddam sacræ vetustatis monumentum. Hermetis martyrium spectare arbitramur ad annum Trajani XIX.

XXV. Inter illustriores Martyres sub Trajano merito recensetur Ignatius in Antiochena Sede post Evodium Petri Successor. Ex Actis Martyrii diem colligimus fuisse XIII. Kal. Januar. Sura, & Senecione Coss. id. a. vulg. æ. 107. quo Antiochiæ Trajanus versabatur. Scaligero mirum quoddam existimanti, Ignatium Romam mitti, cum judicium, & Gentilium, & Christianorum ad Provinciarum Rectores pertineret, respondemus; id jussisse ipsum Imperatorem, ut in ludis publicis P. R. spectaculum præberet, quod de insignioribus reis sæpe factum legimus. Alter, de quo diximus, insignis Martyr Simeon Hierosolymitanus Episcopus; cui qui successit Justus appellatus ab Eusebio, ab Epiphanio, & Syncello Judas, & Martyr alicubi appellatur, tamen Papebrochio *ad d.* 5. *Maji*, *& Episc. Hierosol.* nequaquam visus est aut Martyribus, aut etiam Sanctis accensendus, mortuus sub Trajano a. 113. Atque illud universim nobis asserere posse videmur, paucos hac ætate fuisse præcipuarum saltem Sedium Antistites de quibus vetera monumenta extent ad Martyrii lauream eis asserendam. Nam Anianus, Abilius; Primus seu Ephrem Alexandrini Episcopi, Martyres ab antiquioribus non memorantur, etsi de primo Adonis Martyrologium, & Romanum *ad d.* 25. *Apr.*. Evodio Antiocheno Martyris laudem vindicat Henschenius *ad d.* 6. *Maji*, ex Usuardi Martyrologio, & Adonis libello *de festiv.* licet nihil tale habeat in Martyrologio, dies etiam & Martyrii annus incertus: sub Nerone passum cum ipse Henschenius, tum Petrus Boschius vult *in Hist. Chronol. Patriarch. Antioch.* S. Marcus qui primus Alexandriæ sedit, is est, de quo recte Tillemontius *not.* 12. negavit dubitari posse, quin Martyrium pertulerit; quod & Baronius *ad ann.* 64. *n.* 1. ante statuerat. Acta quæ Henschenius protulit *ad d.* 25. *April.* atque eodem illo sæculo scripta existimavit, ad Sæculum IV. aut V. rejicienda esse contendit Tillemontius *not.* 1. Quæ tamen is objecit commode solvi posse existimamus. De anno Martyrii, etsi lubentes confitemur non liquere; malumus tamen Eusebio adhærere, illudque cum Sollerio statuere ad a. 62. ær. vulg. quam cum Tillemontio & Renaudotio *Hist. Patriarch. Alexandr.* ad a. 68. & componi posse existimamus Chronologicos characteres omnes in Actis assignatos; modo cum eodem Sollerio permittamus, non ita apte tunc Paschalem diem constitutum, ac postea fuit, quod ex Polycarpi etiam Martyrii die probamus.

XXVI. De Romanis Pontificibus idem nonnulli sentiunt, eos scilicet vere Martyrium non consummasse, ex quibus Tillemontius *in notis ad SS. Linum & Clementem*, Bailletus *in V. eorumd.*; ut Pearsonium omittamus *oper. posth. diss.* 1. *cap.* 4. aliosque Heterodoxos, quibus præcipuum argumentum est Irenæus, qui seriem texens RR. PP. neminem usque ad Telesphorum Martyrem vocat, etsi eos commendare velle videatur, atque uberius loquatur de Clemente. Contra hunc postremum Dominicus Georgius *ad Martyrol. Adon. d.* 23. *Nov. impia*, *& execranda* vocat, quæ ejus apud Dodwellum leguntur *in dubium*, inquit, *vocantem Clementis Martyrium*, *propterea quod Rufinus primus eum Martyrem appellavit*. Si de dubitatione loquatur, quam Dodwellus, & Pearsonius admiserunt de Clementis vero Martyrio, acrior & vehementior videri posset hæc censura, quam non effugere Catholici Scriptores possunt, eorumque recentissimus, ut unum aliquem nominemus. Remigius Ceillier *Hist. Auct. Sac. tom.* 1. *pag.* 599. Nos statuimus Martyribus accensendum Clementem, qui vere Martyrium consummaverit, aut certe tormenta pertulerit. Non utimur auctoritate Vasensis Canonis, in quo abesse verba quæ producuntur a vett. mss. testatus est etiam Harduinus *tom.* 1. *collect. CC. col.* 1789. Neque id colligimus, aut ex Canone Missæ, ubi etiam alii Pontifices recensentur, aut ex Romana Basilica tunc fortasse extructa, quando jam cœperat cultus Confessorum. Fatemur etiam Acta quæ circumferuntur suspecta merito esse viris eruditis, ex quibus temperantioris Criticæ Sollerius de iis scripsit, *ad tuendam eorum sinceritatem quasi in mari magno brevia occurrere*, *scopulos*, *& syrtes*; præsertim cum alia omnino ab iis habeat Menologium Basilii. Nobis videtur satis esse debere, vel unius Rufini auctoritas, quando

cum

cum Martyrologiis, & veteribus monumentis concordat a Cotelerio præsertim prolatis. De ceteris Romanis Pontificibus asserimus Martyres eos vocari, & coli debere; ex hoc tamen titulo solo non constare utrum mortem, aut etiam tormenta passi sint pro Christo; etsi proprie nomen illud sumatur, contra quam censet Petrus Boschius *Act. SS. tom. 1. Aug. p.* 113.

XXVII. Longe etiam absumus ab opinione eorum, qui omnes omnino, aut Christi, aut Apostolorum discipulos Martyres esse volunt. Nec in iis admittendis in Martyrum numerum, aut excludendis satis fidimus catalogo LXX. Discipulorum, qui Hippolythi nomen præfert *in Append. edit. Fabric. pag.* 41. etsi quinque ibi solum Martyres nominentur. Tichichum, Silam seu Silvanum (nam Hieronymus unum eumdemque hominem facit) Aristarchum, etsi Græci hic omnia involventes Martyrem faciant, ut *Bolland. tom.* 1. *Aug. pag.* 314. verum Martyrium obiisse non arbitramur. Sosipater & Jason discipuli ipsi quoque Pauli in pace decessisse dicuntur in Menologio Basilii, nec aliunde testimonium repeti potest eorum Martyrii. Epaphram, Sollerius *ad Usuard. d.* 19. *Jul.* negat adhuc reperisse, unde Adoni constiterit Colossis *Martyrii palmam virili agone percepisse*. Philippi Diaconi martyrii nulla apud probatiores Scriptores mentio; & in Martyrologio Usuardi, & Romano *requievisse* dicitur, quo verbo violenta mors excludi videtur. Græci die 28. Julii colunt Prochorum, Nicanorem, Timonem, Patmenam; qui in Adone inter Apostolorum festivitates una ferie, licet diversis diebus referuntur, dicunturque *apud Cyprum gloriosissime coronati*. Sollerius *ad Usuard. d.* 10. *Januar. aliunde incertam* esse hanc Martyrii lauream observavit. Syntyches S. Pauli discipula colitur die 22. Julii, non tamen ut Martyr; item Lydia purpuraria die 3. Augusti, & die 4. Perpetua. Excipiendum inter ceteros putamus S. Onesimum. Etsi non magnopere repugnare concedam unum Onesimum esse in Martyrologia relatum die 16. Februarii, eumque esse ipsum Philemonis servum, quem Paulus ἐν δεσμοῖς ἐγέννησε μάρτυρα, ut ait Nilus lib. 3. ep. 332., qui ideo, non cum Cedreno & Nicephoro sub Domitiano passus dicatur, sed ut Petavius & Henschenius, sub Trajano ann. 108., nec Tillemontii argumentis deterreri se jure fortasse Sollerius affirmet; nihilominus nobis duos esse persuadent Apostolicæ Constitutiones *lib.* 7. *cap.* 46., malum usque assentiri Cotelerio, qui hunc appellatum vult ab Ignatio *epist. ad Ephesios n.* 1. In Actis ejus apud Halloixium mentio fit Romuli *adjutoris*, & Papiæ *Spiritualis commilitonis*. De primo nihil hic affirmandum. Papiam martyrem non esse habendum Henschenius probavit *ad d.* 25. *Febr.* De Carpi martyrio dubitare videtur Papebrochius *Act. SS. ad d.* 26. *Maji*. In Menologio tamen Basilii in pace dicitur quievisse πλησθεὶς ἐν εἰρήνῃ, nec certiora suppetunt argumenta pro martyrio. Ibidem de Aristobulo fratre S. Barnabæ similis dicendi modus adhibetur πλησθεὶς, qui optime redditus in eo Basilii Menologio, quod latine etiam prodiit studio, & opera Em. Cardinalis Annibalis Albani *vitam consummavit*. Baronius *d.* 15. *Martii*, hoc Menologio laudato usus est phrasi *martyrium consummavit*. De Apostolis aliter omnino sentimus, etsi genus Martyrii in plerisque incertum, & de Actis præsertim S. Andreæ, Achajæ Presbyterorum nomine scriptis diversa, ac plane contraria affirment viri eruditi.

P. JOHANNIS THOMÆ RINALDI AUGUST.

DE PERSECUTIONIBUS

QUIBUS

PRIMO, ET SECUNDO ÆRÆ CHRISTIANÆ SÆCULO ECCLESIA EXAGITATA EST

DISSERTATIO XX.

I. QUum multæ res in Ecclesiastica Historia nequaquam satis adhuc explicatæ sint, tum perdifficilis admodum, & obscura semper visa est quæstio illa de *Numero Persecutionum*, quibus ad restitutam usque per Constantinum Magnum Ecclesiæ pacem invicta Christianorum Religio ubique locorum exagitata est (1). Quocirca *Magnus Augustinus* eruditissimis Libris de Civitate Dei (*Lib.* 18. *Cap.* 52.) recitatis aliorum sententiis, dubium plane in re hac se esse ingenue profitetur, totamque controversiam aliis resolvendam prudentissime relinquit. Decem enumerandas esse putavit *Paulus Orosius* (*Lib.* 7. *c.* 27.), ea ductus opinione, quod decem Ægypti plagis Christianorum Persecutiones prophetice figuratas arbitraretur. Verum excogitatæ, fictæque ab ipso Prophetiæ rem, & eventum ex æquo non respondisse satis eodem loco demonstravit *Augustinus* (2) Ex opposito *Severus Sulpicius* (*Hist. Sac. l.* 2.) novem tantum recensendas credit, aliique Scriptores modo plures referunt, modo pauciores (3). Sed quidquid sit de quæstione hac, quam sapienti *Augustini Parentis Optimi* (*Cit. cap.*) admonitione edocti, nimia præsumptione definire non audemus; illud nihilominus ratum, firmumque nobis est contra *Henricum* Dol-

(1) *Quibus artibus Christianam Religionem evertere universa conata sit Idololatria, quibusve modis de his triumphum egerit Ecclesia eleganter exponit* Jacobus Benignus Bossuet *in Hist. Univ. part.* 2. §. *XII. pag.* 311.

(2) *Ad conjecturam humanæ mentis non vero ad Prophetiam revocat cit. loc. Augustinus opinionem illam Orosii, qui lib.* 7. *cap.* 27. *confert Hebræos cum Christianis, Ægyptios cum Romanis, & decem illas plagas cum decem illis Persecutionibus concitatis ab Impp. Romm. contra Christianos. Videndus* Ludovicus Vives, *& nostri Instituti vir eruditus* Leonardus Coquæus *Comment. ad libros Aug. de Civ. Dei.*

(3) *Quinque Persecutiones tantum enumerat* Lactantius in libro de Mortibus Persecutorum : *verum eos solos Persecutores recensuisse, qui divinitus puniti funesta morte vitam finierunt, ex titulo libri, & ex ipsius contextu patet. Librum hunc de Mort. Persec. primus in lucem protraxit* V. C. Stephanus Balutius, *& cum amplissimis notis edidit Tom.* 2. *Miscell. part.* 1. *Deinde brevibus scholiis seorsim prodiit Oxon.* 1680. *in* 12. *ac tandem cum editis, sive ineditis animadversionibus Trajecti ad Rhenum* 1693. *opera* Pauli Bauldri. Prudentius *vero lib.* 2. *contra Symm. Neronianæ Persecutioni Decianam subdit omissis aliis. At Prudentius eo in loco totus est, ut cruciatus tantum, & cædes, quibus in Christianos sævierant Nero, & Decius, describat.* Johan. Mabillonius *in Itinere Italico* Dodvvellum *refellit ope* Prudentii *Hymn.* 11. *in quo innumeros Martyrum cineres laudat.*

Dodvvellum (*Differt. XI. inter Cyprian.*), pauciſſimos non extitiſſe olim, ut ipſe comminiſcitur, Eccleſiæ Perſecutores, nec paucos proinde ab illis Martyres factos: tantam ſiquidem SS. Martyrum turbam, quam Catholica Eccleſia in *Martyrologiis*, aut in *Officiis* Eccleſiaſticis celebrat, veram eſſe, nec fabulatorum, aut otioſorum Monachorum figmentum, plurima Patrum, & veterum Scriptorum probant monumenta, & præſentes, quas inſtituimus Diſputationes, facile inſuper, niſi nos valde amamus, demonſtrabunt. Sicuti ex hac tam ingenti Martyrum multitudine certum pro veritate Chriſtianæ Religionis argumentum deſumi poſſe non diffitemur contra Gentiles, & Mahumedanos (1), quam Revelatam Religionem ab hominis ratione dependentem faciens *Joannes Lokius* (*Eſſai Philoſophique Liv. IV. Chap.* 18.) peſſime erravit. At vetus, verumque proloquium eſt: *vix ægrotum ſomniare quidquam tam nefandum, quod non aliquis dixerit Philoſophus*. Porro nobiliores Eccleſias ſuos ſemper habuiſſe Faſtos, quos poſterior ætas *Kalendaria* vocavit, in quibus & Epiſcoporum Depoſitiones, & natales Martyrum conſignarentur, eaque *Kalendaria* Martyrologiis (2) fuiſſe antiquiora, oſtendit jam ſingulari Diſſertatione eruditiſſimus *Henricus Valeſius* (*Diſſ. de Martyr. Romano*, *quod edidit Roſvveidus*.)

II. Quamquam ſuſceptæ a nobis Diſputationis inſtitutum illud præcipue eſſe videatur, ut de iis Perſecutionibus agamus, quæ ab Ethnicis Principibus contra Eccleſiam excitatæ ſunt; non eſt tamen cur ſilentio hoc loco prætereamus illam, quæ altero anno a Chriſti morte Hieroſolymis a Principibus Sacerdotum, Scribis, & Phariſæis adverſus Domini Diſcipulos mota eſt: in qua lapidibus (3) obrutum omnium primum interiiſſe S. Stephanum (4) ejectoſque ex urbe illa fideles Apoſtolorum actus manifeſte declarant. Hos inter expulſum quoque Lazarum una cum Martha, & Maria ſororibus, Maſſiliamque

(1) *Vel ex hoc apparet Mahumedanæ Religionis abſurditas, quod ex principiis Judaiſmi, Chriſtianiſſimi & Iſmæliſmi, ideſt ex contradictoriis conflata ſit. Non eſt itaque quod Alcorani jactent divinitatem Mahumedi Sectatores. Quid enim in illo Deo dignum? Quam multa plagia? Quam inſulſæ fabulæ? Denique ejus novitatem nec ipſi quidem Mahumedani negant, probe gnari mille annis non multum ſuperare volumen illud ſacerrimum. Luculenter hæc omnia demonſtravit, qui totum* Alcoranum *cum notis, & refutationibus ſuis edidit* Ludovicus Maraccius *Patavii* 1698.

(2) Martyrologium, *quod nomen refert S. Hieronymi*, Euſebii Martyrologium *eſt. Hoc ex abſoluto exemplari Corbienſi poſt* Laurentium Monachum *primus in lucem emiſit* Lucas Dacherius, *ac quarto ſui Spicilegii volumine inſeruit. Deinde* Florentinius *illud a S. Uvandrillo nonnullis Sanctis locupletatum publici juris fecit cum ſuis adnotationibus, quibus addidit exemplaria Eſternacienſe, & Corbienſe, omnibus partibus abſoluta.* De Martyrologio Bedæ, *aliorumque, vide Diſputationem noſtram anno ſuperiori Peruſiæ editam, cujus titulus eſt.* „ De Romanis Pontificibus, qui ſecundo æræ Chriſtianæ ſæculo Eccleſiam gubernarunt *pag. 7. not.* 15.

(3) *Unum ex his lapidibus a quopiam Chriſtianorum collectum, in Italiam fuiſſe tranſlatum, &* Anconæ *repoſitum docet* Baronius *ad an. Ch.* 34. §. 305.

(4) *Affirmat* Pſeudo-Dorotheus, *qua die mortuus eſt Stephanus duo millia Chriſtianorum neci tradita fuiſſe una cum Nicanore Diacono inter ſeptem primos. Conſtat tamen Act. 26. v. 10. ſæviente ea perſecutione plures e fidelibus Martyrium ſubiiſſe. Annus quo mortuus eſt Stephanus* Baronio *eſt annus Chriſti 35. per diem unum inchoatus.* Petavio, Uſſerio, Tillemontio *annus ipſe, quo Chriſtus paſſus eſt. Aliis omnino incertus; atque his dies quoque Stephani ſupremus eſt in obſcuro. Si veteros audias, quibus aſſentimur, VII. Kalendas Januarii ad Chriſtum, quem viderat, evolavit. Neque enim alia videtur eſſe cauſſa cur jam inde a quarto, aut quinto ſæculo, ut ex* Auguſtino, *aliiſque colligitur, poſtridie Natalem Chriſti diem ejus martyrium Eccleſia celebraverit.*

que appulisse, æque in urbe Lazarum Evangelium prædicasse, ac tandem Episcopum constitutum Scriptoribus (*inter alios Natal. Alex. Hist. Eccl. sec. 1. diss. 17.*) id asserentibus non concedit rigidissimus censor *Johannes Launoyus* (*Diss. de Commentitio Lazari, & Mariæ appulsu in Provinciam*). An vero Maria hæc Lazari soror a Maria Magdalena, atque a muliere altera, quæ in ædibus Simonis Leprosi Christi Domini pedes delinivit (1), sit distinguenda, gravissime inter se digladiantur Auctores. Ex recentioribus *Casaubonus* (*Exerc. 14. in Bar.*), *Estius* (*Orat. 14. quæ est de Maria Magd.*), *Launoyus* (*Cit. Dissert.*), *Mauconduit* (*Dissert. sur Marie Magdalaine.*), *Anquetin* Parochus Legionensis (*Diss. de Maria Magdalena.*), *Tillemontius* (*Tom. 2. Monum. pag. 30.*), *Bailletus* (*Vies des Saints, mois de Juillet 22. jour.*), *Faber* Doctor Sorbonicus (*in Animad. ad P. Alexand.*), *Gallus Anonymus* (*Animadversiones in Diss. de Sancta Maria Magdal.*), aliique pro distinctione earumdem feminarum eruditissime decertarunt. At *Natalis Alexander* (*Hist. Eccl. Dissert. 17. sect. 1.*), *Bernardus Lamy* (*Har. in Evang.*), *Mauduit* (*Analys. des Evang. tom. 2.*), *Pezronius* (*Hist. Evang. tom. 2. pag. 337.*), ac omnium postremus *D. Trevet* (*Diss. de re hac*) Parochus Gomecourt unius mulieris partes tuentur. Quum vero hæc adeo celebris controversia neque ex Sacræ Scripturæ textu, qui ambiguus est, neque ex traditione, quæ varia est, neque ex Patribus, inter quos non convenit, dirimi utcumque, ac resolvi possit, saniorem viam nos inire existimamus, si cum *Augustino* (*Tractat. 49. in Job.*) nostrum in re hac suspendamus assensum, aut cum versatissimo *Calmet* (*Tom. 7. Diss. in tres Marias.*) dicamus, utramque probabilem esse sententiam. Ceterum Martham fuisse feminam illam, *Hæmorrhoissam* Evangelii, vel Edessæ Principem, purum, putumque credimus aliquorum Scriptorum commentum. Vera nihilominus scripsit *Ecclesiasticæ Historiæ Parens Eusebius* (*Hist. Eccl. lib. 7. c. 18.*), quum tradit, *Hæmorrhoissam* hanc Christo Liberatori suo in urbe Paneade æneam statuam erexisse; neque in oppositam sententiam nos inducere aliquando poterunt, quæ a *Reiscbio*, & *Basnagio* (*Hist. Eccl. T. 2. lib. 22. cap. 4. art. 8. p. 3322. Gall.*) producuntur conjecturæ. Nec minus reticenda videtur Persecutio altera, quæ Hierosolymis quoque anno post Christi mortem undecimo (quicumque demum ille fuerit) Herode Agrippa Auctore (2) crudelius erupit, quæque Petri Principis Apostolorum vinculis, ac Jacobi cognomento *Majoris* sanguine (3) decorata est. Omnes ex æquo Hispaniarum Ecclesiæ, ut *Baronius* (*Ad annum Ch. 44. §. 1.*) ait, profitentur, Apostolum hunc in Hispanias profectum, illisque Evangelium prædicasse. At quis Eruditorum ignorat, eas, quæ hujus rei afferuntur probationes, aut falsas esse, vel ita leves, ut nihil certi ex iis concludi possit? Sensit id *Baronius* ipse (*Ad an. Ch. 816. §. 49.*), qui priorem suam revocavit, vel saltem dubiam fecit sententiam. Placet item nobis ceteris Ecclesiæ Persecutionibus accensere Edictum illud Claudii Cæsaris, quo e Ro-

(1) *Accumbebat ad mensam Christus veterum more super lectulo triclinari aliquantulum a terra elevato, facie, atque capite ad convivas verso, & pedibus extrinsecus porrectis, iisdemque nudis omnino juxta consuetudinem, de qua vide* Balduinum de Calceo antiquo *cap. 11. & 26. ac* Julium Nigronium de Caliga. *cap. 2. §. 34. Demissius certe se gessit hæc mulier quam servi; nam illi referente* Petronio *Satyr. cap. 27. edit.* Burmanni *solebant aliquando capillis manus Dominorum abstergere; hæc vero abstersit etiam pedes.*

(2) *Hic* Herodes *fuit Agrippa Senior, qui etiam* Julius *vocari voluit, quod unica prodit Inscriptio Atheniensis apud* Sponium *sect. 10. Miscell. pag. 310. De vita, & gestis Herodum vide* Christophorum Noldium. *Extat in fine tom. 2. operum* Josephi *editionis Amstelod. an. 1726.*

(3) *Menologium* Basilii, *ut notat Florentinius in not. ad Martyrol. Roman. pag. 122. martyrium Jacobi Cæsareæ constituit, sed verius Hierosolymis occisus est, ubi Agrippa festum Paschatis agebat.*

e Romana Urbe ejecti sunt Judæi omnes, qui ut *Suetonius* (*in Claudio cap. 25.*) scribit, *impulsore Chresto assidue tumultuabantur*. Infelicem hanc sortem Christianis quoque eo deyentibus contigisse tam facile credimus, quam certo scimus *Judæorum* nomine, sive Græcos, sive Latinos Scriptores *Christianos* appellare consuevisse. Idem ferme judicium ferendum a nobis videtur de *Chresti* vocabulo, quo ab Ethnicis vocatum Christum Salvatorem non improbamus; etsi *Cl. Usserius* (*in Annal. Veter. & Nov. Testam. ad ann. Ch. 54.*) sibi persuadere non possit Christum Jesum eo loci ab *Suetonio* fuisse designatum. Quantum vero aberraverint nonnulli, quos inter *Lævinius Torrentius* (*Comment. in Tacit. p. 383.*), putantes per contumeliam *Chrestum* ab Ethnicis vocatum Christum Jesum, vel solum nominis etymon, quod *Bonum*, *Suavem*, *Benignum*, exprimit, vel unicus *Gisbertus Cuperus* (*in not. ad Lactantii lib. de Mort. Perf.*) satis evincunt (1). Sed jam ad totius Disputationis nostræ argumentum propius accedamus.

III. Prima itaque ab Ethnicis Principibus contra nascentem Christi Ecclesiam excitata persequutio fuit illa *Neronis* Imperatorum omnium sævissimi, quem *Lactantius* (*De Mortib. Perf. c. 2.*) *execrabilem*, ac *nocentem Tyrannum*, & *malam bestiam* justis titulis appellat. Vix de hac agere incipimus, quum subito investigabiles Chronologistarum dissensiones de anno, quo a *Nerone* indicta est, sese offerunt expendendæ. *Annalium Pater Baronius* eam revocat ad annum Christi *66.* quæ tamen sententia ab *Antonio Pagi*, cæterisque ex duorum annorum *Metachronismo* revincitur. *Eusebius* vero in *Chronico* (*in Chronico ad ann. 2034.*) anno Ch. 70. Imperii Neronis 14. *Memmio Regulo*, & *Verginio Rufo Coss.* reputat incœpisse. Ast *Eusebium* accuratiorem fuisse in Historia, quam in *Chronico*, viri eximiæ eruditionis (*Antonius Pagi in Crit. Baron. ad ann. Ch. 90. & Dodvvellus Diss. de Success. Primorum Romæ Episcop.*) jampridem adnotarunt. Nec immorandum a nobis est in *Fastis Idatianis*, qui hanc ad ann. Ch. 58. reponunt; quis enim sanus id ferat? Superest ergo, ut cum *Pagio* (*in Crit. Baron. & Diss. Ipat. pag. 2.*), & *Nicolao Toinardo* (*in not. ad Lactantii lib. de Mort. Perf.*) aliisque Persecutionis hujus initium ad ann. Ch. 64. ineunte circiter mense Augusto *Coss. C. Lecanio Basso*, & *M. Licinio Crasso* (2) probabilius consignemus. Quæ autem fuerint Neroni caussæ, ut lata lege (3) ubique Persecutionem indiceret, diligentius inquirunt Ar-

ãto-

(1) *Nomen* Chresti *Romanis fuisse usitatissimum ex Inscriptionibus, & Cicerone lib. 2. Epist. ad Familiares epist. 8. manifestum est. Has Inscriptiones legere poteris apud* Marcellum Donatum *Scholio in plerosque Hist. Rom. Scriptores pag. 436. quo loco omnes transcripsit, quæ Romæ habentur, traditque insuper hoc* Chresti *vocabulum nedum viris, sed & feminis fuisse commune. Putamus proinde errore nominis Gentiles Dominum nostrum* Chrestum *nominasse, opinantes nimirum proprium fuisse illius nomen.*

(2) Eruditissimus Norisius noster *in Genealogia Crassorum, quam exhibet in sua Epistola Consulari, ostendit Crassum hunc filium fuisse Licinii Crassi Frugi, qui anno 27. Consul inauguratus est. De C. Lecanio Basso legendus* Plinius *lib. 26. cap. 1.*

(3) *Neronis Edictum fuit hoc*: Quisquis Christianum se esse confitetur, his tanquam generis humani convictus hostis, sine ulteriore sui defensione, capite plectitor. *Hac criminatione passim pulsabantur Christiani, ut nempe generis humani hostes appellarentur. Eorum namque vivendi ratione mores, ipsamque adeo vitam humanam lædi existimabant Gentiles, quapropter dicebantur* ἄθεοι τῷ βίῳ, *ut est apud* Clementem Alexandrinum: *&* Tertullianus *in Apol. cap. 5. ait*: naturam ipsam Christiana superstitione conquestos fuisse violari; *nempe quod ab Religione, quæ videbatur naturæ convenientissima, & toto terrarum orbe recepta, tantopere abhorrerent. Dicebantur præterea Christiani publici hostes, quia Deorum, & hominum, totiusque naturæ inimici habebantur; quam falsam accusationem diluit* Tertullianus *in Apolog. cap. 34. Quum vero in publicos hostes, ut ait* Tertull. *cap. 2.* Omnis homo miles sit *hinc factum putamus, ut Gentiles passim Christianos, quos tales putabant, occiderent. Publico-*

ftores, *Hegesippus* (*L.3.cap.* 2.), ac *Nicephorus Callixtus* (*in l.* 2. *c.* 36.) eam neci Simonis Magi (1) e sublime in terram D. Petri precibus dejecti totam vindicant. *Martinus Polonus* Episcopus Consentinus ad Paulum refert, quod coram Nerone dixerit *figuram Mundi hujus per ignem esse dissolvendam*. Ad Paulum quoque, quod ad vivos revocaverit *Patroclum* quemdam, Neronis jussu occisum, *Joachimus Perionius* (*in Lib. de rebus gestis, vitisq. Apostol.*). Alii denique ex *Tacito* (*Lib.* 15. *Annal.*) ad Romanæ urbis incendium (2), de quo per invidiam caussati sunt Christiani, credunt motam Persecutionem esse revocandam. His procul dubio ambabus, ut Græci ajunt, manibus præberemus assensum, nisi gravissimi Scriptores *Suetonius* (*in Nerone cap.* 16.), & *Lactantius* (*cit. loc.*), & quæ habentur apud *Gruterum*, & *Scaligerum* veteres Inscriptiones (3) ad novum superstitionis genus, & maleficia, quibus Christiani passim calumniabantur verosimilius referrent, probabilioresque rationes alio nos non abducerent. Persuasum siquidem nobis est, præter peculiares cujuscumque Persecutionis caussas, quas infra erimus adlaturi, vel ex universa illa Populi, ac Romani Senatus lege, qua alium Deum colere vetitum erat, nisi quem Senatus approbasset, Gentiles persequendi Christianos, qui Christum, ut verum Deum colebant, occasionem arripuisse: vel ut *Justinus* ait (*in suis Apolog*), & *Eusebius* (*L.V. cap.* 1.) ex nefandis Hæreticorum moribus, qui quum Christiani reputarentur, facile eorum turpitudines, & maleficia Christianis aliis promiscue imputabantur: vel ex insana quadam erga falsos Deos religione: vel denique ex summa nostræ Legis ignoratione, ut pluribus demonstrat in Apologetico *Antiquus Tertullianus* (*Capp.* 2. 4. & 4.). Frustra proinde malæ Fidei Lactantium accusat *Jacobus Tollius* (*in not. ad Lactant. lib. de Mort. Pers.*) quod Neronianam Persecutionem Urbis incendio non adscripserit, quam tamen calumniam abunde revincit eruditus *Paulus Bauldri* (*in not. ad eumdem librum.*). Frustra quoque *Dodwellus* (*Diss. Cyprian. XI.*) incendium illud concitatæ a Nerone Persecutionis unicam caussam dicit, ut inde probet universalem non extitisse; præterquam enim in-

corum autem hostium capita Diis Inferis sacra erant, & iccirco eos impune occidere cuique fas erat: immo quandoque ad hanc rem præmium erat constitutum, ut habet Capitolinus *in* Gordianis. *De Christianorum falsis accusationibus legendus* Tertull. *in Apol. ejusque doctissimus commentator* Desiderius Heraldus, Minutius Felix, Arnobius, aliique.

(1) *Vide Disputationem nostram Senis editam anno* 1741. De Hæreticis, qui primo Ecclesiæ sæculo Jesu Christi Fidem oppugnarunt *num.* 2.

(2) *Quot diebus perduraverit incendium illud urbis Romæ, valde controvertitur*. Tacitus *lib.* 15. *Annal. pag.* 253. *edit. Parif.* 1608. & Suetonius *in Nerone ajunt: sex diebus, septemque noctibus ea clade sævitum. Uterque longe abiit a Lapide prisco, qui novennos commemorat dies; qui lapis exstat Romæ ad Basilicam S. Petri. Legendus* Justus Lipsius *in notis ad lib.* 15. *Annal. Taciti*.

(3) *Monet* Gruterus *in ruinis Pagi* Marquesiæ *hanc extare Inscriptionem*.

NERONI CL. CAIS.
AUG. PONT. MAX.
OB PROVINC. LATRONIB.
ET HIS QUI NOVAM
GENERI HUM. SUPER
STITION. INCULCAB.
PURGATAM.

Similis habetur apud Scaligerum, *eamque in Hispania in loco* Pisverga *vocato extare ait. De his dubitat ipse* Scaliger *in Animad. Euseb.* & Johan. Clericus *in Hist. duorum priorum sæculorum, sed nullam interim suæ dubitationis rationem in medium afferunt*.

incendio illi, ut monuimus, deputari nequeat *Orosii* (*L. 7. Histor. cap. 5.*), & *Lactantii* (*de mort. Persec. cap. 2.*) clarissima testimonia illius universalitatem plane conficiunt. Ad hæc Persecutionis hujus generalitatem probat, eundemque simul *Dodwellum* revincit innumera illa Christianorum multitudo, quæ per omnes Romani Imperii Provincias pro suscepta Fide martyrium subiit. Hos inter qui habentur illustriores, sunt *Apostolorum Principes Petrus, & Paulus*, quos Nero non occidit postquam Oriente rediit, ut contendunt aliqui, sed antequam illuc proficisceretur; undecimo videlicet mense exeunte ab incepta Persecutione, Christique anno 65. Plures item fuisse martyrio affectos ex ipsius Neronis familia dubitare non sinit *Apostoli* ad Philippenses (*Cap. 4.*) scribentis auctoritas. In numero quoque Martyrum sub Nerone recensentur *S. Ursicinus*, & *Valeria ejus uxor, & Apollinaris* Episcopus, qui Ravennæ passi sunt; quos inter reponeretur a nobis *S. Marcellus*, ut nonnulla habent Martyrologia (*die 7. Octobr.*), si accuratissimus *Florentinius* nos non admoneret (*in Notat. ad Martyr. pag. 602.*), a nullo penitus recognosci. His addendi sunt *S. Paulinus* Lucensium Episcopus, & Patronus Pisis martyrio affectus, Nepesinus Episcopus *S. Romanus*, in Hispania *S. Polycetes*, aliique pene innumeri, quos ob temporis diuturnitatem penitus esse in obscuro nemo non novit. Quod vero ad hanc Neronis Persecutionem non revocemus *Gervasium*, & *Protasium*, *Nazarium*, & *Celsum*, ac *Perpetuam* eorum matrem, qui omnes Mediolani passi esse dicuntur, nullus certe mirabitur, cui notum sit, cum *peritissimo Scriptorum veterum Tillemontio* (*T. 2. Monum.*) ex recentioribus tantum, atque ex falsa *Sancti Ambrosii* epistola (13.) id totum esse derivatum. Ut autem de istorum, quos recitavimus, martyrio constitutum est inter Scriptores, ita dubium omnino de genuinis eorum Actis. Quum ea magna ex parte deperdita sint, aut saltem vitiata, quæ a septem illis Notariis, per *Clementem Pontificem* constitutis (1), atque ab Ecclesiis aliis diligentissime conscribebantur, summa in rerum ambiguitate versamur. Bonum illud, quod ad seligenda a spuriis sincera Acta pertinere videbatur, hoc summi ingenii Viros *Johannem Bollandum, ejusque doctissimos Successores, Bailletum, Tillemontium, Ruinartium* propositis ad id certis Criticæ regulis, effecisse gravissimorum hominum sententia est. At *Honoratus a S. Maria* (*de regulis, & usu Critices Diss. IV.*) graves eorum methodo indixit difficultates, aliique contra istos Auctores novas querelas vehementius instaurarunt. Non arbitros sedere nos statuimus, *quem enim*, ut Cicero ait (*L. V. de Finib.*) *addubitare non coget doctissimorum hominum de maximis rebus summa dissensio?* Mediam tamen viam inire, certosque canones proponere nos posse confidimus, quibus de sinceris Martyrum actis absque periculo judicemus; sed si eisdem intemperanter abutimur, *quid tam constans, ut dubium non videatur?* Ex hac quoque veterum Actuum jactura, quam sub Diocletiano præsertim passa est Christi Ecclesia, factum existimamus, ut singulorum Martyrum cruciatus nobis ignoti sint. Sub Nerone tamen usitatius supplicium, cum *Ta-*

cito

(1) Clemens Papa *quatuordecim Urbis regiones in septem contraxit, quas septem Notariis distribuit, qui Martyrum acta, aliasque res Ecclesiæ conscriberent. Id autem, ut notat* Augustinus *de Doct. Chr. lib. 2. cap. 26. &* Hieronym. *in Esaiam cap. 13. & alibi per notas, quæ* σιγλαι *dicuntur celeritatis causa fiebat. Hi Notarii postea* Regionarii *sunt appellati, quorum Præsidens* Primicerius Notariorum *dictus summæ erat dignitatis, & sede vacante ipsi concredita cura Ecclesiæ una cum Archipresbytero & Archidiacono. Hi septem gesta singula Martyrum conscribebant, nomen notantes, tormenta, dicta, ac tandem sententiam judicum. Huic sollicitudini caussam dedere Sacerdotum, aliorumque impiorum hominum confictæ in Christianos calumniæ. Opportunum itaque erat recensere Martyrum gesta ad has calumnias tollendas, atque ut innocua Christianorum vita, & vera Christi Religio innotesceret. Hæc Acta avide deinde a Fidelibus legebantur, qui per mutuas epistolas fiebant de agonibus certiores, & acta ab una Ecclesia accepta viciniori transmittebantur, & ab ista aliis. De hac*

con-

cito illud fuisse credimus *vivicomburii* (1), ut alligati scilicet axibus, & pice illiti, ac tunica molesta (2) induti per totam noctem ardentes usum luminum vigilibus præstarent. Ferarum item tergis sæpissime involvebantur, ut laniatu canum interirent (3): nec omissa est Crucis pœna, quam non apud Syros tantum, Ægyptios, Persas, Africanos, Græcos, & Romanos, sed & apud Hebræos in usu fuisse contra negantes Judæos defendere non dubitamus. Romanos vero consuevisse, clavis cruciarios affigere certum reddunt *Senecæ* (*de Vita beata*), & *Flavii Josephi* testimonia, idque quatuor tantum, & absque suppedaneo ab ipsis fuisse præstitum, ut magis verum existimamus. Quare libentius illis adstipulamur, qui ita in crucem actum Christum Jesum defendunt. Hanc autem Christi Crucem non erectam, sed in terra jacuisse, dum configeretur, quamvis Pictoribus, ac piis meditationibus occupatis hominibus verosimile videatur, a nobis tamen cum *Bynæo* (*de morte Christi lib.* 3. *cap.* 6.) & *Justo Lipsio* (*Not. in* 2. *lib. de Cruce cap.* 10), non probatur. Mens interea non est persequi plura de Cruce, & cum *Gretsero* (*Diss. de Cruce*.), *Lamy* (*Diss. pariter de Cruce in Harm. Evang.*), *Casaubono*, *Salmasio*, ac nostri instituti viro apprime docto *Angelo Rocca* (*Diss. de S. Crucis Particula*.) grandia volumina de his rebus construere: *dementia enim nolis* cum Seneca (*Epistol.* 49.) *videtur dicere supervacanea in tanta temporis inopia* (4). Unum tamen hic missum facere ex *Tacito* (*cit. lib.* 15.) non volumus, quod Martyrum supplicium augere videtur; nempe omnia hæc a Nerone sævissimo in *Circo* (5) in suis hortis extructo Populo exhiberi consuevisse. Annis tribus, ac mensibus decem Neronianam hanc perdurasse Persecutionem nullus, ut credimus, in controversiam vocabit, cui notum sit annum Christi 68. & diem nonam Junii insignes esse Neronis nece, quum *dejectus*, ut Lactantius ait (*cit. lib. c.* 2.), *fastigio Imperii, ac devolutus a summo tyrannus impotens* in Suburbano Phaontis Liberti sui prope Romam

consuetudine videnda est Epistola Encyclica Smyrnensis Ecclesiæ *de martyrio* S. Policarpi, Antonius Dandinus Altaserra, *&* Franciscus Bencinus *in notis ad Pontif. Damasi, de S. Clemente*.

(1) *Vivicomburium supplicium erat, quo malefici, & Magi animadverti solebant, ut habet* Paulus *lib.* 5. *sent. tit.* 23. Lucianus *in Asin.* Heliod. *Ætiop. hist. lib.* 8. Clemens Alexand. *lib.* 4. *Strom. Quum itaque Christiani a Gentilibus tales reputarentur eo supplicio expungebantur. Quare* Tertullianus *lib. ad Scapulam conqueritur Christianos ita puniri, quum nec sacrilegi, nec publici hostes essent. Quum vero comburendi erant, eorum manus in tergum retrorsum revinciebantur, ut scribit* Prudentius *in agone* S. Fructuosi, *& vetus Martyrologium de eodem agone. Quandoque clavis affigebantur, ut constat ex agone* S. Polycarpi *apud* Eusebium. *Vide* Desiderium Heraldum *in comment. ad Apol. Tertul. pag.* 184. *&* Antonium Gallonium *de SS. Martyr. Cruciat. cap.* 8.

(2) *Tunica molesta erat indusium cera litum, quo fontes tæda, & papyro circumdati supervestiebantur, illisque guttura figebantur ne se curvarent. Ita hac tunica liti, & axi semissali alligati farmentorum ambitu comburebantur: unde* semaxii, *&* farmentitii *vocabantur. Conferendus Scholiastes Juvenalis adversus illos* Pone Tigillinum: tæda lucebis &c. *qui procul dubio de Christianis dicti sunt*.

(3) *Modum, & figuram exhibet eruditus* Cuperus *in notis ad Lactan. librum de Mort. Persec. qua Christiani in* Amphiteatro *ferarum tergis contecti dilacerabantur*.

(4) *De Cruce, stipitibus, modis, quibus Christiani appendebantur multa eleganter disserit laudatus* Gallonius *cit. lib. cap.* 1.

(5) *In valle Vaticana erat Neronis* Circus, *ab ipso extructus, ut habet* Tacitus *lib.* 14. *Annal. & constat ex Obelysco* 72. *pedum primum prope sacrarium S. Petri positum; deinde a* Sixto V. *in medio fori translatum, cujus meminit* Plinius *lib.* 36. *cap.* 11. *Majorem hujus* Circi *partem occupat modo magnificum S. Petri Templum. Legendus* Flaminius Nardinius *in li-*

mam ad quartum lapidem inter Salarias, & Nomentanas vias seipsum misere occidit (1). Mirari proinde subit quorumdam veterum persuasionem, qui opinati sunt Neronem non esse mortuum, sed vivere adhuc, & venturum ante sæculi finem, immo & ipsum fore *Antichristum*: quis enim adeo in litteris peregrinatur, ut fabulam non comprehendat (2)? Hanc certe non confinxerunt olim Christiani, ut putat *Jacobus Tollius* (*in Not. ad Lact. cit. loc.*), eos mendacii impudentissime perstringens, eamque numquam credidit *Firmianus Lactantius*, ut probare conatus est *Joseph Isæus*; sed tota, quanta est Ethnicis qui eam mundo invexerunt, est deputanda. Venturum nihilominus, neque nondum advenisse scimus *Antichristum*, atque una cum eo *Enochum*, & *Eliam* contra *Georgium Callixtum* (*Tractat. de Supr. Jud. ea parte, in qua de signis agit*), & *Henricum Bœcleri* (*Hist. Univ. p.* 210) quos licet translatos esse dicamus, intuitiva tamen summi Numinis nondum visione potiuntur. Sed jam de altera Persecutione dicendum est.

IV. *Interjectis* igitur, ut loquitur Lactantius (*C. 3. cit. lib.*) *aliquot annis alter non minor Tyrannus exortus est*, Domitianus nempe, cui cognomen *Nero* fuit a crudelitate. (3) Magno rursus dissidio inter se committuntur *Chronologi*, cuinam Christi anno persecutionis hujus initium sit deputandum, Ad annum Christi 90. eam locat in suis Annalibus Baronius sub Consulatu *Trajani*, & *Glabrionis*. Verum irritum illi effluxisse laborem pluribus demonstravit accuratissimus *Pagius* (*in Crit. ad ann. Ch. 90.*). *Chronicon Paschale*.

libro cui titulus „ Roma Antica *lib. 7. cap. 13. pag.* 483. *edit.* 1704. *De ludis cui in* Circo *fieri solebant copiose agit* Panvinius noster *singulari libro* „ De ludis Circensibus, Rossinus Rom. Antiq. *lib. 5. cum additionibus* Dempsteri *ad cap. 5. Erant hi ludi ad formam præsertim* Olympicorum *apud Græcos*. Gimnicos *etiam appellabant, a Gimnis ludis sive exercitationibus, quæ in iis exhibebantur. De coronis vero, quæ sive in Olympicis, sive* Circensibus ludis *victoribus dabantur, differit* Carolus Paschalius lib. de Coronis. Circus Soli *sacer erat, ludi vero* Cereri, *ut refert* Tacitus *lib. 15. Annal. Vide* Hieronym. Mercurialem *lib. 2. artis Gymnicæ cap.* 12. Julium Bulengerum *lib. de re hac edito, &* Johan. Savaro *ad Sidonii sui carmen* 23. *Primus omnium* Tarquinius Priscus *V. Romm. Rex Circum maximum extruxit teste* Plinio *lib.* 1. *inter Palatinum, & Aventinum montes situm, longitudo ejus erat trium stadiorum, latitudo quatuor jugerum. Præter hunc Circum maximum alii progressu temporis sunt extructi*. Publius Victor *in libello* de Regionibus Urbis *octo vel novem enumerat; videlicet*: Circus Flaminius, *qui collocatur Regione urbis nona. In prima regione* Circus Antonini Caracallæ *cum obelysco. In sexta duo memorantur, alter prope portam Collinam, alter* Circus Floræ, *sive* Floralium. *Regione decima* Circus Alexandri Imperatoris: *Regione undecima præter circum maximum, erat* Circus intimus *antiquiore nomine* Circus ad murum *dictus. Erat &* Circus Domitiæ, *&* Circus Vaticanus, *quorum mentio est apud* Victorem, *& alios*.

(1) *Refert* Suetonius in Nerone *ipsum funeratum esse impensa ducentorum millium, & reliquias ejus Domitiorum monumento conditas, & fuisse qui per longum tempus vernis, æstivisque floribus tumulum ejus ornarent*.

(2) *Errorem hunc de* Nerone *venturo in fine mundi refutant præter* Lactantium, *Ecclesiæ veteres Patres; ut* Hieronymus *in cap.* 11. *Danielis;* Augustinus *lib. 20. de Civ. Dei Cap.* 19. Ambrosius *in 1. ad Corinth. cap. 4. v. 9.* Chrysostomus *in 2. Tessal. hom. 4. & serm. de Elecm.* Severus Sulpicius *hist. sac. lib. 2. cap.* 29. *Legesis* Johan. Columbi *in not. ad* Lactantii *lib. de Mort. Persec.*

(3) *Ob crudelitatem vulgo vocabatur* Nero Domitianus, *&* Nero Calvus. Juvenal. *&* Calvo serviret Roma Neroni: *&* Ausonius *lib. de Cæsar.* Cæsar, quem calvum dixit sua Roma Neronem. *Et* Tertullianus *Apol. cap.* 5. Tentaverat & Domitianus pronomine Neronis de crudelitate. *Tyranni vero elogio Domitianum etiam infamavit Epitomes, quæ* Aurelio Victori *tributur*.

le (1) a *Clarissimo Ducangio* editum initium adnectit anno Christi 92. non autem 93. ut censet *Pagius*. Sed quid de hujus *Chronici* fide, & auctoritate, quae certe parva est, dicendum sit, Eruditi jam sciunt. Neque forte tempus legitime consignant *Dodwellus* (*cit. Diss.* 11.) & *Gisbertus Cuperus* (*in not. ad Lact.*) qui ex *Brutii* verbis (2) apud *Eusebium* (*in Chron. & in hist. l.* 5. *cap.* 18,) contendunt nonnisi Christi anno 95. Ecclesiam fuisse a Domitiano vexatam: siquidem a *VV. CC. Antonio Pagio* (*in Crit. Baron.*) & *Theodorico Ruinartio* (*Praefat. in Acta Mart.* §. 3.) responsum est, nihil aliud inde confici, nisi persecutionem istam eo anno maxime efferbuisse. Quae itaque ineunda a nobis erit via in tanta sententiarum varietate? Ergo ne in *Pagii* sententiam, quae tot habet sectatores relabemur, eam ad annum Ch. 93. consignantis? Minime vero. Quae enim ab ipso ex *Chronico Alexandrino*, & ex *Taciti* loco (*in vita Agricolae circa finem*) proferuntur argumenta ex integro rem non evolvunt. Nec ullatenus nos movent *Festa* illa *Quinquennalia*, & *Decennalia*; aut similia, quae pro certa persecutionum *epoca* (3) ab ipso statuuntur: ex illis namque regulis, ut animadvertit *praestantissimus Norisius noster* (*in Epist. Consulari*), ac recentes *Baronii Editores* (*Animad. in Pagium Tom.* 1. *Caron.*), facilius est errorem detegere, quam vera invenire. Dabimus tamen ipsi horum Solemnium occasione auctas fuisse quandoque persecutiones, quum nempe pro sua Religione certas pietatis, ac zeli notas Diis, Populoque Imperatores exhibebant. His ita disputatis, sententiam nostram aperiamus. Quum itaque inter Eruditos conveniat, *Domitianum* non vexasse Ecclesiam nisi post mortem *Agricolae*, quae contigit die 23. Augusti anni Ch. 93. ac deinde, ut habet *Tacitus* (*cit. loc.*), Rempublicam exhauserit, ac tandem persecutionem publico edicto moverit, medio tutissimo ituri videmur, si dicamus *Domitiani* persecutionem incoepisse mense Februario insequentis anni 94. & quartodecimo, ut consentit *Hieronymus* (*de Script. Eccles. in Johanne*) sui imperii anno. Porro non hoc ad conflandam aliis invidiam proponimus, nec ut φιλαυτία quaedam nostra amare, aliena fastidire videamur: parati enim sumus aliorum argumentationibus cedere, si quid modo roboris in illis inveniamus. Jam vero si hujus persecutionis caussas inquiras; praeter excitatos contra Christianos a Plebe tumultus, & quas superius recensuimus, nullas alias fuisse Domitiano exi-

sti-

(1) *Opus hoc, quod* Fastos Siculos, *sive* Chronicon Alexandrinum *nuncupant, complectitur mundi tempora per omne aevum usque ad an. Ch.* 628. Alexandrinum *ideo dictum quod in Frontispicio MS. Codicis* Petrus Alexandrinus, *nota apposita, illud commendarant*. Chronicon *istud in vetusta quadam Siciliae Bibliotheca primus reperit* Hieronymus Surita, *& huc, illucque saepius traductum a* Casaubono *demum trecentis prope aureis emptum est. Saepe editum opus est, maximo tamen in pretio habetur Editio Graeco-latina* Raderi *Monachii* 1615. *Aliam adornavit* Ducangius *typis Luparensibus. Nonnulli tribuunt* Georgio Pisidio Diacono, *qui anno circiter* 640. *claruit. Alii* Georgio Alexandrino, *qui vitam scripsit Chrysostomi, adscribunt*. Cave Hist. Litt. *pag.* 320.

(2) Brutius, *quem laudat, & citat* Eusebius *aut fuit verosimilius* Brutius Praesens, *qui cum* Antonino Imp. *Consul fuit, & cujus Filia Antonini filio nupta est, aut saltem ejus gentilis fuit Historicus iste*.

(3) *Eruditissimus* Antonius Pagius *Diss. Hypat. part.* 2. *cap.* 2. *omnium primus observavit haec Solemnia a Caesaribus, vel Imperatoribus Consulari Trabea indutis peragi solere; indeque secundam Consulatuum Caesareorum regulam deducit, ac octo simul proponit Canones ad restituendam depravatam* Consulum Chronologiam, *de quibus videndus* Norisius *noster in Epist. Consul. Porro Festa, & Vota* Quinquennalia Decennalia &c. Dione *teste lib.* 53. *originem suam auspicantur ab* Octaviano Augusto, *quae ab aliis subinde Imperatoribus acta sunt. In his agebantur sacrificia, ludi Circenses, Gladiatorii, Scenici, de quibus erudite* Roffinus *Romm. Antiq. cap.* 12. *lib. V. de Festis Votivis, &* Onuphrius Panvinius *lib.* 1. *Fastorum, & lib. de Lud. Circ. Fiebant ergo vota* Quinquennalia *primo anno initae dignitatis, sed solvebantur*

exa-

ſtimamus. Quapropter fallitur prorſus *Godefridus Vandalinus* (*Divinatione de Clemente*, & *ejus Epiſtolarum tempore*), eam totam referens ad diſſidia illa Chriſtianorum adverſus ſe invicem conſurgentium, de quibus ſermonem feciſſe putat *S. Clemens* in priori ſua ad Corinthios epiſtola. Publicato itaque a *Domitiano Perſecutionis Edicto*, ſive potius veteri illo *Neronis* confirmato, rurſus plurimos ubique Chriſti Martyres effectos fuiſſe haud dubitamus. Romanam Urbem ingredientibus nobis ſtatim occurrit *Apoſtolus*, & *Evangeliſta Johannes*, quem eodem primo Perſecutionis anno die ſexta menſis Maii *Domitiani* juſſu in ſerventis olei dolium miſſus, contra eruditum *Combefiſium* (*in not. ad Orat. Nicetæ Paphlagonis*) diverſa ſentientem, ex luculenta *Tertulliani* (*de Præſcript. Hæret.*) & *Hieronymi* auctoritate (*Lib. 1. contra Jovinian.*) probè tenemus. Ex hoc autem ſupplicio divina illum protegente virtute quum illæſus exiiſſet, in *Pathmos* inſulam relegatus eſt (1). Occurrit quoque *Sanctus Flavius Clemens* (2) *Vir Conſularis*, & ipſius *Domitiani Patruelis*, qui teſte *Xiphilini Dione* (*in Domitiano*) morte adfectus eſt, illato ipſi crimine impietatis, quamvis Doctiſſimus *Baronius* (*ad an. Ch. 98. num. 7.*) ex veterum Martyrologiorum ſilentio illius pro Fide martyrium negare viſus ſit. Una cum Clemente recenſeri debet *Flavia Domitilla* Imperatoris conſanguinea, quæ an conjux fuerit S. Clementis, an vero neptis; rurſuſque an una, an duæ ſint diſtinguendæ, quæſtio eſt inter Scri-

exacto luſtro, & Decennalia *nuncupabantur*, *luſtro demum altero ſolvenda*. *Vota* Viceunalia *ſuſcipiebantur anno quintodecimo Imperii*, *ſolutio vero agebatur anno viceſimo*, *quo munera Imperatoris mitti ſolebant*, *de quibus vide* Symmachum *lib. 10. epiſt. 26. Templa præterea ædificabantur*, *Filii adoptabantur* &c. *Hæc ex nummis plenius docent* Adolphus Occo, Erizzus, & Chalucius. *Superſtitioſo Idolorum cultu antiquato*, Conſtantinus Magnus, *aliique Chriſtiani Auguſti ad Aram Omnipotentis Dei pro decenniis*, & *vicenniis vota peragebant*, *ut patet ex Orat.* Euſebii. *Quot vero diebus Feſta hæc perdurarent certo definiri non poteſt*, *quum pro Principum*, *vel Magiſtratuum munificentia*, *aut parſimonia augerentur*, & *minuerentur*. *Hæc uſque ad* Juſtinianum *acta ſunt*, *a quo nulla deinceps*. *Hoc non Eruditis*, *in quorum numero certe non ſumus*, *ſed juvenibus noſtris indicaſſe ſufficiat*, *quorum gratia præſentes inſtituuntur Diſputationes*. *Adeant iſti* Noriſium *noſtrum diſſ. ſingulari de Votis Decennalibus*, & Carolum Dufreſnium *diſſ. de Numiſm. inferioris ævi*, & Pagium *loc. cit.*

(1) *Ex falſo* Prochoro *habemus Johannem Evangeliſtam juſſu Domitiani ignominiæ cauſſa capite attonſum antequam in exſilium proficiſceretur*. *Loquens tamen* Cyprianus *de damnatis ad metalla*, *ait*: ſemitonſi capitis horreſcit capillus. *Solebat hujuſmodi abraſio capitis ſignum eſſe hominis ſceleſtiſſimi*, & *turpiſſimi*; *unde illud* Ciceronis *pro* Roſcio Comedo: Non ne ipſum caput, & ſupercilia illa penitus abraſa olere malitiam? *Addi poteſt quod* Cajus Imperator *occipitia adoleſcentulorum ludibrii cauſſa radere conſueverat*, *de quo* Svetonius *cap. 35. Moris etiam fuiſſe apud Romanos ſervorum radi capita* Tacitus, & *alii plures teſtantur*; & *nunc temporis in more eſt damnatis ad triremem radere capita*. *Vide* Diſp. *anno ſuperiori editam not. 33. pag. 13.*

(2) *Anno vulgaris Æræ 1725. qui erat Jubilæus ſub* Benedicto XIII. *in veterrima* S. Clementis Pont. & Martyris Baſilica *ſub ara maxima ſacri cineres Chriſti Martyris* S. Flavii Clementis *detecti ſunt in capſa plumbea*, *in qua oſſa aliquot*, *oſſium fragmenta*, *cineres ſacro cruore concreti erant*: *vas inſuper fractum vitreum*, *urceus fictilis*, *gemina Crux*, *altera lignea*, *altera ænea*, & *imago cerea duplex*, *quæ Agni formam utrinque referebat*. *Capſulæ impoſita erat tabula marmorea*, *in cujus utraque area litteræ inſculptæ erant admodum implexæ*, *quas eruditus* P. Eduardus de Vitry *in diſſ. cui titulus* Titi Flavii Clementis Viri Conſularis, & Martyris Tumulus illuſtratus; *ita eſt interpretatus*: Flavius Clemens Martyr hic felicirer eſt tumulatus. *De genere S. Clementis*, *deque ejus martyrio*, & *cultu agit laudata Diſſ. idem* P. Vitry. *Stemma vero* Flavii Clementis *affert* Nicolaus Antonius *lib. 1. cap. 12.* Biblioth. Veteris Hiſpaniæ *pag. 54.*

Scriptores gravissima. Unam, ac singularem facit *Baronius* (*in notation. ad Martyrol. Rom.*) *Ericius Puteolanus*, aliique, & quidem Clementis neptem. *Johannes Bollandus*, & *Chifletius* duas secernunt, & unam Clementis conjugem, ac Insulam *Pandatariam* (1) relegatam dicunt: neptem alteram, & Insulam *Pontiam* (2) adsportatam. Expensis utriusque opinionis argumentis, posteriorem illam *Bollandi* ducimus amplectendam. Duo vero Nummi ab *Huberto Goltzio* exhibiti (*Thesauro Rei antiquariæ p. 41.*), in quibus *Augustæ* nomen *Domitillæ* apponitur, & in quibus una nupto capite, altera cum facie circa speciosissimam bigam a duabus mulis protractam visitur, neutram fortasse ex his *Domitillis* notant; rationi siquidem consentaneum nobis minime videtur, ut quum eas *Domitianus* relegaverit, memoriam consecrare æterno ad posteros monumento præsumpserit Senatus, Populusque Romanus (3). Hoc igitur unum produnt Nummi illi, *Domitillæ* nomen in Cæsarea familia frequens fuisse in honorem ejus, quæ *Vespasiani* uxor fuit. Galliam præterea intuentibus eadem grassante persecutione occurrit *S. Eutropius Sentonensis Episcopus*, *Lucianus Episcopus Bellovacensis*, aliique innumeri, de quibus copiose, eleganterque dixit peritissimus *Tillemontius* (*Tom. 2. Monum.*) Quibus omnibus accensendus est *S. Antipas* apud Pergamum, cujus martyris laudes habentur in *Apocalypsi Joannis* (*Cap. 2.*) & apud antiquum *Tertullianum* (*in Scorpiaco*). Quæ quum ex certis adeo monumentis constent, quid rursus comminiscitur *Dodvvellus*, ut suam de paucitate Martyrum sententiam confirmet, præter exilium, ac bonorum expoliationes, ad cædes, & tormenta *Domitianum* non processisse, longamque pro Tyranni hujus crudelitate Apologiam adornat? Nonne ex *Martiale* (*Lib. 1. Epigr. 7.*), & *Juvenale* (*Satyr. 3. in fine*) notum est, illud præcipue consuevisse, ut casus tragicos in miserorum corpora in Theatro ex vero repræsentaret? Nonne ex sinceris Martyrum Actis constat ea ingravescente persecutione in candentem æneum Taurum (4) eorum aliquos inclusos, aut in ollam (5) ferventis olei, picis, & liquati plumbi fuisse immissos? Parvane sunt hæc, ut alia interim taceamus, crudelitatis monumenta? Sicuti operam ludit, dum ex unica *Tertulliani* (*in Apolog. cap. 5.*) auctoritate jactat *Domitianum* ante mortem Persecutionis Edictum revocasse, exulesque solvisse: ex *Dione* (*in Nerva*) namque, *Clemente Alexandrino* (*in lib. de Divite salvando*), & La-

(1) Pandataria *nunc* S. Maria, *parva est Insula Italiæ*, *pendetque a Regno Neapolitano*. *Erat olim Monachis repleta*.

(2) Pontia *vero*, *Insula est Maris Tyrreni in sinu Formiano Palmariæ proxima*, *nunc* Ponza. *In has Insulas ex more Romanorum relegabantur olim Romani Cives*.

(3) *In nummo æreo apud Goltzium hæc leguntur*. MEMORIÆ DOMITILLÆ DIVI VESP. F. S. P. Q. R. *Verum de hoc*, *alioque nummo nihil habent* Adolphus Occo, Biraguus, & Spanhemius.

(4) *Erat Æneus Taurus machina quædam*, *sic ad veri tauri imaginem accurate expressa*, *ut motus illi dumtaxat*, *& mugitus deesset*, *quo minus vera crederetur*, *ut habet* Lucianus *in Dialogo*, *qui* Phalaris *inscribitur*. *Per dorsum apertum si quis aderat excruciandus conjiciebatur*, *& postea dorso iterum clauso ignis circa ipsum accendebatur*. *Machinæ hujus inventor fuit*, *ut notum est ex Ovidio lib. 5. Trist. quidam Atheniensis* Perillus, *sive* Perillaus *nomine*. *Quo vero modo hoc supplicio cruciarentur SS. Martyres exponit* Gallonius *cit. lib. cap. 5*.

(5) *De* Olla *Martyrii instrumento meminit* Scriptura Sacra *Machab. lib. 2. cap. 7.* Josephus *lib. de Machabæis ad Polybium*. *Erat* Olla *ut* Nonius Marcellus *ait*, *vas ex ære confectum*, *in quod damnati homines*, *vestibus denudati*, *immittebantur*, *ut ibidem elixarentur*. *In more autem majorum erat plurimis vasorum generibus uti ad reos*, *& maxime Christianos excruciandos*. *Utebantur enim* Sartagine *ad eorum carnes suffrigendas*: Lebete, & Olla *ad easdem elixandas*: *assabantur vero vel* Craticula, *vel* Ferreo Lecto; *quandoque* Sella, Galea, Tunica, *aliisque instrumentis*.

Lactantio (*Lib. de Mort. Persec. cap.* 3.) patet non reversos ex Insulis fideles ante Nervæ Imperium, ac *Joannem Apostolum* nonnisi interfecto Domitiano Ephesum rediisse, ibique tandem mortuum, neque adhuc, ut aliquibus placet, superstitem esse. *Domitianum* vero summa cum diligentia Domini agnatos ex genere Davidis ortos quæsiisse, ac tandem uti pauperrimos dimisisse, libenter cum peritioribus hujus ætatis Criticis ceteris *Hegesippi* (*apud Eusebium Lib.* 3. *Hist. Eccl. cap.* 20. *&* 21.) fabulis amandandum esse censemus. Quum autem hæc *Domitiani* Persecutio ad an. Ch. 94. mense Februario probabilius revocata a nobis sit, quumque, ut in confesso est apud omnes, anno Chr. 96. XIV. Kalendas Octobris obierit Domitianus; reliquum est, ut annos duos, ac menses septem circiter cum dimidio eam perdurasse affirmemus, donec *Domitianus* non in Fano Jovis, ut unicum tradit *Chronicon Alexandrinum*; sed in Palatio, ac in Urbe Roma, fatentibus *Eutropio*, *Svetonio*, & *Xiphilini Dione*, suorum conjuratione peremptus est (1). *Nec satis* (juvat enim Persecutionem hanc præclarissimis Lactantii verbis ex integro absolvere) *nec satis ad ultionem fuit, quod est interfectus Domi. Etiam memoria nominis ejus erasa est. Nam quum multa mirabilia Opera fabricasset* (2) *Senatus ita nomen ejus persequutus est, ut neque imaginum, neque titulorum ejus reliquerit ulla vestigia, gravissimis decretis etiam mortuo notam inureret ad ignominiam*.

V. Rescissis *Nervæ Imperatoris* auctoritate, ac *Senatus Consultu Domitiani* actis, restitutisque, ut habet *Dio*, exsulibus in patriam, ac edito insuper decreto, ne cui liceret in posterum *Judaicæ sectæ*, sive impietatis quemquam insimulare, aliquantulum respiravit Ecclesia. Vix tamen pacem sentire cœperat, quum subito *Trajanus* (3) justum Dei populum persecutus est. Instituta operis ratio nos admonet, ut *Chronologistarum* tricas,

(1) *Interfectores Domitiani ex* Dione Xiphilini *fuere* Partenius Cubicularius, *&* alter Cubicularius Sigerius; *itemque* Entellus, *cui incumbebat cura Libellorum Imperii*, *cum* Stephano *Liberto*.

(2) *Inter mirabilia quæ fabricaverat* Domitianus *recensentur a* Cassiodoro in Chron. Domitiano IX. & Clemente II. Coss. Forum Trajani, Termæ, Trajani, & Titianæ, Senatus, Ludus matutinus, Meta aurea, Meta sudans, & Pantheon; *quæ omnia, ut* Svetonius, *ait*, *quum sub suo titulo, ac sine ulla pristini auctoris memoria posita fuissent, jussit Senatus eradendos ubique titulos, ac imagines, & abolendam memoriam*. *Vide* Xiphilinum in Nerva, *&* *Historiam Arcanam* Procopii *pag.* 37. *edit. Lugdun. De more damnandi memoriam, titulos, & imagines, deque ejus antiquitate legendus* Jullus Lipsius *in Excursu ad lib.* 6. *Annal. Taciti pag.* 199. *edit. Paris. Hujus quoque ritus meminerunt* Dio Cassius, Herodianus, *&* Latini Scriptores Hist. Augus. *immo &* Lactantius *cap. ult. de mort. Persec. ad eum alludit*.

(1) *Imperavit* Trajanus *demortuo* Nerva, *a quo fuit adoptatus sub exitum mensis Octobris an. Chr.* 97. *ut demonstrat* Nic. Toinardus *in notis ad Lactan. lib. de Mort. Persec. quinto Kalendas Novembris. Erat enim dies V. Kalendas cujuscumque mensis similibus Imperatorum actionibus sacra, ut probat* Pagius *in Dis. Hypat. & in Crit. Baron. An vero una simul imperaverit, quod contendit* Dodvvellus *in Appen. ad Diss. Cyprian. num.* 40. *&* Guilielmus Loydius *in Canone Nervæ, & Trajani, an vero non, ut vult* Pagius, *videndus* Grævius *in not. ad Lactan. Falsum tamen est abdicatum fuisse a Nerva imperium, ut tradit* Aurelius Victor *lib. de Cæsar. Quis enim hoc melius scire potuit* Plinio Juniori? *At sive in Epistolis, sive in Paneg. oppositum asseritur*. Tuderti *in Umbria natum Trajanum putat* Panvinius noster *in Lib. de Romm. Princip. deceptus fortasse ex falsa Epitome* Victoris, *qui tamen cit. lib. de Cæsar. ait*, Italicæ *in Hispania ortum habuisse. Hunc* Aurelium Victorem *eumdem esse putat* Franciscus Balduinus *ac illum, de quo loquitur* Hieronymus *Epist.* 21. *ad Paulum Concordiensem, quique scripsit de persecutionibus Ecclesiæ. At eum refellit* Andreas Schottus *Præf. ad Aurel. Vict. pag.* 20. *edit. Antuerp.* 1579.

cas, & dissensiones de anno quo hæc Persecutio promulgari cœpta est, aliquantulum expendamus. *Baronius* itaque anno Chr. 100. primoque Imperii a *Trajano* suscepti indictam ex epistola *Plinii* contendit (*ad an. Ch.* 100.): cujus tamen infirmis rationibus plane satisfecit *Halloixius* (*Not. in vita S. Ignatii Mart. cap.* 14.). Abiit in diversa accuratissimus *Pagius* (*in Crit. Baron. ad an. Ch.* 98.), qui advocatis in suæ opinionis patrocinium *Fastis Idatianis*, ac regula illa *Decennalium*, ad annum Chr. 111. Persecutionis initium statuit. In re hac tam obscura nobis constitutum est *Cl. Jacobum Usserium* (*in not. ad martyr. S. Ignatii*), veluti certum Ducem, sequi, consignantem hanc ad an. 106. Imperii *Trajani* nonum, confecto jam secundo bello Dacico, & altero Parthico jam decreto. Hoc autem eo libentius propugnamus, quod controversiæ de anno hoc, ut grandioribus *Taciti* verbis loquamur, magnum Diem imposuisse videantur *sincera S. Ignatii Martyris Acta*. Nullum contra Christianos promulgatum fuisse a *Trajano* edictum ex *Tertulliani* Apologetico (*C.* 5.), *Melitone Sardensi*, atque ex *Eusebio* (*Hist. Eccl. Lib.* 4. *cap.* 26.) certo colligere se putat *Dodwellus*. Sed fallitur maxime: epistola enim illa *Plinii* (*Lib.* 10. *Epist.* 97.), qua dicitur *Heterias*, & sodalitia fuisse a *Trajano* prohibita, *Suidas* (*in Historia*), & laudata *S. Ignatii Acta* assertum errorem ad oculum ostendunt. Nec ipsi facile concedimus Edicto illo solas *Agapas* (1), & convivia fuisse interdicta, non autem societates illas, quibus *Eucharistia* participabantur; certissimum namque nobis est ex vetusto Ecclesiæ more, hæc omnia simul uniri semper consuevisse. Ad hasce *Heterias*, & sodalitia totam indicendæ Persecutionis hujus caussam referunt non pauci. Placet aliis ad populares tumultus contra Christianos a Gentilibus excitatos, revocare. Secus vero sincera illa, quæ sequenda ducimus, *S. Ignatii Acta*, quorum hæc verba sunt: *Adversus Christianos, seu adversus pietatem bellum ei* (Trajano nempe) *ante alia visum est optimum expedire. Nam illo quidem modo putabat se uni prodesse Reipublicæ: sic autem Deos suos colere, & eos inducere, ut opem ferant adversus hostes. Gravem itaque, ac difficilem Persecutionem infert adversus piam Fidem, & proponit edicta per universam terram, quæ ejus parebat imperio* (2). Primus ex tot illustribus, cui Persecutionis bellum indictum est, fuit Antiochenæ Ecclesiæ Episcopus *Sanctus Ignatius* Θεοφόρος dictus: ex qua voce male accepta cum *Usserio* (*in notis ad Martyr. S. Ignatii*) sentimus pervagatum esse figmentum illud de Ignatio puerulo manibus Christi Domini sublato, non a recentioribus tantum Græcis, sed a duobus Syris Scriptoribus (3) commemoratum. Quamquam accuratissimus *Pagius* (*ad ann. Chr.* 116. *in Crit. Baronii*) cum Loy-

(1) De Agapis *diximus altera Disputatione anni superioris num.* 2. *pag.* 4. *not.* 8.

(2) Acta latina martyrii S. Ignatii, *quæ habentur Tom. II. PP. Apostol.* Cotelerii, *postrema saltem sui parte a* Philone, *&* Agathopode, *qui ex Syria* Ignatium *Romam secuti sunt, descripta fuisse putat*, Jacob. Usserius *Præf. in martyrium latinum S. Ignatii*, & Ruinartius *Admon. in Martyrium S. Ignatii, eaque inter sua acta selecta inseruit. In iis, quæ habentur ex membranis Cottonianis Auctor postrema verba ex recentiori* Biographo *accepit, qui poetica plane fide longos sermones inter Imperatorem, & Ignatium Romæ intercessisse, & varia tormenta pertulisse commentus est: quum cruciatuum illorum neque antiquiora Acta, neque* Metaphrastes *mentionem faciunt, & post Parthicam expeditionem Trajanum numquam Romam rediisse Romana nos doceat Historia. Verius fortasse* Græca Mænea, *quæ hæc in Syria gesta fuisse ajunt ad diem* 20. *Decembris*.

(3) Gregorio *nempe, qui breves in utrumque Testamentum Annotationes edidit, &* Anonymo *altero, qui uberiora in quatuor Evangelia publicavit Collectanea. Nonnulli Recentiorum tradunt Ignatium dictum* Theophorum, *quod post mortem, quum dissectum fuisset cor ejus, repertum fuerit scriptum aureis litteris Jesu Christi Nomen. Ceterum in corde* B. Claræ de Monte Falco nostri Ordinis *impressa adhuc videntur vestigia, & instrumenta passionis Christi, ut notum est*.

Loydio totus sit, ut probet anno Chr. 116. Romæ in *Amphitheatro* fuisse Bestiis oblatum; nobis tamen ex *Usserio* (*cit. loco*.), *Norisio* (*in Epist. Consf.*), *Ruinartio* (*Admonit. ad Acta S. Ignatii*), *P. Martene* (*Acta selecta p.* 11.), atque ex *Sinceris Actis* annus mortis *Ignatii* est 107. *Coss. L. Licinio Sura III.* & *C. Sosio Senecio III.* Olymp. 221. an. 2. Morosus Censor *Josephus Scaliger* (*in Animadv. Eusebiani n.* 2123.) negat, aut saltem tamquam dubium proponit Romanum iter *Ignatii*. Sed quis ignorat dicacem illum fuisse hominem, qui aliena carpens noctem quamdam historicis rebus induxit? Vindicias itineris hujus jam proposuit *Usserius* (*loc. cit.*), *Bollandus* (*Tom.* 1. *mensis Februarii die* 2.), *Ruinartius* (*in notis ad Martyr. S. Ignatii*), & longe ante istos *Constantinopolitanus Patriarcha Chrysostomus* (*in Ignatii encomio, quod habetur Tom.* 5. *edit. Salvil. pag.* 502.), quin novas iterum exhibeamus. In hoc autem itinere & *Smyrnam*, & *Troadem* (1) *Ignatium* attigisse, ex genuinis ejus epistolis, & Actis demonstrare nos posse confidimus contra ludricam *Magdeburgensium* (*Centur.* 2. *cap.* 10.) conjecturam, & *Nicolaum Vedelium* (*in Apolog. pro S. Ignatio*), qui nodum fortius perstringit, dum solvere conatur. An a leonibus præfocatus tantum fuerit *Ignatius* in Amphitheatro, intactæque relictæ sint ejus carnes, an vero sola sanctorum ossium superiora remanserint, videbunt alii, deque re ipsa judicabunt, ut volent: nos tantum uti certum cum *Hieronymo* (*de Script. Eccl.*) statuimus, ejus reliquias fuisse Antiochiam translatas, ibique honestius tumulatas (2). Alter non minus certe illustris Martyr est *Symeon Cleophæ Filius Hierosolymorum Episcopus*, qui annos natus 120. post atrocissima verbera jussu *Attici Consularis* in Crucem actus est: cujus Ordinationem ad annum Chr. 70. post Hierosolymitanum excidium protrahere, inverisimilis prorsus sententia est. Ad initium Imperii *Trajani* Symeonis hujus martyrium consignat *Joannes Pearsonius* (*Vind. Ignat.*): ad finem vero *Dodvvellus* (*Diss. Cypr.* 11.) dum tamen alter alteri non credit, neutri credendum esse existimamus, nobisque martyrii annum ignotum esse ingenue profitemur. Tertius ex Martyribus fuit Romanus Pontifex *S. Clemens*. Quæcumque ex Actis, & documentis veteribus,

(1) Troas Antigonia *dicta*, *nunc* Alexandria, *inquit* Plinius *lib.* 5. *cap.* 30. *Unde a* Strabone, Ptolomeo, *&* Galeno Alexandria Troas *appellata invenitur*. *Apud Ignatium epist. ad Philadelphos*, *&* *Smyrn.* Trojam *reperimus*: *hæc enim nova* Troja *est habita*, *utpote a diruta illa* Priami *non longo spatio posita*.

(2) *Ritus, qui olim adhibebantur a Christianis in condendis martyrum corporibus, descripti habentur in eorum Actis sinceris; ex quibus discimus cantu, & luminaribus ad Cœmeteria afferri consuevisse; unguentis, & aromatibus condiri, ac linteis, institisque involvi. Dissecta Martyrum corpora collectis, & in unum compositis membris tumulo inferebantur, ac sanguis præterea, & martyriorum instrumenta una cum Martyrum corporibus tumulo recondebantur. Quandoque etiam Acta martyrii, vel scripta nomina reponebantur, aliaque signa mysterii gratia erant apposita. Hos ritus copiose exponit* Paulus Aringhius *in sua* Roma subterranea *Tom.* 1. *lib.* 1. *& diligentissimus* Johannes Mabillonius *in sua Epistola nomine* Eusebii Romani *scripta, in qua etiam varias notas exhibet ad veros Martyres agnoscendos, agitque de cultu Reliquiarum, quæ e Romanis Cœmeteriis eruuntur. Ante sæculum septimum Occidentales Sanctorum corpora tangi, aut loco moveri non sustinebant; eo tamen sæculo in decentiora loca transferri cœperunt. Nondum tamen eo etiam sæculo membratim distrahebantur, aut imponebantur Altaribus; quod postea in more fuit sæculo nono. Martyrum Reliquiæ primis Ecclesiæ sæculis domi, aut in Cœmeteriis, & Oratoriis servabantur; subinde vero sub Altari, vel sultus Absidem, constructis super Basilicis, aut Ciboriis. Legendus laudatus* Mabillonius *Præf. in Sæculum II. Ordinis S. Bened.* §. IV. *De cura vero a priscis Christianis adhibita colligendi, ac redimendi Martyrum corpora, vide* Aringhium *cit. loc. De cultu Martyribus præstito primis Ecclesiæ sæculis disserit* Thomassinus *Tom.* 2. *Theol. Dogm. lib.* 12.

bus, ac genuinis recitantur, de ejus exsilio trans mare Ponticum; de martyrio *Chersone* (1) consummato sub *Trajano*, quæ denique de mortis genere eidem illato per submersionem, meris fabulis accensent Critici rigidiores. Nos vetera Ecclesiæ monumenta honestius habentes, hæc cum *Eusebio*, & *Hieronymo* tanquam vera, ac legitima reputamus. De duobus aliis Pontificibus *Evaristo*, & *Alexandro*, deque Martyribus aliis *Nereo*, & *Achilleo*, *Sulpitio*, & *Severiano*, *Cæsareo*, pluribusque dicere non vacat; de duobus enim prioribus jam disputatum est (*Disp. de Rom. Pontif.*), de reliquis vero erudite disserit *Tillemontius* (*Tom.* 2. *Monum.*). De suppliciis itaque quibus in hac Persecutione cruciabantur, potius agamus. Si selectis, sincerisque Actis, uti decet, credendum sit; & *plumbeis Pilis* (2) Martyrum corpora tundebantur, & expansis manibus ignem sumere cogebantur. *Papyris* insuper oleo inunctis eorum latera adurebantur, ardentibus quandoque carbonibus imponebantur, *Ungulisque ferreis* lacerabantur (3). Potissimum vero a Trajano electum supplicii genus, illud fuisse fatemur, ut in *Amphitheatro* expositi (4) bestiis dimicarent; quod supplicium ceteris longe gravissimum crudelitatis caussa ab illo fuisse destinatum, nequaquam ambigimus. Hæc ita de Martyrum suppliciis disserimus, ut

(1) Chersona *oppidum erat* Tauricæ Chersonensi *ad Bosphorum Cimmerium*, *dicta quoque* Heraclium; *eo quod fuerit* Heracliensium Colonia, *& notior facta exsilio* Justiniani Junioris.

(2) *Erant* Plumbatæ, *ut Sanctorum Martyrum res gestæ indicant*, Prudentius, *& Picturæ antiquissimæ*, *quæ Romæ visuntur*, *quoddam flagelli genus ex funiculis*, *aut loris factum*, *quorum summitatibus glandes plumbeæ alligabantur*, *quo postea terga*, *& collum damnati verberabantur*. *Supplicium erat vitiosorum hominum apud veteres*. *Innuunt hoc leges l. Siquidem* 2. *de quæst. Cod. Theod. & l.* 8. *de Decur. Cod. Theod. Hoc supplicium in usu erat tempore Honorii Imperat. qui impium hæresiarcham* Jovinianum *contusum plumbo*, *una cum suis gregalibus damnavit exsilio*. Plumbatarum *verbera non erant ex Legum præscripto ad mortem*; *complures tamen inter Plumbatarum ictus moriebantur*, *ut indicant* Ammianus Marcellinus *lib.* 28. *&* Ambrosius *epist.* 17. *lib.* 2.

(3) *Tribus potissimum instrumentis carnes Martyrum discerpebantur*; Ungulis, Uncis, Pectinibus. Ungulæ *erant quoddam forcipis genus non ad scindendum aptum*, *sed cujus extremitates erant dentatæ*, *itaut utramque partem comprimendo*, *carnes discerperent*. Uncus *erat baculus oblongus*, *habens in extremitate ferramentum incurvum*, *& retortum*. Pectines ferrei *similes erant iis*, *quibus lana pecti solet*, *sed longioribus baculis affixi*. *De his lege* Gallonium *cap.* 5. Baronium *in not. ad Martyr. Rom.* 19. *Januarii*, *&* 8. *Martii*.

(4) *De more apud Antiquos damnandi reos ad bestias in* Amphitheatro *multa dixit Petrus Faber lib.* 2. *Semest. cap.* 11. *Hujus supplicii meminit etiam* Asinius Pollio *lib.* 10. *epist.* 32. Aulus Gellius *lib.* 5. *cap.* 14. Josephus *lib.* 5. *Antiq. cap.* 11. *& sæpe* Acta Martyrum. *Leonibus frequentius*, *quam canibus*, *aut aliis belluis objiciebantur*; *unde apud* Tertullianum *in Apolog. & lib. de Spectacul. extat illa Gentilium vox*: Christianus ad Leonem. *Hoc supplicium servile erat*, *ut ex legibus constat*; *quare quum tales Christiani apud Gentiles haberentur*, *ut pluribus notat* Tertullianus *in Apolog. huic supplicio ut plurimum deputabantur*. Amphitheatrum *græca voce dictum est*, *quia gradus undique*, *& sedilia continenter deposita ambibant in orbem*. Cavea *latinis ab interiore parte*, *quæ concava est*, *& passim* Arena, *quia is locus desabulari solebat*, *& arena sterni in usum pugnæ*. *Amphitheatrum & ludi*, *qui in eo fiebant* Dianæ *dicabantur*, *sed & quandoque* Jovi, *sive* Latiari, *sive* Stygio, *ut est apud* Tertull. *in Apolog. &* Minutium Felicem in Octavio. *Præter hos Deos* Saturnus *etiam veniebat in partem tutelæ*. *Amphitheatrum*, *quod Romæ cernitur a* Vespasiano *cœptum est*, *& a Tito Filio absolutum*, *& dedicatum*, *hodie* Colossæum *vulgo dicitur*, *quia Neronis cum capite Colossus in vicinia erat*. *Sed de his fusius agit* Justus Lipsius *singulari lib.* de Amphitheatro, Nieuport *Rit. Rom. Sect.* IV. *cap.* 5. §. 4. *aliique*.

ut non hujus tantum Persecutionis propria, aut ex Imperatorum Edictis universa intentata esse judicemus; simile namque vero nobis videtur, in aliis quoque Persecutionibus inflicta fuisse ista cruciamenta, eaque crudelitate potius Judicum, quam legum severitate fuisse imperata. Ingravescente jam ubique locorum *Trajani* Persecutione scribit *Plinius Secundus* epistolam, quum Bythiniæ legatione fungeretur, qua innocuos Christianorum mores apprime describit. At quum rescripto jusserit Imperator, non esse ulterius inquirendos Christi Sectatores, oblatos tamen puniri oportere, mirum est quantum inde aucta sit persecutio. Hujus augmenti, ac Rescripti tempus facile a nobis consignaretur, si certo constaret annus, quo *Plinius* suam iniit legationem. Ut ut autem res in controversiam vocetur, hanc sane non suscepisse *Plinium* statim post absolutum Consulatum contra *Baronium* ex versatissimo *Norisio nostro* (*in laudata Epist. Consul.*) defendere parati sumus. Ex altera *Tiberiani Asiæ Proconsulis* epistola Persecutionem hanc aliquando quievisse affirmat idem *Baronius*: sed quis epistolam hanc (1) in officina fabulosi *Joannis Malelæ* procusam esse non statim animadvertit? Merito proinde non est inter hujus sæculi Eruditiores, qui pro *epistola hac*, & *Trajani decreto de Persecutionis cessatione* pollicem premat. Annis itaque undecim, & mensibus aliquot Christianam Religionem persecutus est Trajanus, donec *Salinunte* a bello Parthico revertente anno Chr. 117. extremum diem obiit. Sed veneno ne, an naturali morbo defunctus? Hoc ignoramus. Mera tamen fabula est, ac Viro præsertim Theologo prorsus indigna, illius animam ab Inferis *D. Gregorii* precibus fuisse aliquando extractam. Negare autem non audemus *Trajani* cineres fuisse Romam delatos, ac in ipsius *Foro* (2) urna aurea super Columnam Cochlidem (3) collatos, eumque inter Divos ex Senatus Consultu ab *Hadriano* deinceps fuisse relatum.

VI. Sequitur modo Persecutio altera ab *Ælio Hadriano* excitata (4) quam *Eusebio* tertiæ appendicem, *Sulpicio* (*Lib. 2. c. 45.*) vero quartam placuit appellare. Tametsi *Tertulliano* (*in Apolog. c. 5.*), & *Melitoni Sardensi* concedamus nullum contra Christianos edictum ab *Hadriano* processisse; inficias tamen

(1) Tiberiani *epistolam primus omnium evulgavit* Jacobus Usserius, ex Johanne Malela Antiocheno. *Non habemus alium in tota antiquitate, qui meminerit præter* Suidam, *quem ex eodem* Malela *habuisse verisimile est.*

(2) Forum Trajani *idem est ac* Forum Ulpium, *quod &* Forum Nervæ, *&* Transitorium *dictum est. Dicebatur* Ulpium, *quia Trajanus ante adoptionem* Ulpius *nominabatur.* Nervæ, *quod a Nerva adoptatus illius nomen retinuit, quod plerosque alios fecisse constat.* Transitorium, *quod a Domitiano extructum ad tria pateret transitus.* Trajanus *solus ex Impp. Romm. intra urbem sepultus est: corpora enim Magnatuum, & Principum Virorum in Campo tumulabantur, teste* Appiano *lib. 1. de bello civil. &* Herodiano *lib. 4.* Campum *autem* Martium *extra Urbem fuisse constat ex* Livio *lib. 2. Vide* Marcellum Donatum *Diluc. in Script. H. R.*

(3) *De* Columna *hac scripsit erudite* Fabrettus. *Porro* Apotheosis *Romm. Impp. sive inter Deos relatio a* Cæsare Augusto *primum instituta est, & a Tiberio deinde instaurata. Non fuit hæc Romanorum tantum, sed aliorum etiam. Sic consecrati omnes Dii veterum, non quidem publico modo, sed privatim unicuique permissum. Et quidem de Hercule, Liberio Patre, Castoribus, aliisque Diis Consentibus, quis post tam multos notissimam rem notare velit? De re hac agunt* Nannius *Miscell. lib. 5. cap. 16.* Elias Vinetus *ad Ausonii epigr. 26. Panvinius noster in Fastis suis, Goltzius in Nummis, & Johan. Kirchmanus lib. 4. de Funeribus Romm. Cap. 13. & 14. De ritu, & cæremoniis, quæ adhibebantur, legendus* Johan. Rossinus *Romm. Antiq. lib. 3. cap. 18. &* Dempsteri Paralipomena *ad idem caput.*

(4) Hadrianus Italicæ *in Hispania natus est, ut habet* Eutropius, *non vero in Urbe* Tudertina, *ut tradit* Epitomes, *quæ* Victori *tribuitur. Majores quidem Hadriani ex Hadria in Picentibus orti sunt, unde illis nomen, sed apud Italicam Hispaniæ resederunt.*

men non ibimus plures movendæ Persecutionis caussas iniquo Principi non defuisse. Testis sincerissimus est *Hieronymus* (*in Catalogo Script. Eccl.*), harum primam fuisse nimiam erga falsos Deos Religionem; sacra quippe Romana, referente *Spartiano* (*in vita Hadriani*), diligentissime curavit, peregrina contempsit, & *Pontificis* (1) officium peregit: quumque, ut subdit *Tertullianus* (*in Apolog.*), omnium curiositatum esset explorator, ac omni divinationum generi deditus, omnibusque insuper Græcorum cæremoniis initiari voluerit, facile, qui Christianos oderant, eos, utpote a Gentilium Religione alienos, persequendi operam, & consilium præstiterunt. Motivum quoque persecutionis hujus exhibuit erumpens tunc *Carpocratianorum* hæresis, eorumque perditi mores, qui absque delectu Christianis singulis affigebantur: nec longe a vero abscessit doctissimus *Baronius* (*ad an. Chr. 120.*), quum eam in Judæorum tumultus retulit. Sed de iis, contra quos concitatum Persecutionis odium exarsit, paullisper agere præstat. Eximiam hanc, utilemque Historiæ Ecclesiasticæ partem excoluit peritissimus *Tillemontius* (*in monumentis ad Hist. Eccl.*): attamen si aliquos, & quidem præclariores, recensere hoc loco permissum sit, nostramque simul de his sententiam aperire; numerabimus in primis *S. Eustachium*, sive ut erudito placuit *Combefisio*, *Eustathium*. Hujus martyris Acta primus ipse evulgavit, nobisque ut legitima proposuit: at ea, ut sincera recipere non possumus, quæ tam longo intervallo distant a constitutis regulis Critices. Secundo loco nobis est *S. Symphorosa*, & septem ejus filii, quorum Sanctorum neci occasionem præbuit vicinia celeberrimi illius palatii, quod in Villa *Tiburtina* ab *Hadriano* ædificatum fuisse, testis est *Spartianus* (*cit. loc.*). De sinceritate Actuum horum Martyrum certe non dubitamus; ea tamen esse *Julii Africani* celeberrimi quondam *Chronologi* minime affirmamus. *Absit enim a nobis* cum *Chrysostomo*, (*Homil. in Matthæum*) *ut veritatem mendacio velimus iri confirmatam*. His ex sententia enumeratis, ab aliis pluribus adducendis supersedimus, neque enim *Martyrologium* adornamus. Si vero de Martyrum suppliciis dicendum sit, hæc ex sinceris Actis habemus fuisse in hac persecutione præcipua; ut scilicet mulieres *Alapis* (2) cederent, capillisque apprehenderent: *Trochleis* vero (3) potissimum viros cruciarent. Hierosolymis hyemem agente *Hadriano*, ac sacris *Eleusinorum* cæremoniis se initante, anno Chr. juxta *Eusebium* 126. crudelius efferbuit hæc Persecutio. Ad hanc restinguendam *Quadratus Apostolorum Discipulus*, & *Aristides Atheniensis Philosophus* (4) Apologeticos pro Christiana Religione libellos *Hadriano* obtulerunt (5).

Qua-

(1) Pontificis *nomen dignius semper apud Gentiles habitum est, quam Sacerdotis, illudque generale, hoc vero speciale est. Is eligebatur ex viris majoris dignitatis, totique Provinciæ impositus erat Pontifex. Vide* Gisb. Cuperum *in notis ad Lactant. lib. de Mort. Persec.*

(2) Alapis, Colaphis, Pugnis, *&* Calcibus *nonnumquam cædebantur Martyres, sed præsertim, ut in eorum Actis legimus, Christianæ Feminæ. Ignominia gravissima hæc erat, de qua* Gellius *lib. 20. cap. 1.*

(3) Trochlea, *ut ex* Vitruvio *lib. 10. cap. 2. 3. 4. & seq. habemus, tractorii generis erat machina. Modus vero quo hoc instrumento torquebantur Martyres erat, ut primum desigerentur humi stipites, deinde a ministris manibus, quandoque pedibus hinc funibus Trochlearum, hinc stipitibus alligabantur; quo facto tractis jussu Judicis funiculis misere illorum corpora extendebantur. Supplicio hoc malefici præcipue, ac impii homines torquebantur, ut est apud* Gregorium Turonensem *de Rebus gestis Franc. lib. 5. cap. 49. Quocirca quum Christiani tales habiti sint, ad hoc supplicium juxta leges deputabantur. De Trochleis, quæ erant Martyrum instrumenta agit* Eusebius *Hist. lib. 8. cap. 10. &* Mombritius *Tom. 1.*

(4) Aristidæ Atheniensi Philosopho *homini Græco, & palliato ad Christianismum transeunti non opus fuit habitum mutare; quia Christiani palliati erant, & ex hoc maxime noscitabantur.* Tertulliano *Togato opus fuit Romæ pallio habitum mutare, ut eo profiteretur se Christianum esse. Quare Gentiles vocabant Christianos* Γραικὸς.

(5) *Ex mira, quæ tunc florebat charitate factum est, ut pro Christianis exhiberentur Apolo-*

Quadratum hunc Apostolorum Auditorem, cum *Quadrato* altero Atheniensi Episcopo, & *Publii* successore confundit *Hieronymus* (*in Catal. & in Epist.* 84. *ad Magn.*): at varios, diversosque extitisse ex *Eusebio* (*Lib. Hist. cap.* 3.) cum erudito *Valesio* (*in notis ad locum citatum Eusebii*) melius fortasse reputamus. Sicuti *Halloixii* conjecturis adstipulari non possumus, quibus probare nititur *Quadratum* istum fuisse Angelum illum Philadelphiæ, quem in Apocalypsi alloquitur Christus Jesus. Utinam vero, quæ ab hisce Scriptoribus oblatæ sunt Apologiæ temporum injuria non periissent, non parvo siquidem forent adjumento ad hujus persecutionis historiam illustrandam, simulque plenius *Dodwellum* revincerent jactantem *Hadrianum* mitissimum Principem fuisse. Ex his *Apologiis*, atque ex *Serenii Granii*, sive *Graniani*, Asiæ Proconsulis epistola, qua *Hadrianum* admonuerat, indignum prorsus esse Christianos, non ex judiciis, ut fieri sollemne erat, sed ex tumultuantium populorum clamoribus ad supplicia deduci, sublata est persecutio, data hac de re ad *Minucium Fundanum Graniani* successorem epistola, latoque publico decreto. At quo demum anno? Si doctissimum *Petavium* audias; is fuit an. Chr. 124. Si vero *Baronium*; contigit id anno 128. Media tamen via cum *Papio* (*in Crit. Baron. ad an. Chr.* 126.) incedendum arbitramur, atque hujus Persecutionis finem ad annum Chr. 126. imperii Hadriani decimo incipiente consignamus. Porro ex hac persecutionis cessatione, atque ex *Ælii Lampridii* testimonio (*in vita Severi Imperat.*) reputant nonnulli *Hadrianum* Christo ubique Templa erexisse (1): sed oppositum evidentissime jam demonstravit *Isaacus Casaubonus* (*in notis ad Lampridium*). Quare cum *Gisberto Cupero* (*Epist. ad Voetium*), *Desiderio Heraldo* (*Animadv. in Arnobium*), *Moyse* (*in epistola, cujus specimen est in Biblioth. veteri, & nova Jo: Clerici Tom.* 27. *par.* 2.), aliisque, nonnisi ad tertii Ecclesiæ sæculi medietatem priscis illis Christianis Templa concedimus. Eodem quoque falsitatis loco habemus illud *Eusebii* (*in Chron.*) narrantis *Hadrianum* in bello contra Judæos suscepto reliquam dimidiam partem Urbis Hierusalem (2) evertisse: totam siquidem in priori bello sub Tito, & Vespasiano solo æquatam, eique postea a *Musonio Tyranno* munitionum Præfecto aratrum impressum, præter certa Scriptorum monumenta, Christi Domini verba (*Lucæ cap.*19. *v.* 44.) omnem adimunt dubietatem. Sanguinis fluxu, & hydropisi diutissime exagitatum, misere tandem Hadrianum obiisse fidem faciunt *Dio* (*in Hadriano*), & *Spartianus*; qui licet horum malorum caussam in *Severiani* viri optimi necem referant, justo tamen Dei judicio ob Christianorum cædes morte hac fuis-

logiæ, quin tantus erat erga Fratres amor, ut si qui fuissent in carcerem conjecti propter Christiani nominis professionem, quod accidebat quotidie, statim aderant, qui vinctos consolarentur, ac cibos etiam mitterent. Quod si non admitterentur a custodibus ad colloquium, mittebant libellos consolatorios, qualis est ille Tertulliani *ad Martyres, quo Martyrum animos confirmat, quos alii missis cibariis pascebant. Sic* Cyprianus *plurimos habet libros ad Martyres scriptos, ut est ille ad* Fortunatum, *& epistola ad* Syagrium, *&* Rogatianum *&c.*

(1) *Hæc templa Græci* Ἀδριάνια *vocabant. Narrat* Epiphanius *contra Ebionæos* Hadriani *Templum, quod* Alexandriæ *fuerat ejus honori consecratum, versum fuisse postea in Gymnasium, vèl* Prætorium Licinianum: *tandem vero a* Constantino *Imperatore ædem sacram ibi positam, & de nomine* Gregorli Meletiani *appellatam; ita paullatim ab Imperatoribus in pios usus conversa fuere hujuscemodi templa.*

(2) *In solo Hierosolymorum condita est ab* Hadriano Ælia Capitolina, *& in monte, ubi* Dei Optimi Maximi Templum *erat,* Jovi Capitolino *Templum excitavit. Quod videntes* Judæi *furore accensi, quod sacrum locum a Gentilibus pollueretur, arma corripientes, palam a Romanis defecerunt. Hoc est principium belli, quod latrone* Barchocheba *gestum est. Dicta vero est* Ælia, *ab* Ælio Hadriano *ejus conditore.* Capitolina a Jove Capitolino *ibi consecrato. Sub* Constantino *Ecclesia a Persecutionibus respirante celeberrima hæc civitas suum nomen repetivit, & non* Ælia, *sed* Jerusalem *denuo vocari cœpta est.*

fuisse punitum cum *Baronio* (*ad an. Ch.* 139.) non improbamus.

VII. Sed jam susceptam Disceptationem hanc totam absolvat *Marci Aurelii*, & *L. Veri Imperatorum* Persecutio: ad cujus statim exordium proponenda a nobis est quæstio illa, an aliquando pro Christianis Edictum promulgaverint. Negant id *Baronius* (*ad an. Chr.* 134.), *Halloixius* (*in not. ad vitam S. Justini*), & *Papebrochius* (*ad d.* 13. *Apr.*), illudque latum decretum non *M. Aurelio*, sed *Antonino Pio* attribuunt. Nostrum certe non est desertæ sententiæ patrocinium suscipere: quapropter *Valesio*, & *Pagio* morem gerendum esse ducimus affirmantibus *M. Aurelium* edictum illud in Christianorum gratiam protulisse. Verum instantibus deinde Philosophis (1), qui plurimum sub ejus Principatu poterant, vel nimio forsan erga Romanas cæremonias, & leges studio ductus, vel tumultuantium populorum iniquis petitionibus quotidie impulsus, (has enim veras extitisse Persecutionis caussas existimamus) mutato consilio, revocatoque veteri decreto, novo publicam movit Persecutionem. Sed agesis perquiramus annum, seu varias de re hac Chronologistarum opiniones. Omnium prima sit illa *Eusebii* (*in Chron. ad a. Ch.* 167.), qui ad annum Chr. 167. & septimo Imperii M. Aurelii reponendam esse docet. At anno sedulo expenso, quantum in eo ab *Eusebio* peccatum sit, notavit accuratissimus *Pagius* (*in Crit. Baron. ad an. Ch.* 163.). Vel si conjecturas nostras interponere licet, simulque genuinæ antiquitatis approbatorem *Eusebium* ab erroris nota vindicare, potius Persequutionis hujus augmentum ab eo designatum dicendum est. Huic proxima est illa *Pagii*, qui ad annum Chr. 163. consignat ex *Chronico Alexandrino*, atque ex sua sententia *Quindecennalium*. *Baronius* vero ad an. 164. *Petavius* ad 162. *Orosius* (*Lib.* 3. *cap.* 15.) tandem ad 161. pendente bello Parthico, & ante luem illam magnam, quæ Romam etiam se extendit anno 166. eam describunt. Nobis sane in re hac penitus hæret aqua: neque enim tam stupide arrogantes sumus, ut post tantorum Virorum Lucubrationes, invenire nos posse aliquid, cujus ratio haberi queat, existimemus. Itaque servato Disputationis ordine de præclaris Martyribus agendum est. *S. Ptolomæus*, & *Lucius*, & *Anonymus* alter, primi Romæ sub Judice *Urbico* passi sunt, quorum sincera nobis exhibuit *diligentissimus P. Ruinartius* (*Acta martyrum sincera, & selecta*). His adnumerari debet *S. Glyceria*, cujus Acta etsi ut sincera approbent alii, ea tamen ubique redolent falsitatem. Effervescente vero in Asia præsertim Persecutione *S. Polycarpus* una cum sociis martyrio coronatus est. De *Polycarpi* passionis die, & anno adeo diversa inter se sentiunt omnes cum veteres, tum recentiores Historici, ut vix certi aliquid de re hac statui possit. Sane si compertum nobis esset, quid *magni Sabbati nomine* intellexerint *Smyrnensis Epistolæ Scriptores*, quo die omnes *Polycarpum* passum volunt, aliqua fortassis lux inde nobis affulgeret; at quum de ejus nominis interpretatione Eruditi inter se non conveniant, res novis ambagibus involvitur. Stabit per nos dies mortis incertus; de anno tamen, qui fuit Christi 166. cum *Henrico Valesio* (*in not. ad Eusebium lib.* 4. *cap.* 5.) nequaquam dubitabimus (2). Hoc eodem anno ad hanc Persecutionem compescendam *S. Justinus* Christianus Philosophus post oblatam *Antonino Pio* pro Christianis *Apologiam*, secundam (3) denuo exhibuit, quam non *Antonino Pio*, sed vere *M. Aurelio* fuisse

(1) *Certum est* Crescentium Cynicum Philosophum *delicta plurima Christianis publice impatasse, eaque facillimum fuit Principi, ut vera proponere, qui plurimum Philosophis addictus erat.*

(2) *De his videndus est* Valesius *in not. ad cap.* 1. *lib.* 4. *Hist. Euseb.* Usserius *in not. ad Smyrnensis Ecclesiæ epistolam*, Halloixius *in cap.* 12. *vitæ S. Polycarpi*, Pearsonius *Diss.* 2. *de Episc. Romanis cap.* 18. Bollandus *denique ad diem* 26. *Januarii. Humanitatis enim nobis visum est hos, aliosque semper commemorare, per quos in hac Disputatione profecimus.*

(3) *Parva* S. Justini, *quam* M. Aurelio *obtulit, Apologia temporis ordine secunda est, quamvis in editis exemplaribus priorem locum obtineat.*

ſe Præſentatam, cum *Pagio* (*in Crit. ad an. Chr.* 118.), *Ruinartio* (*Admonit. ad Acta S. Ptolomæi, & Sociorum.*), ac aliis propugnamus. Anno vero inſequente ipſe Juſtinus Romæ, una cum ſociis aliis, martyrii palma donatus eſt, cujus ſincera Acta cum *Daniele Papebrochio* (*ad* 13. *Apr.*) ad *Juſtinum* alium referre, tanquam a vero prorſus alienum demonſtravit jam *Ruinartius* (*Admonit. ad Acta S. Juſtini*). Aliam quoque *Apologiam* poſt Juſtinum obtulit *Athenagoras*, eamque non *M. Aurelio*, & *L. Comodo*, ſed *M. Aurelio*, & *L. Vero* exhibuit, quam anno 169. excepit altera *Melitonis Sardenſis*. At quo demum exitu? Ut gravius nimirum in Galliis præcipue recrudeſceret Perſecutio. Quare *Photinus*, aliique plurimi ſublati ſunt, Martyreſque effecti in *Amphitheatro*. Nec ita ſolum ſævitum eſt in fortiſſimos (1) Chriſti Martyres, ſed eorum aliquos præterea ad *Metalla* damnatos (2), aculeo tortos, nervo (3) pedes habuiſſe diſtentos ex *Dionyſii Corinthiorum Epiſcopi*, ac *Viennenſis Eccleſiæ Epiſtolis* perſpicuum eſt. Quid modo dicemus de pluvia illa, quæ in Marcomannico bello a *M. Aurelio* ſuſcepto anno veroſimilius 167. contigit? Non adeo Chriſtianorum in bello illo pugnantium pietati, & gloriæ invidi ſumus, ut quidquam prodigii hujus eis detrahere velimus, eumque cum Ethnicis Scriptoribus aut *Mercurio*, aut *Jovi*, aut denique *Marco* ipſi tribuere, vel cum *Moylio* (*apud Joan. Clericum in Biblioth. veteri, & nova Tom.* 27. *part.* 1.) in dubium revocare (4): nihilo tamen minus epiſtolam, quæ ſuper re hac ad calcem Apologetici poſterioris apud *Juſtinum* legitur, ut legitimum *Marci Aurelii* fetum, approbare non audemus (5). Sicuti a quolibet Eruditorum probatum iri confidimus *Legionis Fulminatricis* nomen a prodigio hoc non fuiſſe ad milites derivatum. In hac Marcomannica expeditione morbo afflictus, cibi abſtinentia mortem voluntariam *M. Aurelius* oppetiit anno 180. die decimaſeptima Martii, in quam uſque diem perſeveraſſe Perſecutionem *Theophylus Antiochenus*, qui tum vivebat, affirmatiſſime ſcripſit.

Atque hic finis eſto Diſputationis de Perſecutionibus, quibus primo & ſecundo Æræ Chriſtianæ ſæculo Eccleſia exagitata eſt. Præſtat modo ad Juvenes noſtros aliquantulum ſermonem convertere, eoſque *Auguſtini Parentis Optimi* verbis ſic alloqui: *Hæc vobis pro magnitudine* Rei *forte pauca, pro tempore tamen, & pro viribus noſtris, & pro veſtris multa dicta ſunt; etſi forte enucleatius hæc quæſtio diſcuſſa non eſt, partim tamen magna, quæ poſtea ſi tractentur, invçniuntur. Date veniam, & anguſtiæ temporis,*

(1) *De Martyrum fortitudine ejuſque cauſſis agit* Dodvvellus *diſſ. Cyprian. XII. &* Theodoricus Ruinart *in Præf. ad Acta Martyrum ſincera, & ſelecta.*

(2) *Damnati ad metalla notis primum, ac ſtigmate deformabantur, fuſtibus deinde cædebantur, compedibus vinciebantur, ac tandem dexter oculus effodiebatur, ſiniſtriſque pedis nervus præſcindebatur. De his fuſius laudatus* Gallonius, *&* Baronius *in notis ad Martyrol. Roman.*

(3) Nervus *erat inſtrumentum, quo pedes Chriſtianorum, & crura in carceribus alligabantur, qualem deſcribit* Valeſius *in not. ad epiſtol. Eccleſiæ Lugdunenſis apud* Euſebium. *Porro grave id fuiſſe ſupplicium ex eo colligitur, quod eo Martyres plures occubuerint. Videndus laudatus* Gallonius *pag.* 70.

(4) Hermannus Witſius *anno* 1683. *Amſtelodami publicavit Diatriben:* „ De Legione „ Fulminatrice Chriſtianorum ſub Imperatore M. Aurelio Antonino, " *in qua ad fidem huic hiſtoriæ conciliandam multa profert, & ad oppoſita argumenta reſpondere conatur.*

(5) *Fuiſſe Gentilium opinionem pluviam hanc* Marci *precibus a* Jove *impetratam ex* Columna Antoniniana, *quæ Romæ adhuc ſupereſt, ſatis patet. In hac inter alia* M. Aurelii *geſta anaglyphice inſculpta viſitur* Jovis *effigies pluvias effundentis. Hanc* Baronius *Tom.* 2. *Annalium repræſentat, ſed expreſſius habetur in tabulis a* Petro Sancti-Bartoli *Romæ æri inciſis.*

ris, & viribus nostris, & capacitati vestræ... Quare ista diximus? Ut imitemini Martyres, nec putetis ideo vobis deesse posse occasiones coronæ, quia modo desunt tales Persecutiones. S. P. Augustinus Serm. 4. de Jacob, & Esau.

DOMNI THEODORICI RUINARTII

DE ACTIS MARTYRUM

DISSERTATIO XXI.

Ex ejus Præfatione Generali in Acta Martyrum.

I. Post sacras Scripturas, quas Divini Spiritus afflatu editas nobis reliquerunt sancti Dei homines, nihil nobis sanctius, atque antiquius esse debet, quam primigenia, & genuina Martyrum acta, quæ veneranda nobis antiquitas hactenus illibata servavit. Cum enim ex Divinis Litteris (*Marc.* 13. *v.* 11.) habeamus eorum Dicta, cum ad Præsides sisterentur, superno instinctu pronuntiata fuisse, fit, ut quæ in his Actis eorum ad Præsidium quæstiones responsa continentur, pro Sacris Oraculis merito habenda sint. Nec sane minori religione eorum Facta, præsertim vero martyria accipienda sunt, ut quæ, nonnisi Spiritus Sancti impulsu suscipi, nedum consummari potuerint. Itaque si virorum illustrium præclare gesta diligenter adeo annalibus historicis commendantur, ut in his monumentis, veluti in speculo quodam, posteri quid pro vita recte instituenda amplectendum, quidve fugiendum sit intelligere possint: quanto majori studio, quæ nobis supersunt de Christi Martyrum Actis colligenda sunt, ut eorum lectione excitati fideles, quæcumque in vitæ Christianæ decursu difficilia, aut dura occurrunt, patientissime tolerent: quin etiam, ut si quandoque aliquid insolitum, & arduum pro tuendis Christi partibus aggrediendum sit, id audeant; atque facultates, ipsamque vitam, si res ita exigat, impendere tantorum hominum exemplo nunquam refugiant? *Armantur enim*, inquit Eucherius Lugdunensis in homilia de Sanctis Petro, & Paulo, *filiorum animi, dum patrum recensentur triumphi. Ex his quippe intelligimus, quantum debeat desiderari vita illa æterna, quam per cruciatus, per vulnera, per intolerandos labores vidimus inquiri, quam cognoscimus pretio Sanguinis comparari*. Id sane persuasum erat priscis illis Christianis, qui furentibus licet persecutionibus, aut certe paullo post iis sedatis, tanta cum sollicitudine, sæpius etiam cum vitæ periculo, Sanctorum Martyrum Acta comparare satagebant, ut nullum non moverent lapidem, nulli Industriæ, labori, atque auctoritati parcerent, quo votis suis potirentur. At quibus demum modis id obtinuerint libet paullo distinctius explicare.

II. In primis ea nonnunquam ab ipsismet notariis publicis quantovis pecuniarum pretio extorquebant. Nonnulli etiam cum Martyrum quæstiones haberentur, sese cum spectantibus gentilibus intermiscebant, sicque ea quæ tum a Præsidibus, tum ab ipsis Martyribus dicta, factave fuerant, diligentissime annotantes, ex iis, quæ coram positi viderant, aut audierant, postea Acta concinnabant, quæ ab Episcopis, aut aliis, quibus hæc cura demandata fuerat, recognita, & approbata demum omnium fidelium manibus terebantur. Alterutro modo Nemesianus ceterique Martyres Africani in metallis constituti Acta primæ Confessionis Sancti *Cypriani* habuerant. His vero se veluti armis cælestibus instructos esse gloriantur in epistola inter Cyprianicas novæ editionis 77., alias 78., quibus se adversus Præsidis sævitiam, ceterorumque inimicorum insidias tutarentur. Neque vero existimandum est id honoris tribu-

butum solis viris genere, aut dignitate conspicuis, ut si forte ob Christi fidem occumberent, eorum Acta colligerentur: cum teste Pontio in ejusdem Cypriani vita, tanta fuerit Christianorum erga Martyres religio, *ut plebejis, & Catechumenis martyrium consecutis, tantum honoris pro martyrii ipsius veneratione dederint, ut de passionibus eorum multa, aut pœnæ cuncta conscripserint.*

III. Alio item modo Martyrum aliquot gesta ad nos pervenerunt, cum scilicet ipsimet Martyres tormenta, quæ a se ipsis, vel ab aliis Martyribus superata fuerant, describere curarunt. Ejusmodi Acta habemus, quæ Sancta *Perpetua* de suo ipsius martyrio conscripsit. Idem *Saturus*, *Flavianus*, aliique passim Martyres de se ipsis præstiterunt. Sic etiam *Ignatius* Martyr Romanos de iis, quæ in itinere a militibus perferebat, certiores fecit in Epistola plane apostolica ad eos præmissa. Sic Dionysius Alexandrinus *Martyrum Alexandrinorum* gesta transmisit ad Fabium Antiochenum Antistitem, immo & suæ ipsius confessionis Acta in epistola adversus Germanum inseruit. Plura etiam de ejusmodi Martyrum agonibus habentur apud Cyprianum in ejus epistolis, quibus Sanctus Antistes priorum Martyrum exemplo posteriores ad tormenta fortiter perferenda excitabat. Quandoque etiam Antistites, cum sibi interitum imminere viderent, fideles sibi commissos ea de re commonebant, ne mortis, aut tormentorum metu deterrerentur, quæ a se, & ab illis Martyribus tam alacriter scirent superari. Egregiam ejusmodi epistolam habemus apud Eusebium, quam Phileas Thmueos Episcopus ad suos conscripsit, ut eos de suo statu faceret certiores, *tum*, inquit Eusebius, *ut pietatem in Christum, etiam post obitum suum jamjam imminentem mordicus retineret*. Tandem Ecclesiæ, quæ tantis viris ornatæ fuerant, post consummatum eorum martyrium, totam rerum gestarum seriem in epistola encyclica descriptam, ad alias Ecclesias transmittebant, ut non solum apud se, verum etiam apud exteras regiones, tam illustrium virorum memoria celebraretur. Id fecere Smyrnenses post beati Polycarpi passionem; Lugdunenses, & Viennenses in epistola ad Asiæ, & Phrygiæ Fratres; aliique nonnulli, quorum opuscula, quæ supersunt, aliaque ejusmodi sacra monumenta quæque suo loco proferemus.

IV. Verum quidem est plerorumque Martyrum Acta non solum diuturnitate temporis, sed etiam tyrannorum malitia excidisse. Cum enim advertissent Christiani nominis hostes ejusmodi scriptis fidelium animos in sua religione confirmari, & accendi, non Christianis solum, sed etiam Christianorum libris bellum indixere, quod etiam ante magnam Diocletiani persecutionem gentilibus exprobat Arnobius sub finem libri 4. adversus Gentes: quin & nonnulli provinciarum Præsides vetuerunt, ne Martyrum quæstiones cum Actis publicis reservarentur, quod se Martyrum constantia victos erubescerent, ut diserte observat de Daciano Hispaniarum Præside auctor antiquus, qui Acta Sancti Vincentii concinnavit. Ea de re conqueritur Prudentius in Hymno de sanctis Martyribus Emetherio, & Chelidonio, quorum martyrii Acta gentiles suppresserant, ne apud Christianos celebrarentur. Is nempe cum illos Martyres milites, ac fratres fuisse dixisset, innuissetque eosdem multa pro Christi nomine pertulisse, sic pro more suo eleganter exponit quare plura de ipsis non retulerit.

> *O vetustatis silentis obsoleta oblivio!*
> *Invidentur ista nobis, fama & ipsa extinguitur;*
> *Chartulas blasphemus olim nam satelles abstulit,*
> *Ne tenacibus libellis erudita Secula,*
> *Ordinem, tempus, modumque passionis proditum,*
> *Dulcibus linguis per aures posterorum spargerent.*

Idem de Italia asserit auctor passionis Sancti *Anastasii Fullonis* martyris Salonitani, quam passionem penes nos habemus ex cod. ms. monasterii Sancti Michaelis in Periculo maris. Immo in illa extrema Diocletiani persecutione res ita tumultuose agebantur, ut plerumque Christiani sine ulla juris formula, & *quasi jure belli*, ut loquitur Eusebius, turmatim interficerentur: quorum proinde Martyrum ne quidem nomina, nedum Acta posteris innotuerint.

V. Hoc conquesti sunt aliquando Sancti Pa-

Patres, quod ex tanta Sanctorum Martyrum multitudine, paucorum Acta supereslent, quæ in Ecclesia publice legerentur. Ea enim fuit antiquitus Ecclesiæ Catholicæ consuetudo, ut eorum Martyrum, quorum festa peragebantur, recitarentur gesta in Conventibus publicis. Hunc fuisse Ecclesiæ Africanæ morem probant varia Augustini testimonia, quæ passim occurrunt. Quem ritum celeberrimæ hujus Ecclesiæ communi Patrum decreto approbatum fuisse patet ex Can. 46. codicis Africani apud Labbeum tomo 2. Conciliorum col. 1072. Hunc vero Canonem laudat Hadrianus Pontifex in epistola ad Carolum Magnum adversus objecta, quæ contra Septimam Synodum generalem intentabantur, apud eumdem Labbeum tomo 7. col. 954. Eadem erat nostræ Gallicanæ Ecclesiæ consuetudo, ut patet ex Serm. 95. S. Cæsarii Arelatensis Episcopi, qui est appendicis Augustinianæ 300. ubi conqueritur Sanctus Antistes, quod cum iis, qui pedes dolerent, aut aliqua tenerentur infirmitate, consilium dedisset, ut quando aut *Passiones prolixæ*, aut aliæ Lectiones prolixiores legerentur, sederent, aliquæ tamen *ex filiabus*, quamvis sanæ, idem præstare tentaverint. Passionem martyrum Agaunensium *ex consuetudinis debito* lectam fuisse, ait Avitus Viennensis Episcopus in homeliæ fragmento, quod habes infra. Et quidem in Liturgia Gallicana, quam ex veteri cod. ms. monasterii Luxoviensis vulgavit noster Johannes Mabillonius, inserta erant aliquot Martyrum Acta. Hoc ipsum disertis verbis affirmat Hilduinus in Epistola ad Ludovicum pium Areopagiticis præfixa, ubi laudat *antiquissimos, & nimia pene vetustate consumptos missales libros, continentes Missæ Ordinem more Gallico, qui ab initio receptæ fidei, usu in hac occidentali plaga est habitus, usquequo tenorem quo nunc utitur Romanum susceperit; in quibus voluminibus habentur duæ Missæ* de Sancto Dionysio, *quæ sic inter celebrandum ... tormenta* Martyris sociorumque *ejus succincte commemorant: sicut & reliquæ Missæ ibidem scriptæ aliorum Apostolorum, vel Martyrum, quorum passiones habentur, notissime decantant.* Hæc Hilduinus. Idem etiam in Hispaniarum Ecclesiis observatum fuisse probamus non solum, quod eodem fere ritu, ac Galli uterentur, sed etiam ex Braulionis Episcopi Cæsaraugustani præfatione in vitam S. Æmiliani, quam se scripsisse ait, *ut posset in Missæ ejus celebratione quantocyus legi*. Ceterum idem etiam institutum in Monasteriis viguisse testantur veterum Patrum Regulæ. Idipsum quippe decernit Sanctus Ferreolus Ucetiensis Episcopus cap. 18. Aurelianus vero Episcopus Arelatensis in Ordine psallendi constituit, *ut in Martyrum festivitatibus tres, aut quatuor Missæ*, sic lectiones appellat, *fiant*: quorum prima de Evangelio, reliquæ de *Martyrum passionibus* sint, quæ eadem verba habet Cæsarius in Regula ad Virgines apud Bollandum die 12. Jan. num. 69. Hunc tamen ritum improbare videtur Agobardus sæculo 9. Lugdunensis Antistes, in libro de Correctione Antiphonarii, quasi aliæ lectiones præter Canonicas Scripturas in officiis Divinis admittendæ non forent. Certe olim in Ecclesia Romana etsi gesta Martyrum susciperentur, non tamen eorum lectio probabatur in conventibus publicis ex Gelasiano decreto, quæ tamen de sola Lateranensi Ecclesia, & de Martyrum Actis, quorum auctores erant ignoti, intelligi debere probat noster Johannes Mabillonius in Disquisitione de Cursu Gallicano parag. 1. Et quidem Sanctorum Vitas Romæ lectas fuisse, testis est Hadrianus I. in epistola jam laudata, ubi hæc habet: *Vitæ Patrum sine probabilibus auctoribus minime in Ecclesia leguntur. Nam ab Orthodoxis titulatæ, & suscipiuntur, & leguntur.* Idem patet ex Johannis Diaconi præfatione in vitam S. Gregorii Magni ad Johannem VIII. Hanc vero cautelam exigebat hæreticorum malitia, qui falsa, & portentosa aliquot Martyrum Acta confixerant. Ceterum præcipuæ Martyrum actiones inter ipsas etiam Missæ preces inserebantur, ut ex antiquissimis Liturgiis Gallicana Muzarabica, & ipsa etiam Gregoriana probari potest. Ibi enim Missæ contestationes, quas vulgo nunc præfationes appellamus, nihil aliud sunt, quam Martyrum, de quibus Missa celebratur, præclare gestorum expositio. De ejusmodi vero contestationibus intelligendus est Hilduini Abbatis Dionysiani locus in epistola Areopagiticis præfixa ad Ludovicum Pium Imperatorem, ubi ait, *inter celebrandum tormenta Martyrum succincte commemorari* in veteribus Missalibus libris, qui ante receptum *tenorem Romanum* in Gallia usui habebantur. Verum cum in ejusmodi

di contestationibus, vel etiam in Actis genuinis, res gestæ sic ut plurimum referrentur, ut a populo facile non possent intelligi, solebant Episcopi de Martyrum, quorum festivitas celebrabatur, præclare factis fusius ad plebem, pro audientium captu differere; hincque nata occasio est tot de Martyrum laudibus Homilias, & Sermones conscribendi.

VI. Porro non solum palam in conventibus publicis legebantur Martyrum Acta, sed etiam fideles ea apud se privatim diligentius evolvere solebant. Eorum lectionem discipulo suo maxime commendat Sanctus Nilus beati Chrysostomi discipulus lib. 4. epist. 1. quam lectionem utilissimam esse Monachis asseverat Cassiodorus Guillelmus Sancti Theodorici Abbas in Tractatu ad Fratres de Monte Dei ipsis etiam novitiis proponenda esse gesta, & passiones Martyrum censet, cum in eis semper aliquid occurrat, quod animum excitet ad amorem Dei, & contemptum sui. Stephanus Grandimontensium Monachorum institutor, quo tempore fratres ejus refectionem percipiebant, ipse, *sicut consuetudo religionis est, in refectorio ad mensam sedentibus humiliter humi residelat* legendo passiones Sanctorum &c. ut in ejus vita legitur cap. 4. die VIII. Februarii Bollandiani. Tanta vero erat quorumdam virorum Sanctorum erga ejusmodi sacra monumenta religio, ut ea semper secum, etiam in ipsis itineribus deferrent. Sanctum Sigiranum, *Sanctorum Acta, librosque Divinos pro jugi assiduitate legendi* secum in itinere Romano detulisse refert ejus vitæ Auctor Sæculo 2. Benedictino pag. 457. Idem etiam fecisse Bonifacium Archiepiscopum Moguntinum, colligitur ex Buggæ epistola inter Bonifacianas 35. in qua beato Antistiti respondet, se nondum passiones Martyrum, quas petierat, transmisisse, quod eas impetrare non potuisset: id vero, si valeat, se brevi præstiturum pollicetur. Nec dubium, quin ejusmodi monumenta evolvendo ad Martyrium perferendum Bonifacius eruditus fuerit. Mira sunt quæ de Sancto Anastasio Monacho Persa, & Martyre hac occasione narrantur in ejus Actis, quæ in 7. Synodo generali approbata sunt. Hic quippe *cum apud se legeret victorias Martyrum, trophæa, & certamina, libros aspergebat lacrymis, orabat, ut ipse quoque pro Christo tales subiret perpessiones. Quocirca nulli rei alteri sibi vacandum esse censebat, nisi soli eorum lectioni.* Idem ferme habet Ulfinus Boetius in vita Sancti Juniani Abbatis Mariacensis, de quo num. 4. narrat, *quod frequenter legeret Canonicas, & Apostolicas Scripturas, etiam Sanctorum Patrum vitas, & Martyrum victorias, & coronas virginum, quorum exemplis mentem semper armabat, & ea agere tentabat, quæ Viri Sanctissimi, & fortissimi victoriosissime, & præclarissime egerunt.* Hinc etiam adinventæ in Ecclesiis picturæ, ne, ut ajunt Sancti Patres rudes, & illitterati fideles tam egregiis exemplis privarentur. Quantum vero ex eorumdem Actorum lectione profecerit beata Virgo Theresia, ipsamet exponit in vita sua capite 1. Nemo nescit Beatum Ignatium ex fortuita vitæ Sanctorum lectione ita ad eorum sectanda exempla fuisse animatum, ut tandem omnibus relictis soli Deo vacare constituerit. Alia exempla passim in Ecclesiasticis historiis occurrunt, quæ brevitatis studio omittimus. Sed hic proferre juvabit, quid de ejusmodi sacris lectionibus senserit Josephus Scaliger, vir certe a muliebri religione alienissimus. Hic in animadversionibus Eusebianis ad annum MCLXXXIII. de Sancti *Polycarpi*, aliorumque Martyrum sinceris Actis agens, sic loquitur. *Horum lectione piorum animus ita afficitur, ut nunquam satur inde recedat. Quod quidem ita esse unusquisque pro captu suo, & conscientiæ modo sentire potest. Certe ego nihil unquam in historia Ecclesiastica vidi, a cujus lectione commotior recedam, ut non amplius meus esse videar.*

VII. Cum itaque tanto in pretio apud omnes essent Martyrum Acta, mirum non est, si viri sacræ antiquitatis studiosi in iis colligendis operam dederint. Celebris est inter alios Eusebius Cæsareæ Palæstinæ Episcopus, qui præter ea, quæ de Sanctis Martyribus in Historia Ecclesiastica refert, duos de eorum gestis singulares libros edidit. Prior quem Ἀρχαίων Μαρτύρων συναγωγὴν appellat, veterum Martyrum Acta genuina complectebatur, quantum ex iis, quæ de hoc libro in Historia habet, colligere fas est. In posteriori autem, quem de *Martyribus Palæstinæ* inscripsit, narrat ea, quæ de suæ provinciæ Martyribus in magna Diocletiani persecutione, ipse rebus gestis præsens viderat, & audierat.

 Hunc

Hunc librum , qui ad nos usque pervenit , integrum exhibemus. At prior de antiquis scilicet Martyribus, qui jam tempore Gregorii Magni, nec Alexandriæ, nec in ulla Romanæ urbis Bibliotheca poterat reperiri , ut ex ejusdem Gregorii epist. 29. lib. 7. Indict. 1. patet, si penitus non exciderit, ita latet, ut diu licet a Viris perspicacissimis conquisitus, a nemine prorsus hactenus potuerit inveniri. Erunt fortasse, quibus certum Victorem, cum ejus *Historiam* Hieronymus postulaverit a Paulo Concordiensi monacho, seu sene, epistola alias 21. nunc vero 10. *propter notitiam persecutionum*. In hanc sententiam totus ivit Marianus Victorius in notis ad laudatam beati Hieronymi epistolam , ubi ait ejus argumenti opus ab Aurelio Victore fuisse scriptum , complectens historiam persecutionum Ecclesiæ, usque ad Diocletianum . Quod quidem opus sua ætate in Bibliotheca Vaticana extitisse idem Auctor testatur. At his assentiri non potest V. Cl. Stephanus Baluzius, qui in notis ad Lactantii libellum de mortibus persecutorum, tomo 2. Miscellaneorum editum , negat plane Victorem, hominem gentilem , unquam ea de re quicquam scripsisse, aitque, hoc loco nihil aliud a Paulo Concordiensi Hieronymum petiisse, quam Victoris vulgatam historiam de vita Imperatorum ad Julianum, ex qua notitiam habere posset *persecutorum , idest eorum imperatorum qui persecuti sunt Ecclesiam Dei*. Quam quidem sententiam ex eo maxime confirmat vir eruditus , quod plerique veteres scripti , & editi *propter notitiam persecutorum* habeant , *non vero persecutionem* , ut primus edidit Erasmus, fortasse e Codice Victorino, qui ita habet. Ceterum pace Ecclesiæ restituta, cum sub Christianis Imperatoribus tuto liceret Martyrum festivitates agere , singulæ fere Ecclesiæ quæcumque de suorum Martyrum gestis supererant, studiose collegerunt, ut in publicis conventibus legerentur. Hæc autem Acta erant , ut jam diximus , vel ex Actis publicis excerpta , vel a nonnullis Christianis , qui Martyrum quæstionibus præsentes interfuerant concinnata : aut si forte neutro modo haberi potuissent , si aliquid ex publica fama notum esset, aut certe ex antiquioribus viris, qui persecutionum tempore vixerant, hæc omnia in unum colligebantur, unde aliqua saltem Martyrum gesta innotescerent. At cum paullo post omnes fere Romani imperii Provinciæ a Barbaris devastatæ, & occupatæ fuissent, ex iis etiam Actis pleraque perierunt, quibus alia postmodum substituta fuere , sed quæ ad illorum auctoritatem non pertingunt, nedum ad priorum sinceritatem. Ea autem sunt , quæ passim in codicibus mss. & editis occurrunt, quæ tametsi primogenitorum Actorum puritatem non assequantur , multisque ut plurimum circa personas, & tempora scateant mendis; non tamen omnino rejicienda crediderim. Iis accensenda sunt Acta , in summa quidem sincera , sed quæ ab hominibus imperitis temere violata sunt, adjunctis ad priora Acta miraculis , aut Martyrum cum tyrannis concertationibus , quibus , ut sibi videbatur , Martyrum suorum fortitudinem magis celebrarent: quamvis exinde apud viros doctos auctoritate sua ejusmodi monumenta exciderint , etsi passim in iis aliquod prioris sinceritatis veluti scintillæ elucere conspiciantur. Cavendum tamen ne in hac classe computentur Acta illa , utique sincera , quibus initio præfixa est præfatiuncula brevis, aut in fine clausula , in qua martyrii consummatio exponitur. Cum enim, ut plurimum Acta publica, lata sententia statim desinerent , nec in ipsis Martyrum mors (nisi forte in ipsa quæstione præ tormentorum acerbitate obiissent) referretur; id postea suppleverunt Christiani , vel ipso persecutionis tempore , aut saltem cum primum in unum ejusmodi monumenta collecta fuerunt. Sed hinc nullatenus Actorum ipsorum auctoritas minuitur.

VIII. Ex his patet , quam difficile esset eorum omnium nomina recensere , qui in colligendis Martyrum Actis operam suam contulerunt, quippe cum non solum unaquæque Ecclesia, sed etiam quilibet privatus, suam, ut sibi videbatur, collectionem adornaret. Fuere tamen nonnulli qui hac in re inter alios enituerunt. Ceraunium Episcopum Parisiensem , qui sæculo 7. ineunte floruit , Wharnarius Eusebio Cæsariensi comparat , quod *Sanctorum Martyrum gesta pro amore religionis congregare in urbe Parisiaca devotus intenderet*. Hujus Wharnarii Lingonensis Ecclesiæ Archidiaconi Epistola habetur apud Surium, & Bollandum die 17. Januarii cum Tergeminorum martyrum Lingonensium passione , quam passionem cum *Desiderii Episcopi*

pi

pi Lingonensis, & Martyris gestis se imperante Ceraunio descripsisse testatur. Omitto Gregorium Turonensem Episcopum, & Fortunatum Pictaviensem, qui ut omnes norunt, multa de Sanctis eorumque miraculis conscripsere. Sæculo IX. Anastasius Bibliothecarius Petri Gaviensis Episcopi hortatu aliquot Sanctorum gesta e Græco in latinum transtulit, ut patet ex diversis eorum Actorum prologis, qui e sacri monasterii Casinensis bibliotheca a nostris Johanne Mabillonio, & Michaele Germano eruti, tomo I. Musæi Italici editi sunt. Ex his unus est in Martyrum *Cyri*, *&* *Johannis* Acta, unde discimus ea a beato Sophronio Jerosolymitano Episcopo conscripta fuisse. Actis Martyrum colligendis Johannes S. R. E. Diaconus eodem etiam sæculo insudavit, ut patet ex Gaudentii Veliterni Episcopi Epistola ad Johannem VIII. Papam, quæ Musæi Italici tom. I. pag. 79. inserta est. Quin & ipsos ejus ævi Imperatores iis rebus animum applicuisse colligimus ex inscriptione quorundam SS. *Cornelii*, *&* *Cypriani* Actorum, quæ Hilduinus archicancellarius *jubente Lothario Augusto* ordinasse dicitur; & Johannes supra laudatus *jubente Carolo rege* vitam S. Mariæ Ægyptiacæ conscripsit, quod in uno cod. ms. S. Germani Antisiodorensis observavimus. Floruit sæculo sequenti Frodoardus Canonicus Rhemensis, inter ejus ævi scriptores historiarum facile princeps, qui præter opera edita scripsit libros quindecim de *Triumphis Martyrum*, quos cum aliis ejus carminibus Treviris delitescere Brouverus observavit. At eos etiam invenimus sed mutilos, in cod. ms. ejus ætatis, qui nunc apud Carmelitas discalceatos Parisiis asservatur. Eodem, uti vulgo creditur, sæculo, celebris fuit apud Græcos Symeon cognomento Metaphrastes, qui Sanctorum Acta undique conquisita in unum collegit, quamvis hoc in eo viri eruditi merito reprehensione dignum judicent, quod eorum nonnulla variis interpolaverit additamentis, novaque aliquot, cum vetera deficerent, proprio marte cuderit. De his erudite differit Leo Allatius in Diatriba de Symeonum scriptis. Johannem de Voragine, Legendæ, quam vulgo appellant, aureæ, seu Lombardicæ, auctorem, Petrum de Natalibus Episcopum Equilinum, Georgium Wicelium, aliosque ejusmodi collectores prætermitto, qui Sanctorum gesta contraxere. At laude dignior est Aloysius Lipomanus Episcopus Veronensis, qui sub sæculi 16. medium Sanctorum vitas, & Martyrum passiones ita collegit, ut ipsius scholia ab actorum textu secernerentur. Multas etiam e Græcis edidit, sed per Guillelmum Sirletum, postea Cardinalem, Gentianum Hervetum Canonicum Rhemensem, aliosque viros eruditos latinitate donatas. Claruit paullo post Laurentius Surius Carthusianus, qui tum ex editis, tum ex codd. mss. novam collectionem, stilo veteri quandoque immutato, secundum mensium, & dierum ordinem dispositam adornavit. Multos etiam iste habuit Abbreviatores. At Boninus Mombritius, qui primus omnium ejusmodi Actorum edidit collectionem, in qua Acta aliquot Martyrum Mensis Januarii comprehenduntur. Aliam item sub supplementi Suriani nomine paraverat Nicolaus Belforstius Canonicus Regularis Sancti Johannis de Sineis apud Suessiones: at ejus editionem impedivit Aubertus Miræus, caussatus se multo majorem paratam habere, quam tamen, & ipse infectam reliquit; ac si Belforstii labor inutilis fuisset, nisi ejus Schedulæ in RR. PP. Antuerpiensium Soc. Jesu manus devenissent, qui jam aliquot acta sub ipsius Belforstii nomine suæ collectioni inseruerunt. Hæc autem RR. PP. collectio omnium est amplissima, quam Johannes Bollandus, ejusque doctissimi successores, incredibili labore, & diligentia, conquisitis, & collectis ex tota fere Europa Sanctorum gestis, jam ad finem fere Junii promoverunt, quibus quantum debeam, ex operis decursu patebit. Porro in Elencho codd. mss. Belgii, quem Sanderus edidit Insulis an. MDCLXIII. Tom. 2. pag. 158. inter alios codices, qui ex Bibliotheca Auberti Miræi recensentur, unus occurrit sub hoc Titulo: *Nicolaus Belforstius Canonicus Regularis Sancti Johannis Suessionensis concinnavit supplementum Surianum de probatis Sanctorum historiis ex mss. codd. Franciæ & Belgii, in Folio.*

AD CAPUT XVII.

P. JOHANNIS CABASSUTII

CONGREGATIONIS ORATORII DOMINI JESU

De litteris formatis, seu Canonicis

DISSERTATIO XXII.

I. QUæ litteræ Græce *Canonicæ*, Latine formatæ dicebantur, usitatissimæ fuerunt ab ipsis Christianismi primordiis ab Apostolorum sæculo. Verum quia his frequenter tum hæretici, tum etiam ex gentilibus impostores abutebantur, visum est Patribus in Nicæna prima Synodo congregatis novam illis formam præscribere, ut fidem facit Atticus Constantinopolis Episcopus hoc ordine, ut in primis prima apponerentur SS. Trinitatis personarum elementa pro voce πατὴρ littera π, pro voce υἱος lit. υ, & pro voce ἅγιον πνεῦμα lit. α. Apostoli quoque Petri lit. π. Ejus demum qui formatam epistolam scribit prima nominis littera, & cui scribitur secunda, & pro quo scribitur tertia, & civitatis, de qua scribitur quarta littera. Denique indictionis, quæcumque tunc occurrit, numerus litteralis assumatur. Obiter ex illo Attici testimonio liquet Indictionum usum jam viguisse Nicæni Concilii tempore. Indictionum plerique suspicantur auctorem Constantinum Magnum. Errare insuper constat Cedrenum, aliosque, illarum affirmantes auctorem Theodosium seniorem. Indictiones singulæ quindecim annorum seriem complectebantur. Earum triplex notatur discrimen: aliæ namque Constantinopolitanæ dicebantur., de quibus ita loquitur Ambrosius in epistol. ad Episcopos Æmiliæ: *Indictio* Septembri mense incipit, hoc est ipsis Calendis Septembribus. Aliæ Cæsareæ vocabantur, quarum sumitur initium ab octavo Calendas Octobris. Tertiæ demum Romanæ, quia in Pontificiis diplomatibus adhiberi solent, earumdemque notatur exordium a Calendis Januarii. Ad finem formatarum adhibebatur Græca vox, seu potius Hebraica, sed litteris Græcis expressa, ἀμήν. Hanc de formatis litteris observationem juxta Nicænum decretum transmisit Atticus Constantinopolis Episcopus, quasi additamentum ad viginti Nicæni Synodi Canones, quos ab ipso expetiverat Aurelius Carthaginis Episcopus, quo tempore habebatur Concilium., cui præsidebat, Carthaginiense sextum: ut annotat Baronius tomo 3. ad annum 325. & reperitur in antiqua Crescoriana editione, sub Attici titulo; & alibi excusum legitur post finem Synodi Chalcedonensis, ut monet Baronius dicto anno numero 162. & Bellarminus lib. 1. de Summo Pontifice cap. 24.

II. Formatæ porro litteræ in varias distribuuntur species, quarum aliæ communicatoriæ, Græce κοινωνικαὶ γραφαί, dicuntur, istæque ab Episcopis concedebantur subditis suis peregre euntibus, ut quocumque tendebant in communionem fidelium admitterentur, hospitioque exciperentur. Huc respiciunt quæ ad Cajum scribit S. Joannes Apostolus ep. 3. *Charissime, fideliter facis quidquid operaris in Fratres, & hoc in peregrinos, qui testimonium reddiderunt charitati tuæ in conspectu Ecclesiæ: quos benefaciens deducens digne Deo, pro nomine enim ejus profecti sunt, nihil accipientes a Gentibus. Nos ergo suscipere debemus hujusmodi, ut cooperatores simus veritatis. Scripsissem forsitan Ecclesiæ, sed is, qui amat primatum gerere in eis, Diotrephes, non recipit nos: neque ipse suscipit fratres, & eos qui suscipiunt prohibet, & de Ecclesia ejicit.* Hujusmodi litterarum, sub nomine *contesserationis hospitalitatis* meminit Tertullianus de præscript. advers. hæret. c. 20.

III. Sub imperio Vespasiani veterator insignis professione Philosophus, nomine Peregrinus, & ob versatiles in omnem modum fraudes cognominatus Proteus, se aliquando Chri-

Christianum finxit, eoque dolo non modo frequentium peregrinationum certissimum viaticum retulit, sed etiam innumera fabricans mendacia, multas divitias ex liberalibus Christianorum officiis, quorum tandem communione (detectis imposturis) ejectus, se ad pristinam gentilitatem reduxit. Hujus veteratoris historiam flagitiis, præstigiisque refertam Lucianus pertexuit.

IV. Nihil vero quod ad rem attinet intercedebat discriminis inter litteras pacificas, & communicatorias, idest, ut Græci appellant, inter εἰρηνικαῖς ϗ κοινωνικαῖς sub diversis nominibus una, eademque res exprimebatur, nec his alio intendebatur, quam ut aliquis viæ se committens hospitio susciperetur, & in communionem cum ceteris fidelibus admitteretur Christianæ societatis. At vero *Commendatitiæ*, non vulgaris notæ, & proletariis laicis, sed solis honorificis personis indulgebantur, ut lautius, & liberalius exciperentur ab Ecclesiis, ut colligere est ex can. 11. Chalcedonensis Synodi, hoc sanciente, ut pauperibus peregre ituris solæ darentur ad Ecclesias litteræ pacificæ, sed non συστατικαὶ, idest commendatitiæ, quippe quæ in favorem reservandæ sint τοῖς οὖσιν ἐν ὑπολήψει. Quia vere Græca vox ὑπόληψις nunc suspicionem, nunc autem honorificam æstimationem denotat, eam vocem hoc loco interpretati sunt de sinistra suspicione posteriores sæculi, Zonaras, Balsamon, & Matthæus Blastares. Gentianus quoque Hervæus ibi exponit *Commendatitias* solis personis, quæ suspecti sunt, concedi oportere. Sed jam quæro, cur solis pauperibus, & simul suspicione improba laborantibus, non alias, quam pacificas præberi litteras, cum tamen clarioris notæ peregrini minus habeant suspicionis, & paupertas viliores personas, præsertim vagas, & errabundas multo facilius, ac frequentius ad mendacia, & imposturas adigere soleat? Quapropter cum sit major de pauperibus, & obscuris personis, quam de claris, & sublimioribus hominibus suspicio, illis utique multo magis denegandæ sunt commendatitiæ, quam istis, a quibus remotior est fraudulentiæ suspicio. Sed longe prudentior mens Concilii fuit, indignum existimantis, discrimini Ecclesiarum, & Antistitum objicere homines abjectos, & suspicioni obnoxios per commendatitias, quibus maius inest privilegium, easque illis recusare, quos sua claritas, & honorabilis existimatio longius ab omni suspicione removet. Felicius igitur veræ intelligentiæ scopum veteres translationes attigerunt; Dionysii quidem sic vertentis: *Commendatitias litteras honoratioribus tantummodo personis præstari*. Et deinde Isidori sic interpretantis: *Commendatitias epistolas eos tantum accipere convenit, qui in opere sunt clariores*. Et sane apud veteres Græcos voces duæ ὑπόληψις & δόξα id commune habent; ut nunc opinionem, ac existimationem generatim, nunc vero gloriosam famam, & claritudinem significent. Ideoque Chalcedonensis can. 13. interdicit Clericis Ecclesiastica ministeria in aliam commigrantibus civitatem, nisi commendatitiis instructi sint litteris.

Quis vero inter obscuros homines collocet Episcopos, Presbyteros, & Diaconos, cum sint in Ecclesia digniores, & honoratiores præ aliis, sive Clericis, sive laicis? Sardicensis præterea Can. 9. providet, ut ad graviora negotia in majori civitate, aut in comitatu Principis gerenda, mittant Episcopi Diaconum ad loci Antistitem eum commendatitiis litteris; Carthaginiense pariter sub Siricio Pontifice Concilium tertium can. 28. non permittit Episcopis transmarinas profectiones inconsulto Metropolitano, a quo formatam sumere necesse habent. Prima commendatitiarum epistolarum mentio fit 2. Cor. 3. *Nunquid egemus sicut quidam commendatitiis epistolis ad vos?* Græce συστατικῶν ἐπιστολῶν.

V. Quemadmodum dixi, ad exercendos alibi jam susceptos Ordines, necessariæ sunt Clericis commendatitiæ litteræ, ita & ad novos alibi suscipiendos necessariæ sunt Clerico ex parte proprii Episcopi dimissoriæ litteræ ἀπολυτικαὶ γραφαὶ, ut admonet Theodorus Balsamon ad Apostolorum can. 15. districte namque prohibetur Episcopis alieni Clerici ordinatio, nisi ex consensu proprii illius Episcopi, Nicæno can. 16. aliisque innumeris canonibus priscis, atque recentibus.

VI. Formatarum insuper nomine designantur litteræ Paschales, indicentes quota ejus anni Dominica celebrandum sit proximum Pascha. Fuit antiquissima consuetudo, ut Romanus Episcopus quotannis ad universas Ecclesias scriptis encyclicis, seu circularibus litteris, diem Paschalem indicaret, ut legitur Arelatensis Concilii primi can. 1. Quia vero Ægy-

Ægyptii Astronomiæ peritia præcellebant, ea cura per Nicænam Synodum demandata fuit Alexandrino Episcopo, ut in primis diem Paschalem futurum Romano indicaret Episcopo sedulo exploratum, a quo postmodum ceteris universi orbis Ecclesiis indiceretur, & promulgaretur: ut S. Leo Papa scribit epist. 64. ad Marcianum Augustum. Primates deinde, & Metropolitani suarum Provinciarum Episcopis, & hi subjectis sibi Ecclesiis per litteras formatas significabant; ut statuit Concilii Carthaginiensis can. 3. *Ut dies Paschæ formatarum subscriptione* omnibus intimetur. Promulgabatur autem futurus ille dies per Diaconum inter Missarum sollemnia ipso Epiphaniæ die, ut constat ex Concilii quarti Aurelianensis can. 1. & Bracarensis secundi can. 9. qui est insertus; de consecrat. dist. 3. c. placuit. Quo jubetur adveniente Natali Domini die, in Ecclesia post decantatum Evangelium, adstante populo, diem, seu Lunam Paschæ adventantis intimari. Commemorat Gregorius Turonensis lib. de gloria Martyrum cap. 24. & 25. in oppido Lusitaniæ, cui nomen Osem, esse piscinam marmoream ad Baptismi usum extructam a Catholicis, atque in eam ipsa quinta majoris Hebdomadæ feria solitum esse cum Clero, & frequenti populo Pontificem explorandi gratia, procedere, nullaque reperta inibi aqua protinus egredi, & valvas obseratas sigillo munire, sed adveniente post biduum Sabbato solitum reverti Pontificem, comitantibus Clericis, & populo, inspectis, & effractis sigillis ostia referari, & dictu mirum 1. piscinam reperiri aquis exundantem, atque idem miraculum singulis annis renovari. Addit idem auctor Hispaniarum Regem Theodogisilum Arianum moleste ferentem quod par apud suos nullum fieret Miraculum, credidisse fraudem subesse Catholicorum. Ideoque proprio annulo una cum Orthodoxorum Antistite fores Baptisterii obsignasse, effossa prius in profundum terra per basilicæ circuitum, & dispositis toto triduo excubantibus militibus: sed quum fons ubertim aquis refertus Sabbato insequenti visus esset, confirmata est divini Miraculi fides, cum gravi Hæreticorum confusione. Auctor pariter est in suo Chronico Sigibertus anno Christi 573. cohortam fuisse inter Gallos, & Hispanos concertationem, quonam ejusdem anni die celebranda foret Paschæ festivitas. Sed tamen recte a Gallis celebratam Divino ostento monstratum fuisse. Cum enim Hispani per errorem calculi prævenissent diem fuisse ipsorum fontes, quo die celebrarunt vacuos, & aridos, sed altera hebdomada, qua Galli Pascha celebrarunt, eosdem ipsos Hispaniæ fontes aquarum copia exuberasse. Cassianus item collat. 10. c. 1. perhibet moris esse, ut sancto Epiphaniæ die inter sacra mysteria populus admoneatur, quonam die Paschale festum sit celebratum.

VII. Formatis pariter accensendæ sunt encyclicæ, sive circulares epistolæ, quæ vel ab Episcopo Romano, vel a Primate, vel ab inferiore Prælato, vel a Synodo transmittuntur ad plures Ecclesias, vel personas distribuendæ, sive in caussa fidei, sive in rebus disciplinæ, sive ad indicendas preces, aut jejunia, vel ad fideles de aliis rebus admonendos.

VIII. Inter formatas recensentur quoque commonitoriæ, seu memoriales litteræ, quæ Legatis, vel Nunciis, vel Apocrisiariis, ac responsalibus Ecclesiasticis expediuntur, præscribentes, ut se gerere debeant in ministerio sibi injuncto. Harum fit mentio in can. 98. Concilii Africani, & apud Cyrillum epist. 1. ad Succensum, apud Augustinum epist. 129. & 158. & Sidonium Apollinarem lib. 8. carm. ad Lampridium, aliosque veteres.

IX. Locum præterea inter Formatas habent Tractatoriæ, quibus providebatur, ut Prælatis ad Synodum commeantibus vecturæ, & viatica suppeditarentur. Harum meminit Carthaginiense Concilium quintum can. 10. Non hic sermo est de tractatoriis Imperatorum etiam in convocandis Episcoporum Synodis, quales innumeræ leguntur in veterum Conciliorum, & historiarum Ecclesiæ monumentis. De tractatoriis multa ex sacris, & ex prophanis Scriptoribus testimonia congerunt duo Gallicani Jurisconsulti consummatissimæ eruditionis, Barnabas Brissonius de verborum significatione, v. Tractatoriæ: & Jacob. Cujacius ad lib. 12. Codicis, tit. 51. qui de Tractatoriis.

X. Inter commoda innumera, & emolumenta, quæ in universam Ecclesiam per formatas diffunduntur, primum dignitatis habebat olim locum admirabilis illa fidelium

toto terrarum orbe in unitate fidei, in officiis charitatis, & ſanſtitate diſciplinæ communio. Religioſiſſimam iſtam civitatem æmulati ſunt Schiſmatici, & Hæretici, ſed nunquam aſſequi potuere. Hoc unitatis Eccleſiæ argumento tanquam inevitabili telo Tertullianus, Cyprianus, Auguſtinus, hæreticorum ſeſtas impugnarunt, & profligarunt. Optatus lib. 2. contra Parmenianum, recenſita Epiſcoporum Romæ, a Petro ad Damaſum uſque, ſerie; addit, *cum quo* (ſcilicet Damaſo) *nobis totus orbis commercio formatarum in una communionis ſocietate concordat*. Auguſtinus etiam, ut Fortunium Epiſcopum Donatiſtam affirmare auſum ſuam ſuorumque gregalium ſocietatem ubique terrarum protendi, dum vult ſibi *Catholici*, hoc eſt univerſalis denominationem vindicare, falli manifeſte convincat; ſic ſcribit epiſt. 163. ad Eleuſium: *Quærebam* (ait) *ab eo, utrum communicatorias epiſtolas, quas Formatas dicimus, poſſet quo vellem dare? & affirmabam quod manifeſtum erat omnibus hoc modo facillime illam terminari quæſtionem poſſe*. Refert Gregorius Nazianzenus inveſtiva 1. in Julianum, ſceleſtiſſimum iſtum apoſtatam invidia concitatum, transferre in Gentiliſmum propoſuiſſe multos laudabiles, quibus Eccleſia florebat ritus, ac præſertim litteras hoſpitalitatis.

P. JOHANNIS CABASSUTII

ORATORII DOMINI JESU

De communionibus laica, & peregrina

DISSERTATIO XXIII.

I. Utramque plerique confundunt, nihil eſſe diſcriminis inter laicam, & peregrinam communionem exiſtimantes. At longe diverſæ ſunt, nec aliud quid inter ſe commune habent, quam ut ſint ambæ pœnales, quotieſcumque ad alterutram illarum clerici reducuntur. Jam eſt utraque ſeorſim explicanda.

II. Laica communio Clericis ſacris, ſeu majoribus ordinibus initiatis in pœnam decernebatur, ne intra Sanſtuarium Euchariſtiam ſumerent. Statutum quippe fuit Laodiceno canone 19. μόνοις ἱερατικοῖς ἐξὸν εἶναι εἰς τὸ θυσιαστήριον ἐπὶ κοινωνεῖν *ſolis licet* (non quidem Sacerdotibus, ut minus perite aliqui tranſtulerunt, ſed ut accuratius vertit Dionyſius exiguus,) *ſacro miniſterio dedicatis*, ideſt Presbyteris, & Diaconis, *ingredi Sanſtuarium, inibique communicare*. Ceterum in alicujus deliſti pœnam ſacri Clerici quandoque privilegio iſto excidebant, nec niſi cum promiſcua turba licebat eis communione Divina refici. Hinc a Synodo Sardicenſi Euthychianus, & Muſæus, qui ordinationes indebitas exercuerunt, clericale etiam communione excluduntur, nec ipſis laica indulgetur communio, niſi poſtquam illam convenienti humilitate petierint, Sardicenſ. can. 19. Præterea Agathenſi can. 32. ita ſancitur. *Si Epiſcopus, aut Presbyter, aut Diaconus, capitale crimen commiſerit, aut chartam falſaverit, aut teſtimonium falſum dixerit, ab officii onore depoſitus, in monaſterium detrudatur; & ibi, quamdiu vixerit*, laicam tantum communionem accipiat. Quem canonem inſerit Gratianus diſt. 50. Si quis Epiſcopus. Præterea canon Apoſtolorum 15. vagos clericos ad laicam demittit communionem. Cyprianus epiſt. 2. ad Antonianum ita ſcribit de Trophinco Sacerdote in perſecutione lapſo: *Sic tamen admiſſus eſt Trophincus, ut tanquam laicus com-*

municet. Basilius item ad Amphilochium can. 3. ad laicam communionem redigit Diaconum, qui sit fornicatus: *Quoniam, inquit antiquus est canon, ut qui a grado exciderunt, hoc solo punitionis modo plectantur*. Quibus verbis significat, illam sacris initiati Clerici poenam, dummodo permittatur ei laica communio, esse quidem genus quoddam depositionis a jure Ecclesiasticae communionis, sed nullatenus excommunicationis: atque illatae depositionis vindictae non licere per Canones adjungere alteram excommunicationis poenam. Quod idem repetit Basilius ad Amphilochium can. 32. & comprobatur canone Apostolorum 25. sic decernente: *Episcopus, vel Presbyter, vel Diaconus, fornicationis, vel perjurii, vel furti convictus deponatur, & non segregetur: dicit enim Scriptura, de eodem delicto bis ultionem non exiges*. Supponit ergo duplicem accessuram vindictam ac poenam, si ad depositionem adderentur absoluta communionis privatio. Non raro tamen sacris etiam Clericis Ecclesia excommunicationem absolutam infligit, quae una depositionem, aut suspensionem involvit, in unius Clerici persona. Sic enim memorata Synodus Sardicensis can. 1. Episcopos, qui priore Episcopatu dimisso, in alterum involaverint, laica enim excludit communione. Itbacius quoque, eo quod Priscillianum tametsi flagitiosissimum haeresiarcham apud Maximum tyrannum, ad quem haeresiarca indebite appellaverat, capitali supplicio addici fecisset, ab Episcopo Theognosto cum Ithacianis fidelium communione sejunctus est. Quae damnatio tantum invaluit apud Deum, ut Sanctum Episcopum Martinum, qui Treviris ad horam, gravi urgente necessitate, cum aliquibus Ithacianis communicaverat, per Angelum Deus ipse coarguerit, eidem solitam miraculorum edendorum virtutem diminuerit.

III. Quia vero clericis Ecclesiastica communione motis, & ad laicam, & promiscuam redactis, solitae (ut eas Cyprianus vocat) sportulae non praestabantur; sed ut plurimum, vel ex patrimonialibus, vel aliorum liberalitate, vel ex proprio labore, ac industria victum sibi quaerere compellebantur: & exclusis simul a decimis, & oblationibus, & praediorum Ecclesiae fructibus, si nihil aliud suppetebat, ex commiseratione Ecclesia victum illis providebat. Ad mensam igitur illos admitti curabat, quae ad quotidianum victum fidelibus peregrinis apparari solebat, quos proprius Episcopus per litteras formatas Ecclesiis, ad quas, aut per quas peregre ibant, commendarat: his enim Ecclesiae alimoniam, tum ex propriis opibus reservabant. Istiusmodi humanitatis exempla suppeditat in primis Concilium Chalcedonense providens post act. 10. ut Domnus Antiochena sede exauctoratus ejusdem Ecclesiae facultatibus alatur. Simili etiam modo sustentationi Bassiani, & Stephani providet Act. 12. postquam Episcopali dignitate ambos ob delicta summovit. Simili exemplo Synesius Episcopus suffraganei ejusdem Episcopi, quae sui officii erant exequi negligentis, ideo juste a Theophilo Patriarcha sede pulsi curam suscepit. Sic enim epist. 68. scribit Theophilo Alexandrino Patriarchae: *In Ecclesiam quidem illum admittere nolui, nec sacram cum illo mensam communem habui: domi vero perinde, ac innocentes honoravi*. Denique Agathensis Concilii can. 12. decernitur: *Contumacibus clericis, qui prioris gradus elati superbia communionem fortassis contempserint, aut Ecclesiam frequentare, vel officium suum implere neglexerint, peregrina communio tribuatur, ita ut cum eos poenitentia correxerit, rescripti in matricula gradum suum dignitatemque recipiant*.

IV. Ad exemplum, & similitudinem hujus poenalis peregrinae communionis, qua in Clericos animadvertebatur; altera vocabatur minus proprie peregrina communio, qua Episcopi aliique inter Sacerdotes primarii, seu praefecturam habentes, non deponebantur prorsus a Clero, sed solum a digniori, & sublimiori pristino gradu, ut tamen in gradu inferiorum clericorum consisterent; adeo ut Episcopi ad inferiorum Sacerdotum ordinem redigerentur, ut & isti ad Diaconorum, atque isti ad minorum clericorum stationem, & classem. Sic enim depositis Episcopis subtrahebatur illa redituum Ecclesiae quarta pars, quam Episcopis sacri canones reservabant, ut deinceps minora cum Sacerdotibus stipendia partirentur. Sacerdotes quoque illi qui praesunt, & quos Apostolus,

lus, judicat duplici honore, hoc est stipendio vitæ providendos, ab hoc excidentes honore minus, & exilius stipendium inter Diaconos nanciscebantur. Isti demum, sed minus propria locutione dicebantur peregrina communione sustentari, licet quotidianum victum cum inferioribus clericis ex quotidianis Ecclesiæ distributionibus perciperent.

V. Hujusce pœnalis, sed aliquanto humanioris, ac mitioris disciplinæ legimus exempla luculenta. Primum in Nicæna Synodo canone 8. quo Novatianos dudum Episcopos ad Ecclesiasticam unitatem redeuntes, si eorum loco aliquis jam fuerat Orthodoxus Episcopus constitutus, edicit potiri Sacerdotis, aut Chorepiscopi gradu, ministerioque. Concilium similiter Toletanum primum can. 4. sic decernit: *Subdiaconus* defuncta uxore, si aliam duxerit, ab officio in quo ordinatus fuerat removeatur, & habeatur inter ostiarios & lectores.

VI. His accedit Concilium Rhegiense habitum in secunda Narbonensi provincia, quod diserte communionis meminit peregrinæ. Armentarius per ambitionem se in Episcopum fecerat ordinari Ecclesiæ Ebrodunensis a duobus tantum Episcopis, invito etiam Metropolitano, qualem se prætendebat id temporis Arelatensis Præsul, cujus cura, & sollicitudine Synodus ista convocata est anno 439. hujus can. 3. sic statuitur: *Liceat ei* (Armentario) *in unam suarum parochiarum concedere, in qua aut Chorepiscopi munere, aut peregrina communione foveatur, nec quidquam ipsi de Episcopalibus officiis usquam usurpare liceat, præterquam in Ecclesia, quam cujusquam misericordia fuerit indeptus, in qua ei solum neophytos confirmare, & ante Presbyteros offerre conceditur.* Quæ sane verba observatu digna sunt. Sic enim Synodus Armentarium deponit, exauctoratque Episcopali gradu, ut non modo ei salva supersint Sacerdotalia jura, sed etiam Pontificalia quædam possit exercere, nimirum Confirmationis signaculum conferre, ceterosque præcedere Sacerdotes; eidemque providetur, ut communione peregrina foveatur, ad victum nimirum quotidianum. Et quamvis contra Canonum præscripta non fuerit a tribus Episcopis consecratus, invito etiam Metropolita, character tamen in ipso Episcopalis agnoscitur ad neophytos confirmandos. Denique in Œcumenica Synodo VIII. actione 4. adversus quosdam Episcopos olim ob Photianam hæresim depositos, asserentes se Romæ a Nicolao Pontifice in communionem restitutos, hæc respondet Marinus Romanæ Diaconus Ecclesiæ, & in Synodo Legatus Apostolicus. *Quando isti Romam adventarunt, ministrabam ego in Ecclesia S. Mariæ Virginis, quæ dicitur Præsepis. Illic eos suscepit Sanctissimus Papa Nicolaus, per satisfactionem libelli, & juramenti, nec tamen contulit eis communionem in loco Episcoporum. Si vero contradixerint, ostendant quod eos susceperit in communionem, ut Episcopos.* Sanctus item Papa Gregorius Magnus lib. 4. epist. 5. mandat, ut Saturninus Sacerdos juste depositus, si digne pœnituerit, *inter laicos* accipiat communionem.

AD CAPUT XVIII.

P. JOHANNIS CABASSUTII

CONGREGATIONIS ORATORII DOMINI JESU

De Sacris Virginibus

DISSERTATIO XXIV.

I. Olim in Ecclesia duo erant Sanctimonialium genera, quæ se perpetuæ continentiæ voto astringebant, scilicet Diaconissarum, quæ viduæ erant, de quibus superiori dissertatione abunde tractatum est; atque sacrarum Virginum. Tertullianus lib. de velandis virginibus, Virgines utpote verecundiores, solitudini aptiores, & externarum rerum sollicitudini minus idoneas, a Diaconatu exclusas, testis est locuples: *Ad quam sedem* (inquit) *præter annos sexaginta non tantum univiræ, id est, nuptæ aliquando eliguntur, sed matres, & quidem educatrices liberorum: scilicet, ut experimentis omnium affectuum instruere facile norint cæteras, & consilio, & solatio juvare.* Immo addit ad monstrum esset, si virgo in hujusmodi statu constituatur, Quod vero superius de Diaconissis observavimus, fuisse illas habitu & veste a laicis distinctas, hoc idem sacris virginibus pariter commune erat, ut addidimus, & Concilii Carthaginiensis quarti can. 11. ita statuentis; *Sanctimonialis virgo, cum ad consecrationem suo Episcopo offertur, in talibus vestibus applicetur, qualibus semper usura est professioni, & sanctimoniæ aptis.* Virginum sacrarum habitus erant pulla vestimenta, tunica, pallium, cingulum, & capitis velamen: dicente Hieronymo epist. 12. *Solent quædam cum futuram virginem spoponderint, pulla tunica eam induere, & parvo operire pallio.* Idemque epist. 5. ad Demetriadem: *Vili tunica induitur, viliori tegitur pallio.* Idem etiam ad Marcellam epist. 23. *Pulla tunica minus cum humi jacuerit, sordidatur.* Et de cingulo ibid. *Cingulum laneum, & tota simplicitate purissimum, quod possit magis astringere vestimenta, quam scindere.* Apud Concilium Nicænum actione 4. Alterius ita refert de Sancta Euphemia Virgine, & Martyre Calchedonensis: *Astabat virgo pulla veste, & Pallio Philosophiam professa.*

II. De sacro virginum velo sic Tertullianus, de virgin. velandis c. 15. *Vera & tota, & pura virginitas nihil magis timet, quam semetipsam: etiam feminarum oculos pati non vult, alios ipsa oculos habet, confugit ad velamen capitis, quasi ad galeam, quasi ad clypeum, qui bonum suum protegat, adversus suspiciones, & susurros.* Hieronymus ad Demetriadem: *Scio ad imprecationem Pontificis flammeum virginale sanctum operire caput.* Quo etiam loco docemur, benedictione solemni solitum sanctificari per Episcopum, & sacræ virginis capiti velamen imponi. Ambrosius lib. 3. de virgin. cap. 1. scribit de Marcellina sorore sua, *fuisse Romæ ad Sanctum Petrum, ipso Salvatoris natali die, a Liberio Papa consecratam virginem, cum propositum virginitatis ipsa vestis mutatione signasset.* Crinium in virginitatis, aut viduitatis professione tonsionem, solemnis fuisse in quibusdam Ecclesiis consuetudinis, in Syria præsertim, & Ægypto, testis est Hieronymus epist. 48. quæ tamen non ubique viguit consuetudo, cum scribat Ambrosius ad Virginem lapsam cap. 8. solito alibi tondere capillos in ignominiam, & delicti pœnam, si lapsa virgo in pœnitentiam redacta esset.

III. Jam superest, ut de virginum ordinationibus disseramus. Adhibenda distinctio est, quam satis evidenter Leo Magnus insinuat epist. ad Rusticum Narbonensem Episcopum, inquisit. 15. inter propositum virginitatis cum ha-

habitu conjunctum, seu veste, qua virginitatem professæ amiciebantur, & ipsam consecrationem, quæ a nullo alio quam ab Episcopo fiebat ritu solemni. Ex testimonio enim ipsius Leonis mox adducendo constat moris fuisse, ut virginitatem professæ non statim a vestitu, sed interposito longioris temporis intervallo consecrarentur. Et sane probabile est a nubili statim ætate, scilicet duodecim expletis annis, potuisse post spontaneam perpetuæ virginitatis professionem religioso habitu indui: dilata in aliud tempus solemni consecratione. Sic enim rescribit Episcopo Narbonensi Leo Magnus. *Puellæ, quæ non non coactæ parentum imperio, sed spontaneo judicio virginitatis propositum, atque habitum susceperunt, si postea nuptias eligant, prævaricantur, etiamsi consecratio non accesserit; cujus utique non fraudarentur munere, si in proposito permanerent.*

IV. Virginum Deo palam dedicaturum duo alia distinguebantur genera: quædam enim in parentum ædibus cum ipsis versabantur, cujusmodi fuerunt Sanctæ Marcella, Eustochium, Principia, Demetrias: aliæ in monasteriorum septis religiosam vitam a personis sæcularibus sejunctæ degebant. Quæ primi generis erant, in communem Ecclesiam cum laicis ad sacra vel audienda, vel percipienda conveniebant, ad destinatam sexui femineo Templi medietatem, quæ viris inaccessa erat: sed tamen sanctimoniales ejus partis locum ponitiorem occupabant, sanctuario viciniorem, laicas feminas a tergo habentes etiam interposito septo sejunctas: ut ex Ambrosii epistola ad Virginem lapsam colligitur, cap. 6. Aliæ quæ in Monasterium secesserant, strictiori disciplina, & clausura circumsepiebantur, neque ad earum sacellum ullus laicis, aut religiosis etiam personis externis patebat aditus: cum esset sacellum ac oratorium in Parthenonis, seu Monasterii penetralibus intimis: sed probatissimæ vitæ Sacerdos mittebatur, qui Missam intus celebraret, & Sacramenta ministraret Monialibus, hac conditione, seu præscripta lege, ut sacro expleto ministerio, quamprimum regrederetur. Concilium Epaonense sub Hormisda Pontifice habitum has præscribit cautiones can. 38. *Monasteria puellarum nonnisi probatæ vitæ, & ætatis provectæ, ad quascumque earum necessitates, vel ministrationes permittant intrare. Ad faciendas vero Missas qui ingressi fuerint, statim exacto ministerio regredi festinabunt, alias autem nec Clericus, nec Monachus juvenis ullum ad puellarum congregationem habebit accessum, nisi hoc aut paterna, aut germana necessitudo probetur admittere.* Easdem iterant præcautiones circa Missam, quæ intro intima claustra in oratorio Monialium celebranda erat, posteriora Epaonensi habita Concilia sub Leone Papa tertio, & Carolo Imperatore Magno: scilicet Turonense tertium can. 29. Cabilonense secundum can. 16. Arelatense sextum can. 7. & sub Ludovico Pio Aquisgranense part. 1. can. 27. Nunc vero temporis Monialium Ecclesiæ extra claustra ædificantur, ut sit externorum ad eas liber accessus; statio autem Monialium, & Chorus, ut sint externis inaccessibiles, claustris includuntur. Quod autem spectat ad eas Virgines, quæ proprias parentum ædes incolebant, illustre præbent exemplum tres Sancti Gregorii primi Pontificis amitæ, invicem sorores, Tarsilla, Æmiliana, & Gorgonio virginitatis voto Deo consecratæ, de quibus ita idem Sanctus Gregorius hæc testatur homil. 8. in Evang. *Uno omnes ardore conversæ, uno eodemque tempore sacratæ sunt, sub districtione regulari degentes in domo propria socialem vitam ducebant.*

V. Consecrabantur ab Episcopo Virgines per manus impositionem, & capitis benedictum velamen, nonnisi ab anno ætatis quadragesimo, & ut in dissertatione superiori declaratum est, juxta præscriptum Conciliorum Chalchedonensis, & Carthaginiensis, seu potius Agathensis, Quinisexti, & Novellæ Majorani Augustini. Observandum tamen Concilio Carthaginiensi tertio canon. 4. affigi Diaconorum ordinationem, & Virginum consecrationem anno ætatis vicesimo quinto. Qui Canon habetur apud Gratianum c. placuit ut ante annos, dist. 7. Concilium istud dico non secundum, ut volunt Baronius, & Binius, sed vere tertium, ut probat Labbæus. Et isto quidem speciali jure Africanæ utebantur Ecclesiæ Virginum consecrationis ab anno vicesimo quinto. Nam secundum Milevitanum Concilium hoc idem jus constituit, eamdemque præscribit ætatem ad accipiendum virgineum flammeum; quin etiam plures allegat causas, ob quas tempus istud præveniri conveniat. Sic enim ejus Canone 26.

 san-

sancitur: *Item placuit, ut quicumque Episcoporum, necessitate periclitantis pudicitiæ virginalis (cum vel petitor potens, vel raptor aliquis formidatur, vel si aliquo etiam mortis scrupulo periculoso compuncta fuerit, ne non velata moriatur, aut exigentibus parentibus, aut his, ad quorum curam pertinet) velaverit Virginem intra viginti quinque annos ætatis, non ei obsit Concilium, quod de isto annorum numero constitutum est*. Qui canon iisdem repetitur verbis in Concilio Africano can. 93. & in decreto Ivonis lib. 3. Citatus pariter in Concilio Turonensi secundo can. 20. anni 567. Cum etiam in Concilio Arelatensi secundo can. 32. excommunicatione feriat puellas, quæ se Deo devoverunt, & *post annum vicesimum quintum ad terrenas nuptias sponte transierunt*, argumento est in Gallicanis Ecclesiis consecrationem virginum eodem ætatis anno fieri solitam, sicut in Ecclesiis passim Africæ. Nam eadem pariter decernitur ætas in virginum solemni ordinatione, in Capitulari Aquisgranensi sub Carolo Magno. Quin etiam in Græcis Ecclesiis minor ad consecrationem hujusmodi aliquando concessa fuit ætas: sanctus enim Doctor Basilius in canonica, & receptissima ad Amphilochium epistola, can. 18. ad eam ordinationem Virginum non amplius exigit, quam sexdecim completos annos. Quam eamdem designavit Tridentinum Sacrum Concilium ad regularem utriusque sexus professionem. Synodus Trullana Quinisexta canon. 40. jubet, ut ex præscripto S. Basilii Virgines nullæ ante XVII. annum velentur.

R. P. JOHANNIS CABASSUTII

CONGREGATIONIS ORATORII DOMINI JESU

De Diaconissis

DISSERTATIO XXV.

I. Diaconissarum in Ecclesia primitiva jam inde ab Apostolorum ætate multiplex erat officium, ut ex Clemente Papa Romano Sancti Petri discipulo, ex Ignatio, atque ex Epiphanio, aliisque veteribus colligitur. Ignatius quidem *epist.* 12. ad Antiochenos, curam illis attribuit januarum Sanctorum vestibulorum, scilicet ejus partis Ecclesiæ, ad quam solæ feminæ admittebantur. His enim Diaconissæ præficiebantur,

Saluto in Christo Diaconissas sacrorum vestibulorum custodes. Quemadmodum etiam januis locorum, ad quæ soli viri conveniebant janitores, quos pariter ibidem Ignatius salutat πυλωρυς,

II. Sanctus Martyr Clemens Papa lib. 3. Constitutionum cap. 15. & 16. hæc pariter Diaconissis assignat officia, ut scilicet pia Sacerdotum, & Diaconorum mandata apud feminas exequantur; sive distribuendarum eleemosynarum, sive mutuarum reconciliationum, sive sanctarum admonitionum, aut jussionum Ecclesiasticarum, sive catecheseos ejusdem sexus gratia. Sic enim præcavebatur, ne Clericorum cum feminis conversationes fomitem suggererent vel peccatis, vel suspicionibus pravis. Adjungit ibidem munus Diaconissarum versari circa catechizandas cathecumenas, & prospiciendum, ne qua hora vestibus exuebantur ad baptismum, vel baptizatæ in vertice a Sacerdote perungebantur, quidnam præter decorum aspectui, vel contactui Sacerdotis occurreret: ipsæque Diaconissæ reliquas unctiones in multis Ecclesiis suis manibus prosequebantur. Eadem similiter scribit Epiphanius hæresi 79. quæ est Collyridianorum. Concilium pariter Carthaginiense sub Anastasio Papa quartum can. 12.

præ-

præscribit Diaconissis ministerium instruendi feminas baptismi fonte abluendas.

III. Videndum nunc de viduis Diaconissis, quali ætate eligebantur, quonam habitu vestiebantur, & utrum impositione manus tales constituerentur. Quod in primis ad earum spectat ætatem, providet Apostolus 1. Timot. 5. *ut eligantur viduæ non minus sexaginta annorum, neque bigamæ*. Tertullianus lib. de velan. virg. hæc loquitur de Diaconissis; *ad quam sedem præter annos sexaginta non eliguntur*. His adstipulatur S. Hieronymus in Isai. cap. 3. *Nec ecclesiasticis vidua sustentatur alimentis, nisi quæ sexaginta annorum est, & maturitatem habet pariter morum, & ætatis*. Extat pariter constitutio Theodosii senioris Augusti, cujus meminit Sozomenus lib. 7. cap. 16. quæque legitur in codice Theodosiano de Episcop. & Cler. lib. 27. *Ut nulla nisi emensis sexaginta annis, qui votiva domi proles sit, secundum Apostoli præceptum ad Diaconissarum consortium promoveatur*.

IV. De Virginibus quidem, & sacris Monialibus, quia inclusæ, neque totidem ac Diaconissæ muneribus exterioribus addictæ erant, sufficiebat ad velamen suscipiendum annorum quadraginta ætas. Auctor quidem vitæ S. Leonis Papæ primi, quæ est in Pontificali, sic de hoc attestatur. *Hic quoque constituit, ut Monachæ non acciperent velaminis capitis benedictionem, nisi probatæ fuerint in virginitate sexaginta* (aut, ut Codices regii referunt, sexaginta novem) *annis*. Verumtamen nihil tale prorsus in tanti Pontificis, quæ plurima extant, decretis reperiri potest. Quinimmo Synodus œcumenica Calchedonensis, quæ Sancto Leone Papa auctore celebrata fuit, cuique idem per legatos ex suo latere missos præsedit, quam & sua roboravit confirmatione, præfixit solum Diaconissis ordinandis annum quadragesimnm ætatis, can. 15. Quin etiam eodem Sancto Pontifice Leone suadente, Majoranus Augustus edixit Novella 8. ne qua virgo a suis parentibus oblata sacrum velamen accipiat ante quadragesimum ætatis annum. Eaque limitatur constitutio in illis, quæ a parentibus offerunt, ad consulendum puellarum libertati, ne qua vis aut coactio a progenitoribus fieret. Quamvis autem in illis Ecclesiæ primordiis providerit Apostolus, Diaconissas non admitti ante annos ætatis sexaginta, processu temporum illa præfinitio annorum sensim laxata fuit; & ad annos ætatis quadraginta restricta est: ut perspicuum fit per memoratum Calchedonensem Canonem, & insuper conformem Agathensis Concilii can. 19. qui tamen non de Diaconissis, sed de sanctimonialibus velandis sic decernit: *Sanctimoniales quamlibet vita earum, & mores probati sint, ante annum ætatis suæ quadragesimum non velentur*. Qui canon falso a Gratiano attribuitur Concilio Carthaginiensi tertio; can. Sanctimoniales: 20. q. 1. Concilium in Trullo Quinisextum can. 14. & Tormatiense can. 73. Diaconissas expresse vetant ordinari, sicut & Calchedonensis can. 15. antequam attigerint quadragesimum ætatis annum.

V. Diaconissarum habitum fuisse a seculari distinctum probat Concilii quarti Carthaginiensis can. 104. his verbis: *Viduæ, quæ se devoverunt Domino, & veste laicali abjecta sub testimonio Episcopi, & Ecclesiæ in religioso habitu apparuerint*. Et qui præcedit can. 103. easdem dicit stipendiis Ecclesiarum sustentari. Concilium pariter Toletanum quartum can. 55. hæc de distinctis ab habitu sæculari vestibus enunciat: *Quæ forma servabatur etiam in viduis, virginibusque sacris, ac pœnitentibus feminis, quæ sanctimonialem habitum induerunt, & postea aut vestem mutaverunt, aut ad nuptias transierunt*. Viduas tamen, quales erant Diaconissæ, velari omnino prohibet Gelasius Papa epist. 9. ad Lucanos, & Siculos, can. 13. De virginum porro, & viduarum, quæ stipendiis Ecclesiarum alebantur, incumbente Episcopis sollicitudine multa refert Chrysostomus lib. 3. de Sacerdotio, sub cujus postea Episcopatu Ecclesiam eximia sanctimonia decorarunt Diaconissæ Constantinopolitanæ Ecclesiæ, Olympias, Pentavia, Salvina, quæ de primariis totius Imperii prosapiis ortæ, & maritis dignitate toto orbe præcipuis orbatæ, distributis in egenos amplissimis operibus, sese paupertati, humilitati, & Ecclesiæ obsequiis addixere. Neque vero hic ommittendum alterum, præter superius relata, Diaconissarum officium ex Hieronymo epist. ad Nepotianum scilicet ægrotorum cura, & ministerium: *Multas* (inquit) *anus nutrit Ecclesia, & quæ officium*

cium præbeant, & beneficium recipiant ministrando, ut infirmitas tua fructum quoque habeat eleemosynæ.

VI. Supereſt, ut de harum ordinationibus differamus. Etiamſi doctiſſimus Baronius ad annum Chriſti trigeſimum quartum n. 288. innixus, ut ipſe autumat, Nicænæ Synodi can. 19. ſcribat, nullam olim fuiſſe in Diaconiſſis conſecrandis adhibitam manuum impoſitionem, alii tamen antiqui Canones manuum impoſitione ſolitas illas ordinari confirmant. Nicænus vero canon nihil iſtis obſiſtit: loquitur enim ſpeciatim de Paulinianiſtarum baptiſmo, quem declarat inanem, ac irritum, & ut qui ex iſta hæreſi convertuntur novo abluantur baptiſmo, ac deinde, ſi ita viſum fuerit, ordines eis de novo conferantur, quales in ſua hæreſi indebite exercuerant. Prohibet tamen converſas ex eadem hæreſi Diaconiſſas ad idem officium aſſumi, manuſque ipſis imponi. Certe ſi ejuſmodi tota Eccleſia viguiſſet diſciplina, ne Diaconiſſæ manus impoſitionem ſubirent, ſupervacaneum eſſet id ſpeciatim in Diaconiſſis, quæ Paulinianiſtarum hæreſim profeſſæ aliquando fuiſſent, prohibere. Cauſa itaque hoc prohibendi ad præteritam hæreſim referenda eſt: Patres enim Nicæni præcipue convenerant ad hæreſim Arianam reprimendam in hoc cum Pauliniana convenientem, quia utraque Chriſto divinitatem adrogabat. Quia vero præcipuum Diaconiſſarum officium in catechizandis feminis ad baptiſmum aſpirantibus verſabatur, grave periculum erat cathecumenarum inſtitutionem feminæ committere, quæ in hæreſi ultra ſexaginta annos (quod eſt præſupponendum inconverſis Diaconiſſis) conſenuerit; & mutabile ſexus ingenium cauſa plerumque eſt, ut earum fides vacillet poſt oppoſitam tot annorum profeſſionem.

VII. Juvabit quoque altera diſtinctio, ſi ad Canonem Nicænum reſpondeas, excludi quidem Diaconiſſas a Sacramentali manus impoſitione, qualis proculdubio cenſenda eſt, quæ in Diaconiſſis diſerte requiruut, præcipue Calchedonenſe: cuius canonis verſio Dionyſiana, Græco exemplari perfecte conformis, ait: *Si autem poſtquam manuum impoſitione ſuſcepta, &c.* Græcum exemplar ſic habet: εἰ δέ γε δεξαμένη τὴν χειροθεσίαν. &c. Si voce χειροτονία uteretur, quæ nunc ſuffragium, nunc electionem ſignificat, res eſſe ambigua; ſed vox quam adhibet χειροθεσία nihil aliud quam manus impoſitionem exprimit. 8. Deferveſcente tandem pietatis, ac religionis ſtudio, & gliſcentibus Diaconarum vitiis, deficiente pariter conſuetudine baptiſmum in provectiorem ætatem differendi, paulatim exoleſcere cœpit Diaconiſſarum miniſterium. Siquidem ſub ipſo Leone primo habitum Arauſicanum primum Concilium can. 26. de illis abolendis cogitans, ita decernit: ***Diaconæ omnimodis non ordinandæ. Si quæ jam ſunt, benedictioni, quæ populo impenditur capita ſubmittant.*** Quibus verbis eas quæ ſuperſunt in ſtatum redigit vulgarem, ac ſæcularem. Deinde ſub Hormiſda Pontifice Concilium Epaonenſe ſic decernit can. 21. ***Viduarum conſecrationem, quas Diaconas vocitant, ab omni regione noſtra penitus abrogamus, ſola pœnitentiæ benedictione ſi converti ambiunt imponenda.*** Demum Aurelianenſis ſecunda Synodus, ſub Joanne Papa ſecundo, ita ordinavit can. 18. ***Placuit etiam, ut nulli poſtmodum feminæ Diaconalis benedictio pro conditionis hujus fragilitate credatur.***

AD

AD CAPUT XIX. D. C. P. A.

De Collectis Christianorum

DISSERTATIO XXVI.

Ex Italico latine nunc primum reddita & adnotationibus a F. A. Z. illustrata. (1)

I. Etsi hujus vocis, qua dissertatio isthæc mea prænotatur, amplissima est significatio, contracta tamen est materies, de qua agere aggredior. Pauca de *collectis* apud Auctores, quos bene multos consului, reperire mihi licuit; quamquam si omnia persequi vellem, quæ hoc nomine denotantur, spissi materies voluminis defutura mihi non esset. Nam ut, ne de nummis loquar, quos in more positum veteribus fuit solvere, quum collatis sumptibus cœnam quampiam instruerent, & *Collectarum* nomine donabant (Cicer. *lib.* 2. de *Orat. Cap.* 57. *Comm. Dionys. Lambini in Plautum in Curculione Act.* 4. *Scena* 1.), utque silentio prætercam regia tributa, mulctasque, quas Galli (Encyclopedie, ou dictionnaire raisonné des Sciences v. *Collecte*.) *Collectas* appellare consueverunt (2), plura *Collectæ* nomen significat. Privatam nempe familiam, religiosum conventum, sacrum profanumque cœtum (3), populi ad hostem aggrediendum, aut repellendum armati congregationem, omne Ecclesiasticarum exercitationum genus, incruentum Altaris Sacrificium, Orationem, qua Clericorum, aut Monachorum Præses horas Canonicas solet concludere, omnes generatim Ecclesiæ orationes (4) Librum ipsum qui hasce continet (du Cange. V. *Collecta*. Adde Card. Bonam *Rer. liturg. lib.* 2. *c.* 5. §. 3. & Salam in eum Bonæ locum *T.* 111. *pag.* 96.), pecuniam denique significat, quæ ad aliquam expeditionem pro Religione suscipiendam, cujusmodi erant crucigerorum in Palæstinam bellicæ commigrationes, a Principe colligi potest. (Chambers, v. *Collecta*.) Verum longe aliæ *Collectæ* sunt, de quibus verba mihi facienda sunt, eleemosynæ scilicet, quibus Fideles unius Ecclesiæ pauperes alterius Ecclesiæ juvare solebant. Hæ quoque eleemosynæ *Collectæ* dicebantur; quarum quidem usum ab Judæis ad Christianos manasse compertum est. Nam in veteri Testamento sæpe occurrunt ejusmodi *Collectæ sive* ad rerum divinarum cultum amplificandum (*Exodi* 33. 36. 37. 38.) sive ad pauperum sublevandam inopiam instituta (5).

II. Ut ergo ad Christianorum *Collectas* sermo-

(1) Extat hæc dissertatio in libro inscripto: *Raccolta Milanese dell' anno* 1757. Nos illam paullo post initium nonnihil contraximus; nostræ præterea ut ab Auctoris adnotationibus secernerentur, illas Arabicis in calce numeris, has parenthesi clausas in materia designavimus.

(2) Confer præter Cangium P. de la Cerda *adversaria Sacra cap.* LXVIII. *n.* 8.

(3) Sic, ut exempla a Cangio adlata prætercam, in *Responsoriali*, & *Antiphonario Romanæ Ecclesiæ* apud Thomasium legere est. *p.* 71. T. IV. *operum Thomas*; *Collecta ad* S. *Nicolaum*. Confer Vezzosium ad eum Thomasii locum.

(4) Vide de la Cerda *Adversf. Sacr. cap.* XLII.

(5) Heic multa resecuimus, quæ ad confirmandum, illustrandumque Collectarum apud Judæos usum dissertationis Auctor in medium adtulerat; quod quidem cum ipsa, quam sequimur, brevitas suasit, tum ea opinio, in qua omnino sum, non tam ab Judæorum moribus, quam a Christianæ charitatis legibus Collectas apud Majores nostros derivasse.

monem contraham, prior, cujus in ſcripturis mentio fiat, ea eſt, quam fame ab Agabo prænunciata ingruente Antiocheni contulerunt, (Act. xi.) ſecundo juxta Dionem (Dio *Lib.* Lx.) anno Claudii, quarto autem ejuſdem Claudii ex Euſebio (Euſeb. *in Chronico*). Incidit hæc Collecta, quemadmodum oſtendit ſocius noſter, qui iter ejus cauſſa a Paulo ſuſceptum deſcripſit (1), in annum vulgatæ æræ XLIV. (2), nempe ſecundum ſyſtema a nobis cooptatum, XV. a Domini morte (3). Jam vero ab inſtituto noſtro alienum haud erit inquirere, num hac Epocha antiquior ſit in Eccleſia noſtra Collectarum conſuetudo? ſeu an ante annum XLIV. Collectæ fuerint a Chriſtianis conſtitutæ? Etenim pauperes non paucos illis temporibus ejurata Judaica lege, Gentium quoque Religionibus deſertis ad Chriſtianam fidem tranſiiſſe novimus.

III. Atque illud primum animadverto, ipſius lege naturæ, quam cum Moſaica, tum Chriſtiana lex confirmavit, Altaris miniſtros debere populorum oblationibus ali. Enimvero ne ad hanc veritatem comprobandam Ethnicorum erga ſuos Sacerdotes conſuetudines in medium adſeram, ſcimus Deum ipſum in veteri lege Sacerdotum, ac Levitarum alimentis percommode conſuluiſſe. Quamobrem Chriſtus ipſe Eccleſiæ ſuæ fundamenta quum jaceret, vetuit, Apoſtolos aurum, argentumve, aut duas veſtes poſſidere, monens dignum eſſe operarium ſua mercede (*Matth.* 10.); itemque juſſit, in eorum, quos Fidei præceptionibus imbuiſſent, domibus comedere illos, ac libere (*Luc.* 10.). Præterea piæ aliquot, ac æque locupletes feminæ aderant, Luca teſte (*Luc.* 8.), quarum ipſe, ejuſque Apoſtoli ſumptibus alebantur. Neque his contentus, ut ſuo exemplo futuram Eccleſiam doceret, voluit ſervator optimus loculos habere Judam, in quibus erogatæ ſibi eleemoſynæ in ſuos atque Apoſtolorum pro opportunitatibus uſus ſervarentur (*Joh.* 12.). Audi jam Apoſtolum de hoc alendorum Sacerdotum officio Laicos commonentem (1. *Cor.* 9.) *Quis militat ſuis ſtipendiis umquam? quis plantat vineam, & de fructu ejus non edit? quis paſcit gregem, & de lacte gregis non manducat? Numquid ſecundum hominum hæc dico? An & lex hæc non dicit? Scriptum eſt enim in lege Moyſi: non alligabis os bovi trituranti. Numquid de bobus cura eſt Deo? An propter nos utique hoc dicit? Nam propter nos ſcripta ſunt: quoniam debet in ſpe, qui arat, arare, & qui triturat, in ſpe fructus percipiendi. Si nos vobis ſpiritualia ſeminavimus, magnum eſt, ſi nos carnalia veſtra metamus? Si alii poteſtatis veſtræ participes ſunt, quare non potius nos? Sed non uſi ſumus hac poteſtate, ſed omnia ſuſtinemus, ne quod offendiculum demus Evangelio Chriſti. Neſcitis, quoniam qui in ſacrario operantur, quæ de ſacrario ſunt, edunt, & qui altari deſerviunt, cum altari participant? Ita & Dominus ordinavit iis, qui Evangelium annuntiant, de Evangelio vivere.*

IV. At pauci erant tunc temporis Divini verbi miniſtri, ac parvo contenti vivebant, nec erat cur Paulus ceterique Apoſtoli Neophytos ſuos de pinguibus oblationibus ad ipſos deferendis tam graviter copioſeque monerent. Alio ergo hiſce exhortationibus ſpectabant. Nempe hoc erat ipſorum conſilium, a terrenarum divitiàrum amore Fidelium animos avocare, diviteſque ad ea quæ pauperum alimoniæ ſatis eſſent, liberaliter elargienda excitare. Quare ad Chriſti Domini imitationem quidquid ipſis e tenuiſſimo, quo contenti erant, victu ſupereſſet, pauperibus, quorum initio curam ſuſceperant, Apoſtoli diſtribuebant. Itaque quum primi Fideles perfectam vitam ſtudioſe conſectarentur, in Apoſtolos quoque ac Magiſtros ſuos largitate ſane maxima utebantur, ut pauperibus propterea ſatis conſultum eſſet, quin Collectæ fierent.

V. Præterea nulla primis illis temporibus Col-

(1) Nempe in eruditorum quorumdam cœtu Mediolani de Apoſtolorum itineribus inſtitutæ fuerunt *an.* 1757. diſputationes.

(2) Pearſonio tamen, Uſſerio, ac Tillemontio præplacet annus XLIII. atque hunc in Bibliorum Remondiniana editione *an.* 1758. ſequutus ſum.

(3) Anno ſcilicet vulgatæ æræ XXIX. Conſulibus Geminis Chriſtum Dominum in Crucem actum fuiſſe ſentiunt eruditi hi viri Mediolanenſes, quorum ſententiam maxime probo.

collectarum videtur fuisse necessitas, quum qui ad Christianorum sacra transirent, bonis se se suis abdicarent, pretiumque ad Apostolos deferrent in egenos ex æquo distribuendum, nec inter illos qui ditior esset aut pauperior, reperiretur, sed communem quamdam vitæ rationem omnes inirent (*Act.* 11.). Adde tantam Apostolis fuisse pecuniæ vim, ut ne ab Evangelii prædicatione avocarentur, viduis primum, deinde Diaconis (*Act.* 6.) credere ejus administrandæ curam debuerint.

VI. Atque id quidem ajo de primæva Ecclesia e solis Judæis coacta ante S. Stephani mortem; quo scilicet tempore constat Fideles omnia quæ possiderent, venum dedisse, pretiumque Apostolis numerasse, hos vero divino afflatos Spiritu quum futuram Ecclesiæ persecutionem, atque ab Judæis ad Gentes Evangelium transferendum prænoscerent, nemini prædiorum suorum retinendorum potestatem fecisse, ne ad Christiani nominis persecutores devenirent (Gratianus 12. 9. 1. *Can. futuram* tribuit Melchiadi Papæ seq *Futuram Ecclesiam in Gentibus Apostoli prævidebant; idcirco prædia in Judæa minime sunt adepti, sed pretia tantummodo ad fovendos egentes*). Quod vero ad Ecclesiam spectat tempore S. Stephani martyrium inter, & Evangelicam Gentibus prædicationem medio constitutam, censeo collectas ad pauperum alimoniam fuisse factas. In Ecclesiis porro Ethnicorum ad fidem nostram conversorum, in quibus fideles jussos fuisse quæ possiderent divendere, inque communem Ecclesiæ thesaurum conferre non constat (1), ita statuo, pauperibus quæ Apostolis, ceterisque sacris Ministris superessent fuisse distributa, atque ubi hæc illis alendis satis haud essent, eleemosynis, collectisque eorum egestati fuisse provisum. Quare etsi ante Antiochenam illam pro Palæstinæ Fidelibus nulla in sacris litteris mentio collectarum occurrit, nullus tamen dubito, a morte Stephani ad annum æræ vulgaris XLIV. in variis cum Judæorum, tum Ethnicorum Ecclesiis fuisse collectas alias indictas. Quod autem collecta illa Antiochensis non ad privatas Ecclesiæ illius egestates, sed ad publicas Ecclesiarum alterius Provinciæ levandas instituta fuerit; heinc fortasse factum, ut ceteris silentio præteritis illam sacer historicus commemorarit.

VII. Ejus autem hæc videtur occasio fuisse. Admodum verosimile est, fideles in S. Stephani obitu Hierosolymis pulsos, atque in Palæstina fere (*Act.* VIII.) dispersos communem illum Ecclesiæ suæ thesaurum in ea persecutione amisisse; idque Paulus in ea quam ad ipsos dedit, epistola indicare videtur (*Ad Hebr.* 10. 34.) Quare mirum non est, longe graviorem ipsis fuisse famem ab Agabo prænunciatam. Miserrimo eorum statu commoti Antiocheni Discipuli Paulum ac Barnabam opportuni subsidii delatores illico ad eos miserunt. Quod unum in hac collecta dignum animadversione videtur, illud est, Antiochenos, quæ collegerant, misisse *ad seniores per manus Barnabæ, & Sauli* (*Act.* 11.) Enimvero inter eruditos viros minime convenit, quid hoc Actorum loco *Seniorum* nomen designet. Apostolos aliqui eo denotari contendunt; quod tamen alii negant, ea potissimum ratione ducti, quod ex Apostolis tunc Hierosolymis fuisse unus Jacobus videatur, idque hoc etiam argumento confirmant, quod Hierosolymitani hujus itineris in epistola *ad Galatas* Paulus non meminerit, illud minime prætermissurus, si Apostoli illa ab urbe non abfuissent. Quamquam nullius mihi ponderis argumentum hocce videtur, quum enim S. Jacobum Hierosolymis Paulus offenderit, ejus saltem caussa iter illud in litteris *ad Galatas* memorare debuisset. Diaconos Menochius *Seniorum* nomine heic intelligit; Presbyteros alii, qui cum Episcopo, Apostolis absentibus, Ecclesiam administrabant. Non est hujus loci inquirere, an Christiana Ecclesia in iis quæ ad exterius regimen spectat, fere

(1) Fuere tamen aliqui, qui id instituti genus non Hierosolymitanæ proprium sed commune omnium, quæ tunc exstarent, Ecclesiarum fuisse adfirmarent. Quamquam hos refelli a Salmasio *lib. de usuris c.* 21. docet Moshemius in quadam *de vera natura communionis bonorum apud Lucam* dissertatione. Qui Therapeutas Christianos fuisse defendunt, hi Alexandrinam quoque Ecclesiam Hierosolymitanæ moribus vixisse fateantur, necesse est.

ſere ad Synagogæ Judaicæ normam tunc temporis conformaretur, quodque hujuſmodi regimen eſſet a Moſe inſtitutum. Ne illud quidem heic a me diſputandum, num in ipſis Eccleſiæ primordiis duo tantum Hierarchici ordines fuerint, Apoſtolorum alter, alter Diaconorum? quod nonnulli defendunt, aliis contra pugnantibus, Presbyteros præterea Epiſcopis inferiores jam tunc extitiſſe. Id igitur unum dicam, ab Antiochenis Diſcipulis fuiſſe cum collectis Paulum & Barnabam miſſos *ad Seniores*, nempe ad Eccleſiæ principes viros, quicumque demum ii fuerint, ſive Apoſtoli, ſive Epiſcopi, ſive Presbyteri, ſive etiam Diaconi. Si eo temporis fuere Hieroſolymis Apoſtoli, aut Epiſcopi, his certe traditæ eleemoſynæ fuerint; quemadmodum Presbyteris, ac Diaconis, ſi hi tantummodo illic aderant. Laicis ætate ſenioribus creditæ profecto non fuerunt, neque enim credibile eſt, Eccleſiæ illi Sacros tunc defuiſſe Miniſtros. Sunt qui velint, Seniores fuiſſe Epiſcopos Urbium Hieroſolymitanæ Eccleſiæ proximarum, qui ad negotia magni momenti tranſigenda illic congregari ſolerent; his tamen adverſatur eruditus Auguſtinus Calmetius (*in eum actorum locum*) cui veriſimilius videtur, hoc nomine intelligendum eſſe univerſum Eccleſiæ Senatum, ex præcipuis membris illius atque Miniſtris, Apoſtolis, Epiſcopis, Sacerdotibus, & Diaconis conſtitutum. Chriſtiani tamen Hieroſolymorum non fuere ſoli, quibus hacce collecta ſubſidium pararetur. Narrat enim Joſephus (*l.* 20. *Antiq. Judaic. c.* 2.) Helenam Adiabenorum Reginam, quum Hieroſolymam ſumma caritate laborare, ac plurimos eſſe, qui fame laborarent, vidiſſet, miſiſſe qui Alexandriæ fruges, & in Inſula Cypro caricas emerent, hæcque omnia in miſeram Urbem delata, ac vulgo diſtributa vitam non exiguo hominum numero ſervaſſe; Iſatem quoque ejus filium miſiſſe eadem de cauſſa ingentem auri vim ad Hieroſolymæ Magiſtratus in pauperes erogandam (1)

VIII. In perſecutione poſt S. Stephani obitum mota Fideles omnia, aut fere omnia, quæ in communi poſſidebant, bona amiſiſſe ſupra indicatum eſt; quod quidem præter probabile ſatis argumentum, quod ex Pauli Apoſtoli ad Hebræos epiſtola (10. 32.) ducitur, facile quiſque ſibi perſuadebit, ſi ad odium, quo in Chriſtianos ferebantur Judæi, ac tumultus, ſeditioniſque tunc excitatæ impetum animum adjecerit. In extremam ergo paupertatem novi illi Fideles dejecti erant, quæ ab Apoſtolorum providentia miſerationem, curamque ſibi omnem merebatur. Quapropter hi quum in Hieroſolymitano Concilio Pauli ac Barnabæ doctrinam probaſſent, id unum iſtis etiam atque etiam commendarunt, (*Cap.* II. *v.* 10.) pauperum ut memores eſſent, inque regionibus, quas Evangelica prædicatione imbuiſſent, eleemoſynas pro illis ſedulo colligerent. Atque heinc plurium in Pauli Epiſtolis collectarum mentio.

IX. Prima ad Theſſalonicenſes epiſtola (*cap.* IV. *v.* 9. & 10.) ait Apoſtolus: *de caritate autem fraternitatis non neceſſe habemus ſcribere vobis, ipſi enim vos a Deo didiciſtis, ut diligatis invicem: etenim illud facitis in omnes fratres in univerſa Macedonia* (cujus urbs erat Theſſalonica). *Rogamus autem vos, fratres, ut abundetis magis*. Hæ porro eleemoſynæ erogari collectis, quibus divites pauperioribus ſuæ Provinciæ ſubveniebant, erogari debuere. Videbimus infra, Macedoniæ Eccleſias ut ab Judæis, Ethniciſque vexatas aliarum adeo non indiguiſſe ſubſidio, ut potius ipſæ Chriſtianorum Judææ egeſtatibus largiter conſuluerint.

X. Caput primæ ad Corinthios decimum ſextum his verbis idem Apoſtolus inchoat: *De collectis autem, quæ fiunt in Sanctos* (2), *ſicut ordinavi Eccleſiis Galatiæ, ita & vos facite. Per unam Sabbathi unuſquiſque veſtrum apud ſe ſeponat, recondens quod ei bene placuerit: ut non, quum venero, tunc collectæ fiant. Quum autem præſens fuero; quos probaveritis per epiſtolas, hos mittam perferre gratiam veſtram*

(1) Hanc tamen Joſephi hiſtoriam nuperus Judæi Scriptoris interpres Gallus, idemque vindex Gilletius in falſitatis ſuſpicionem vocat, *ad eum librum animadv.* 11.

(2) Veterum Chriſtianorum nomen, quod pluribus teſtimoniis Mamachius confirmat Tom. 1. *orig. & Ant. Chriſt.*

ſtram in Jeruſalem. Quod ſi dignum fuerit, ut & ego eam, mecum ibunt. Ubi animadverto, Apoſtolum Corinthios ad caritatem ut acueret, Galatarum uti exemplo: quibus proinde aut voce coram, aut per quempiam Miniſtrum, aut epiſtola aliqua, quæ perierit, debuit collectas præcepiſſe; illarum certe in ea, quam habemus, ad Galatas epiſtola nulla fit mentio, & ſolum in ea Fideles monentur, ut *communicet is, qui catechizatur verbo*, ei, *qui ſe catechizat, in omnibus bonis*, nempe ex bonis ſuis opem adferat erudienti. Præterea etſi Apoſtolus indefinite dicit, *per unam Sabbathi* unumquemque apud ſe debere ſeponere *quod ei bene placuerit*; Interpretum tamen ſententia eſt (1), die Dominico id factum, quamvis S. Leonis temporibus ſecunda ac tertia feria collectas habitas reperiamus (*Serm. de Collect. & jejun.* 2. & 3. de quibus infra). *Gratiam* autem Apoſtolus eleemoſynas vocat, quemadmodum & in aliis ſæpe locis (11. *Cor.* 8.), neque enim decebat, inquit Oecumenius (*in hunc locum.*) hoc altero vocabulo uti, quod Sanctis præterea, quibus conferri debebant, erat indignum. Tandem, quod ad eam partem, in qua de aliquibus agitur Hieroſolymam ad deferendas eleemoſynas mittendis agitur, obſcurus videtur is Apoſtoli locus, & variata interpunctione (2) ſignificare poteſt, Apoſtolum niſi Corinthum veniſſet, Hieroſolymam, quos datis ad eum litteris Corinthii ipſi probaſſent, miſſurum fuiſſe; aut miſſurum Apoſtolum cum epiſtolis ſuis, quos Corinthii probaſſent, aut denique miſſurum illos cum Corinthiorum, & ſuis ipſius litteris: tunc enim in more poſitum erat, commendatitias ac fiduciarias fidelibus litteras tradere pro aliis eorum locorum, ad quæ proficiſcerentur, Chriſtianis.

XI. Quum priorem hanc ad Corinthios epiſtolam Apoſtolus dedit, Epheſi etiam tum morabatur; Macedoniam tamen cogitabat, quo Timotheum, & Eraſtum præmiſerat. Macedoniam deinde & ipſe profectus Evangelii prædicatione detinebatur, quum Titus Troade ab ipſo fruſtra quæſitus ad eum adiit. Solatus eſt Paulum Titus, fauſtiſſimis de Corinthia Eccleſia nunciis adlatis, deque eleemoſynis, quas Fideles Achajæ Fidelibus Judææ parati erant ſuppeditare. Hoc ſtatim exemplo uſus eſt Apoſtolus Macedoniæ Chriſtianos ad uberes pro Palæſtinæ Fidelibus collectas incitaturus. Heinc Corinthios ut in cœptis confirmaret, ſecundam ad eos epiſtolam perſcribere conſtituit. In hac (c. 8. & 9.) Eccleſiarum Macedoniæ exemplo Corinthios rurſus hortatur, ut in Palæſtinæ Fideles eſſe liberales velint, atque *notam*, inquit, *facimus vobis, fratres, gratiam Dei, quæ data eſt in Eccleſiis Macedoniæ, quod in multo experimento tribulationis, abundantia gaudii ipſorum fuit; & altiſſima paupertas eorum abundavit in divitias ſimplicitatis eorum: quia ſecundum virtutem teſtimonium illis reddo, & ſupra virtutem voluntarii fuerunt, cum multa exhortatione obſecrantes nos gratiam, & communicationem miniſterii, quod fit in Sanctos: & non ſicut ſperavimus, ſed ſemetipſos dederunt primum Domino, deinde nobis per voluntatem Dei; ita ut rogaremus Titum, ut quemadmodum cœpit, ita & perficiat in vobis etiam gratiam iſtam. Sed ſicut in omnibus abundatis fide, & ſermone, & ſcientia, & omni ſolicitudine, inſuper & charitate veſtra in nos, ut & in hac gratia abundetis.* Macedonum perſecutiones, quas heic Apoſtolus indicat, eæ ſunt, quas cum ab Judæis, tum ab Ethnicis Philipporum, ac Theſſalonicæ Fidelibus illatas fuiſſe ex Apoſtolorum Actis conſtat (*Act.* 16. & 17.). Pium hocce officium Macedonum precibus ſuſcepit Apoſtolus, atque Hieroſolymam eleemoſynas detulit, illicque diſtribuit, quemadmodum hæc ipſa Epiſtola (8. 19. 9. 1. *Vide etiam*) & Apoſtolorum inſuper Actus teſtificantur (1. *Cor.* 16. 15.).

XII. Cœptam ad Corinthios exhortationem Paulus proſequitur, neque ſe ait illis imperare, ut quantum Macedones egerant, tantumdem ipſi præſtarent; Chriſti tamen exemplum ur-

(1) Theophylactus admonet *unam* dictam eſſe pro *primam*; in quo conſentit Chryſoſtomus. Confer Baronium ad *a.* 44. *n.* LXVIII.

(2) Nullus variæ interpunctioni locus in prima illa explanatione; ſed ſolum in duabus ſequentibus.

K 2

urget, qui *propter nos egenus factus est, quum esset dives*. Addit, hasce eleemosynas *utiles* ipsis futuras, ob meritum scilicet, quod apud Deum essent sibi illis comparaturi, sanctumque quod ceteris Fidelium Ecclesiis præbituri essent, exemplum. In mentem illis revocat, fuisse ipsos ad elargiendas eleemosynas præterito jam anno paratos, quin & eas colligere cœpisse: quæ Corinthiorum alacritas priori ad ipsos Apostolos datæ epistolæ tribuenda verosimiliter est. Quamobrem jure potuit (quod ipsa hæc docet epistola) (II. *Cor.* 9.) S. Paulus Corinthiorum exemplum Macedonibus proponere ad eos vehementius excitandos; etsi enim hi citius collectam perfecerant, illi tamen antea inchoaverant. Monet deinde illos, ne ob istas eleemosynas putent se pauperes factum iri, Deus enim voluntatem spectat; neque se velle, ut ultra vires largi sint, sed solum ut quamdam inter se, & Judeæ pauperes servent æqualitatem; quam in rem Mannæ exemplum usurpat; Deus enim permisit ut qui plus ex manna collegerat, non abundaret, & qui minus, ei manna non deficeret, sed ad æqualem omnes mensuram redigerentur. Ubi Apostolus existimasse videtur, non populi principes ex æquo manna distribuisse, quemadmodum Hebræus textus indicat, sed Divino quodam miraculo effectum, ut qui majorem mannæ copiam collegerant, in urna non plus invenirent, quam qui minus collegerant, ut LXX. Interpretum versio fert. Gratias deinde Paulus, Deo agit, *qui dedit eamdem sollicitudinem* pro Corinthiis *in corde Titi*, ut collectarum caussa esset ad Corinthios *sua voluntate profectus*. Addit a se cum Tito alium fratrem fuisse missum. Porro inter eruditos viros disputatur, Lucasne, an Barnabas, an Silas, an Apollo heic designetur? Qui a Barnaba stant, urgent, fuisse illum Pauli peregrinationum socium destinatum. Verum & alii, quorum Acta Apostolica non meminere ad id muneris esse potuerunt electi, ut Doctoris Gentium socii essent, quemadmodum Barnabas. Certe S. Lucas in pluribus itineribus Apostolo comes fuit. Nihil aliud addam hac super obscurissima quæstione (1) nam ne ad meum quidem institutum non pertinet; potius aliqua dicam de insigni, qua Paulus collectarum pecuniam administrabat, cautione.

XIII. Grotius (*ad cap.* 8. *ep.* II. *ad Cor. v.* 18.) & alii (*Maimonides T.* 3. *fol.* 8.) putant, hanc fuisse Hebræis in eleemosynarum distributione consuetudinem, ut probati viri omnino tres deligerentur, quibus ea cura committeretur, justæ scilicet ac fidelis distributionis testes futuri. Quam laudabilem consuetudinem pro Macedoniæ, & Achajæ collectis volens Apostolus servare, præter Titum, fratremque, cujus nuper meminimus, alium illuc misit, qui fueritne Apollo, an Epinetus, an Zenas, an Sylas, an Sosthenes, an Lucas, incertum est. Quisquis is fuerit, Paulus Corinthiis præstat, sollicitum illum semper fuisse pro rebus ad Ecclesiam pertinentibus, tunc autem multo sollicitiorem esse, quod Palæstinæ Fideles eleemosynis sublevandos eos bene animatos ex Tito acceperat. Heinc eum, sociosque Corinthiorum benevolentiæ commendat.

XIV. Pergit Apostolus mirabili sane artificio ad Collectas Corinthios acuere. Fatetur *de ministerio, quod fit in Sanctos, ex abundanti esse sibi scribere illis*; deinde se ait *de illis gloriari apud Macedones, quoniam & Achaja parata est ab anno præterito, & Corinthiorum æmulatio provocavit plurimos*. Qua in re prudens Apostoli charitas digna est quæ observetur; dum enim Corinthios hortatur, Macedonum exemplo utitur; contra istorum alacritate illorum tarditatem excitat. Addit, misisse se fratres, *ut ne quod gloriabatur de illis, evacuaretur in hac parte*, utque celeriter collectas perficiant, monet, *ne quum venerint Macedones secum, & invenerint eos imparatos, erubescat in hac substantia*. Varios demum recenset eleemosynæ fructus, hancque epistolæ suæ partem concludit.

XV. Nihil de Collectis invenio in epistola ad Romanos, nisi quod Apostolus scribit, venturum se ad Urbem orbis Principem, postquam Macedoniæ & Achajæ collectas Jerusalem detulisset (*Cap.* 15. 26.). Hoc extremum est, quod ob hanc caussam suscepit Apostolus iter;

(1) Confer Calmetium, & Fabricium in cap. VII. S. Hieronym. *de Viris Illustribus*.

iter; post hoc enim Cæsareæ duos annos in carcere mansit; heincque Romam fuit missus.

XVI. Philippis, quæ Urbs Romana colonia erat, partisque Macedoniæ princeps, plures pro Paulo collectæ sunt habitæ. Ejus Ecclesiæ Fideles omnibus, qui ab Apostolo fuerant Fidei lumine collustrati, gratiore in illum animo fuere. Postquam a vinculis, quibus in ea Urbe fuerat ob Evangelii prædicationem adstrictus, Amphipolim, Apolloniam, Thessalonicam, aliasque ad civitates se contulit. Quo quo autem progrederetur, Philippenses (*Philipp.* 4. 19) eum pecunia juvabant. Bis enim Thessalonicam (*Philipp.* 4. 16.); semel etiam Corinthum (II. *Cor.* 2.) ad illum pecuniam miserunt. Ut autem Romæ illum carcere damnatum intellexerunt (*Phil.* II. 26.), Epaphroditum aut Episcopum, aut suæ Ecclesiæ ministrum (Vide Calmet *Præf. ep.* ad *Philipp.*) destinarunt, qui sufficientem pecuniæ vim ad eum deferret: de qua in se charitate gratias illis plurimas S. Apostolus agit (*Philipp. cap. ult.*)

XVII. Aliam nullam in Pauli epistolis collectarum invenio mentionem. Solum Hebræos (*Hæbr.* 13. 3.) admonet, *ut hospitalitatem nolint oblivisci*, & *meminerint vinctorum, tanquam simul vincti*: quod quidem etsi ita intelligi potest, ut Paulus voluerit, invisi illos ab Hebræis debere, ac consolatione suis in ærumnis levari, nihil tamen vetat, quominus eleemosynas ex iis, quæ ipsis in tanta eorum calamitate superfuerant, commendasse Apostolus dicatur. Enimvero paulo post eos hortatur, ut *beneficentiæ, & communionis* (bonorum) *nolint oblivisci, talibus enim*, inquit, *promeretur Deus*.

XVIII. Etsi vero Apostolo Paulo & Barnaba ab Hierosolymitano Concilio est pauperum, atque Hierosolymitanorum præsertim, & Palæstinorum delata cura, nullus dubito, parem illorum fuisse ceteris Apostolis sollicitudinem, ac mihi omnino persuadeo, ab his in eorum subsidium fuisse ex variis, quas Evangelica prædicatione imbuebant, provinciis eleemosynas missas. Neque pro solis Hierosolymitanis fidelibus, sed & pro aliarum Ecclesiarum pauperibus Christianis collectas ab illis institutas fuisse verosimile est.

XIX. Apostolorum exempla consectantes primi Fideles eamdem inierunt viam, ut pauperibus suis gravissimum egestatis onus levarent. In singulis Ecclesiis arcæ genus prostabat (*Gazophylacium vocabant*) in quam singulis mensibus, atque adeo hebdomadis pii Fideles quod fraterna charitas maxime suggerebat, inferre consueverant, in pauperes deinde distribuendum. (1) Scribit Justinus, consuevisse singulis dominicis diebus ad Liturgiam convenire Christianos, absolutaque communione, *qui abundant & volunt, suo arbitrio, quod quisque vult, largiri, & quod colligitur apud eum, qui præest, deponi, ac ipsum subvenire pupillis, & viduis, & iis, qui vel ob morbum, vel aliam ob caussam egent* (*Apol.* I.). *Tertullianus quoque* (*Apologetici c.* 39.) *collectas hasce eleganter* in hæc verba describit:) *Præsident probati quique seniores, honorem istum non pretio, sed testimonio adepti; neque enim pretio ulla Dei res constat, etiamsi quod arcæ genus est, non de oneraria summa quasi redemptæ Religionis congregatur. Modicam unusquisque stipem menstrua die* (semel in mense) *vel quum velit, & si modo possit, apponit: nam nemo compellitur*,

(1) Sequiore ævo *truncum* appellabant. Innocentius III. ut in ejus gestibus legitur, *in singulis Ecclesiis truncum concavum poni præcepit, ut & in eo fidelis quilibet juxta quod Dominus eorum mentibus inspiravit, suas eleemosynas firmitate statuta deponere in remissione eorum peccatorum moneantur*. Confer Grancolasium *Tom. I. ant. Sacramentarii Ecclesiæ p.* 17. Sed & *Corbonam* Cypriani ævo dictam ejusmodi arcam discimus ex ipso Cypriano, qui *l. de oper. & eleem. n.* 3. Matronam quamdam objurgans ait: *Dominicum celebrare te credis, quæ Corbonam omnino non respicis*. Nam quod Samuel Basnagius *Exercit. in Baron. p.* 597. non arculam, sed donum ipsum a fidelibus oblatum *Corbonæ* nomine designari contendit, ex Matthæo XXVII. *n. 6.* aperte confutatur; neque enim idem est *Corban* Marci VII. II, quod *Corbona*, sed illo donum, hoc Gazophylacium denotatur. Vide P. Berlendis *de oblationibus p.* 180.

litur, sed sponte confert. Hæc quasi deposita pietatis sunt; nam inde non epulis, nec potaculis, nec ingratis voratrinis dispensatur, sed egenis alendis humandisque, & pueris, ac pupillis re ac parentibus destitutis, ætateque domitis senibus, item naufragis, & si qui in metallis, & si qui in insulis, vel in custodiis, dumtaxat ex caussa Dei sectæ, alumni confessionis suæ sunt. Hactenus Tertullianus, qui addit, *ejusmodi vel maxime dilectionis operationem notam nobis inurere penes quosdam*, scilicet Ethnicos; *sed eo fortasse*, inquit hanc *notam* refellens, *minus legitimi existimamur, quia nulla de nostra fraternitate tragœdia exclamat, vel quia ex substantia familiari fratres sumus, quæ penes vos dirimit fraternitatem. Itaque qui animo animaque miscemur, nihil de rei communicatione dubitamus: omnia indiscreta sunt apud nos, præter uxores.*

XX. Neque hæ solum collectæ, quæ consuetæ dici possunt, secundo Ecclesiæ sæculo in usu erant; sed aliæ quoque extra ordinem, quas quivis pro qualibet peculiari indigentia Episcopus indicere poterat. Id ex eodem Tertulliano (*de jejun. adversf. Psychicos*) colligitur, qui posteaquam ab Ecclesia se sejunxit, Catholicis Episcopis istam vitio vertit consuetudinem his verbis: *Bene autem, quod & Episcopi universæ plebi mandare jejunia absolent; non dico de industria stipium conferendarum, ut vestræ capturæ est, sed interdum & ex aliqua sollicitudinis ecclesiasticæ caussa*. Sed & clarius ex eo Tertulliani loco (*de fuga in persecut.*) id ducitur, ubi Pastoribus Catholicis non avaritiam exprobrat, sed animi abjectionem, quod vectigalia quædam repeterent, ut facultatem populi ad divina celebranda mysteria congregandi ab Infidelibus emerent.

XXI. Novimus a primis temporibus laudabilem in Romana Ecclesia consuetudinem viguisse ingenti pecuniæ vi opem Orientalibus Ecclesiis ferendi. Dionysius Corinthiorum Episcopus id diserte testificatur in epistola ad Soterem Romanum Pontificem (Euseb. *l.* 4. *c.* 23.) Alter quoque (1) Dionysius Alexandrinus (Euseb. *lib.* 7. *c.* 5.) in litteris ad Stephanum Papam datis asserit, Syriæ universæ, atque Arabiæ Romanam Ecclesiam necessaria suppeditasse. Ad Eusebii tempora præclara isthæc consuetudo perduravit; ille enim (2) ait (*l.* 4. *c.* 23.): *hæc enim vobis consuetudo est jam inde ab ipso religionis exordio, ut fratres omnes vario beneficiorum genere afficiatis, & Ecclesiis quam plurimis quæ in singulis urbibus constitutæ sunt, necessaria vitæ subsidia transmittatis. Et hac ratione tum egentium inopiam sublevatis, tum* fratribus, *qui in metallis opus faciunt, necessaria suppeditatis.* Quæ quidem pecunia ad Orientis Ecclesias a Romana transmissa fructus oblationum esse potuit ab hujus Ecclesiæ alumnis, aliisque Fidelibus magno numero illas regiones petentibus ultro exhibitarum; videtur tamen aliqua saltem ex parte collectis congesta. Nam collectarum usus posterioribus quoque temporibus viguit.

XXII. Episcopis Numidiæ obsecrantibus collectam S. Cyprianus indixit, ut possent captos a Barbaris Christianos redimere. Tum pecuniam Episcopis Januario, Maximo, Proculo, aliisque misit cum litteris, quarum hoc est initium (3).

Cum maximo animi nostri gemitu, & non sine lacrimis legimus litteras vestras, fratres charissimi, quas ad nos pro dilectionis vestræ sollicitudine de fratrum nostrorum & sororum captivitate fecistis. Miserum captivorum Fidelium statum magna sane pietate atque elegantia in hac epistola B. Antistes deplorat. Mittere autem se ait *sestertia centum millia nummorum, quæ illic in Ecclesia, cui de Domini Indulgentia* præerat, *cleri & plebis.*

(1) Addi poterat Dionysius Papa, cujus decessor Stephanus fuit: is enim ut in epistola ad Damasum Papam scribit Basilius Cæsariensis, *quosdam, qui fratres a captivitate liberarent*, (utique collata pecunia) *misisse*.

(2) Commendat quidem eo loco Eusebius Romanæ Ecclesiæ consuetudinem illam; at quæ sequuntur verba, non ipsius Eusebii sunt, sed Dionysii Corinthii, cujus fragmentum reddit.

(3) Epist. LX. Baluzianæ editionis.

bis apud se consistentis collatione collecta erant (1)

XXIII. At ista tam laudabilis collectarum consuetudo S. Johannis Chrysostomi temporibus Constantinopoli plane desueverat. Quare earum restituendarum studio elegantem de illis sermonem præstantissimus Episcopus habuit (De *Eleemosyna & collectis in Sanctos ex priori Pauli ad Corinthios epistola*). Duo in eo S. Doctor Gazophylacia distinguit, publicum in Ecclesia alterum, alterum in domibus privatum, in quo debere ait fideles singulos S. Pauli exhortationibus incensos aliquid singulis diebus Dominicis recondere, quod pauperum levandæ egestati sit destinatum. Tum enimvero addit, domos futuras pœne totidem Ecclesias Deo sacras, privatasque cujusque facultates melius conservatum iri, quemadmodum subditorum opes si in Principum ærario recorderentur, aptius servarentur, ut eadem qua Principum pecuniæ, diligentia custoditæ.

XXIV. Ad Theodosii Magni imperium in multis Ecclesiis pia illa obtinuit consuetudo pecuniæ in Fidelium Hierosolymis degentium subsidium colligendæ. Constat id ex Doctore Maximo S. Hieronymo, qui Apostolicam hancce institutionem strenue defendit adversus impium Hæresiarcham Vigilantium, qui non collectas modo de medio tollere studebat, sed ipsam etiam Evangelicam paupertatem, quam illis quoque temporibus nonnulli venditis suis patrimoniis, pretioque in pauperes distributo Monasticam vitam amplexi profitebantur.

XXV. Hæ tamen collectæ consuetæ erant, etsi a singulis Ecclesiis pro suis pauperibus minime habitæ. Apud S. Augustinum extraordinariarum occurrit exemplum (*Epist.* 215. *Maur. edit.*). Theodosius, cui Ecclesiæ jura cordi erant, ita tamen ut ne quid alii inde detrimentum caperent, legem tulerat, qua debitores, qui ad Ecclesias confugissent ut ab judicibus sese subtraherent, his reddi jusserat, Episcopos vero aut Clericos, qui reddere illos renuerent, æs alienum, quo ii gravarentur, solvere. Quum ergo Fastius quidam debito decem & septem solidorum ab opinatoribus urgeretur, ut redderet, ne corporalem pateretur injuriam (non enim erat solvendo) ad auxilium Sanctæ Ecclesiæ convolavit: illi etiam exactores quum proficisci cogerentur, & ideo dilationem dare non possent, gravissimis S. Augustinum, cujus fere verba describimus, onerarunt, ita ut eis illum traderet, aut quod sibi deberi ostendebant, unde acciperent, provideret. Augustinus mutuo decem illos & septem solidos accepit, quos in caussam Fastii continuo dedit, promittente illo, quod ad certum diem cum eis reddendis posset occurrere, & consentiente, ut si non posset occurrere, sermo de illo fieret ad fratres, quorum misericordia imploraretur. Quum vero dies, ad quem se promiserat occursurum, transactus esset, & pollicitationi suæ Augustinus facere satis vellet, publicam collationem per litteras indixit.

XXVI. Ceterum circa hæc tempora ordinarias collectas in usu etiam tum fuisse in singulis Ecclesiis possumus ex quinque de collectis, & eleemosynis S. Leonis sermonibus non sine incredibili voluptate legendis arguere (2). Posterioribus temporibus duarum tantummodo collectarum mentionem invenio, ordinariam alteram, alteram extraordinariam. Ordinaria ea est, quam Carolus Magnus Imperator quotannis pro Urbe Roma fieri

(1) Inter Cyprianicas cit. Baluzianæ editionis epistolas alia extat LXXX. Felicis, Jaderis, Poliani, & ceterorum martyrum, qui ab Herenniano Hypodiacono, Luciano, & Maximo accepisse se testificantur cum Cypriani litteris *oblationis nomine non minimam quantitatem*, utique collectam.

(2) Atqui non de communibus collectis, quæ in omnibus Ecclesiis olim fiebant, sed de extraordinaria, ac præcipua, Romanæque Ecclesiæ peculiari Eleemosynarum collectione S. Leonem his in sermonibus loqui nuperi ejus editores Ballerinii Fratres existimant *admonitione in illos p.* 23. *T. I.* Porro Ludorum Apollinarium, per quos populus *stipem Apollini, quantum commodum esset*, ut ait Livius, conferebat, superstitione ab antiquis Patribus in pium usum conversa, primus collectarum harum dies fuisse iisdem Ballerinii videtur II. Nonas Julii, quo die Calendarium Maffejanum, Blanchinianum, & Muratorianum *T. I. Thes.* In-

fieri instituit. Ecce particulam epistolæ Gregorii VII., in qua ea memoratur (1).

Gregorius Episcopus servus servorum Dei dilectis filiis nostris P.... Albanensi Episcopo, & G.... principi Salernitano, legatis nostræ Apostolicæ Sedis in Gallias, salutem & Apostolicam Benedictionem.

Vobis commissa negotia non latent etiam vos, ita ac si nostra: immo quia nostra ibi in vobis præsentia est, cuncta digne peragite. Dicendum autem est omnibus Gallis, & per veram obedientiam præcipiendum, ut unaquæque domus saltem unum denarium annuatim solvat Beato Petro, si eum recognoscunt patrem, & pastorem suum more antiquo. Nam Carolus Imperator (sicut legitur in tomo ejus qui in archivio Ecclesiæ Beati Petri habetur) in tribus locis annuatim colligebat mille & ducentas libras ad servitium Apostolicæ Sedis: idest Aquisgrani, apud Podium S. Mariæ, & apud S. Ægidium, excepto hoc, quod unusquisque propria devotione offerebat.

XXVII. Quam vero indicabam, extraordinaria collecta illa est, quam fecit Alexander III. in Galliarum Ecclesiis pro suo in urbem reditu, postequam nonnihil subsiderant perturbationes, quæ Roma abesse ipsum compulerant.

XXVIII. Non ego heic de collectis agam, quæ pro expeditionibus ad Palæstinam in Christianorum ditionem redigendam susceptis factæ sunt; hæ enim, ut ipso dissertationis meæ initio monui, a meo instituto abhorrent.

XXIX. Ex his porro, quæ hactenus dixi, intelligitis, longo annorum intervallo nullam in Ecclesiastica historia collectarum mentionem fieri. Neque tamen Ecclesiæ pauperibus etiam publice opem ferre desciverunt. Fortassis non memorantur collectæ, quod alio illæ nomine compellabantur. In citatis SS. Johannis Chrysostomi, & S. Leonis Magni sermonibus animadverto, collectas non semel *oblationes* vocari. Certum enimvero est, omnibus omnino temporibus, sed illis præsertim, de quibus mihi est sermo, Oblationes, Primitias, Decimasque non solis Altaris Ministris, sed pauperibus quque obtigisse; quod quidem multis, si id instituti mei ratio ferret, cnnfirmare licere (2). Quamobrem quum Decimarum, Oblationum, Primitiarum mentio post ipsum undecimum sæculum sæpius occurrat, mirum non est, collectas silentio prætermitti. Adde Ecclesiam, quæ a primis ipsis temporibus multa possederat, hisce longe plura possedisse (3), ut propterea sine collectis opitulari pauperibus potuerit. Medio sæculo XVI. plures habemus Provincialium Conciliorum canones, quibus oblationum, quas collectas dici etiam posse nuper dicebam, usus intermissus revocatur (4). Sed hæc satis sit indicasse.

Inscrip. p. 11. immo & Polemii Sylvii Calendarium a Bollandianis editum Ludos Apollinares consignat. P. Cacciarius *p. I. oper. S. Leonis pag.* 15. suspicatus est, Saturnalium tempore collectas, de quibus S. Leo, indictas fuisse. Sed dum meliora suppetant, Ballerniorum conjecturæ præplacent.

(1) *Lib.* VII. *reg. ep.* 23. *T.* VI. *Harduin. collect: parte* I. *col.* 1476.

(2) Confer P. Berlendis *de Oblationibus* §. VIII. *pag.* 202. *seq.*

(3) Adi Muratorii V. C. *antiquitates Italicas medii ævi*.

(4) Consule Mediolanense IV. Concilium a S. Carolo Borromæo habitum.

AD CAP. XXI.

P. D. JOHANNIS MABILLONII
MONACHI BENEDICTINI
De Extrema Unctione
DISSERTATIO XXVII.

I. IN vita *S. Augendi*, vulgo *Eugendi*, Abbatis Jurensis ab ejus Discipulo elaborata, occurrit insignis locus de Sacræ Unctionis, quam Extremam nunc vocamus, Sacramento ad hæc verba: *Cum ultra Sexagenariam ætatem sex fere mensibus prædictus Pater inæqualitate corporea laboraret, sic tamen quod nunquam Canonico usque ad horam defuisset cursu, nec bis in die fesso corpusculo coactus fuit aliquid impertiri, vocato uno ad se de Fratribus, cui cum libertate peculiari olim etiam perungendi infirmos opus injunxerat, secretissime quoque sibi pectusculum petiit (ut moris est) inungi*. Neque id facit *Eugendus* sanitatis gratia, quem in finem dumtaxat a priscis Christianis adhiberi solitam unctionem contendit nonnemo magni apud Novatores nominis: sed caussa præmuniendi exitus. *Eugendus* siquidem tunc apud Discipulos querelam deponit, quod se jam morti proximum in vita precibus suis retinerent. Ad metam ergo properabat, aut potius accedebat.

II. Nec quemquam movere debet, quo sola pectoris unctio isthic memoretur. Varii fuere cum in aliis Sacramentis, tum in isto ritus, ac cæremoniæ. Baptizandos tertium mergi toto corpore, olim mos fuit. Baptismi tempora Paschate, & Pentecoste definiebantur. Sic in unctione infirmorum non eædem partes semper inunctæ sunt, nec servata eadem temporis ratio. Præcipua peccati organa, nimirum quinque corporis sensus, unctionem antiquissimo ritu exceperunt. Parvipendenda non sunt verba vitæ S. Theoderici Abbatis Rhemensis, qui Theodorici Regis filiam suscitaturus, *oleo Sancto* IN MOREM RECONCILIANTIS QUINQUE CORPORIS SENSUS illinisse dicitur. Illius vitæ scriptorem sæculo 9. vixisse ex num. 13. apparet. Pectus cordis sedem, ex quo omnes culpæ procedunt ungi solitum fuisse aliquando, immo plerisque in locis, uti apud Græcos etiam nunc id fieri *Menardus* noster in lib. Sacram. p.358. observavit. De tempore conferendæ infirmis Unctionis etiam variavit usus. Unctionem Viatico præmittebant veteres, qui ritus apud solos Cistercienses Monachos, & quasdam forte Ecclesias illibatus hactenus perdurat. Mos iste antiquus ineunte sæculo 13. in desuetudinem abiit. S. Gilbertus de Semprinham anno Domini 1189. denatus; *nocte qua natus est Dominus*, inquit vitæ auctor (Tom. 2. Monast. Angl. p. 669.) *apud Monasterium, quod est in insula de* Kadenegia, *Extremæ Unctionis, Dominicique Corporis munitus est Sacramentis*. *Guillelmus* Archiepisc. Bituricensis mortuus anno 1209. (Sur. 10. Jan.) *cum jam omnibus rite peractis, etiam testamentum multis assistentibus religiosis, & prudentibus viris edidisset, Fratribus convocatis Extremæ Unctionis Sacramentum humiliter, ac devote percepit. Eo percepto, etiam Sacrosanctam Eucharistiam sibi porrigi instantissime postulavit*. Hæc Vitæ scriptor coævus, præferendus utique alteri subpari apud *Bollandum* (10. Jan.), qui Viaticum Extremæ Unctionis habita sui temporis ratione præponit. Ergo unctio infirmorum ante Extrema dicta est, quam Viatico posterior esset. Porro Extrema sub finem sæculi 12. vocari cœpit. Locus in Vita *S. Mauræ* a *B. Prudentio* scripta apud *Camuzatum*, ubi *Unctionis Extremæ* fit mentio, interpolatus

tus videtur. Nam hæc in Sacramentorum libris a *Menardo* editis, nec apud *Udalricum* in libris Consuetud. Cluniac. nec apud *Lanfrancum*, *Anselmum*, *Petrum Damiani*, *Petrum de Honestis* in Regula Cleric. nec apud *S. Bernardum*, aut *Petrum Lombardum*, *Unctionis extremæ* nomen occurrit.

III. Et tamen non in ipso morbi principio, sed periculo imminente, infirmi ungebantur, & continuo Viaticum subministrari mos erat (*), quod nonnunquam in eodem morbo iterabatur, ut ex Sacramentorum libris quibusdam, & ex vita *S. Adelardi* Abbatis Corbejensis, manifeste vero ex vita *Ludovici VI.* Franc. Regis a *Sugerio* scripta patet. *S. Chrothildis* Regina in istis Actis *tricesimo die vocationis suæ secundum Apostolum inuncta a Sacerdotibus oleo sancto, & sacri Corporis, & Sanguinis Christi percepto Viatico in confessione sanctæ Trinitatis corpus exuit*. Lege vitam *S. Hunegundis* a duobus auctoribus, altero anonymo coævo, altero *Bernero* Abbate Hummolariensi litteris traditam. Iisdem verbis uterque auctor, a nobis sæculo Benedictino proximo sincere repræsentandus, *Hunegundis* extremam periodum ita describit. *Astantibus circumquaque utriusque sexus Christo famulantibus, qui ad decessum tantæ Matris, atque Virginis convenere, ex vicinis, & longinquis regionibus, dolor ingens, & mœror, & singultus erat omnibus, quoniam videbant se frustrari nimio solatio, licet essent fidentes, quod ejus semper in cælis devotissimo fruerentur patrocinio. Inter hæc conversa ad eos, qui assidebant sibi Presbyteros, Unctionis oleum, & communionem expetiit*. Quod circa annum 660. (Sur. & Boll. 2. Jan.) contigit. *Paschasius Radbertus* in Vita *S. Adelardi* Abbatis Corbejensis. *Interrogavimus eum*, inquit, *utrumne vellet* oleo perungi, *quem proculdubio sciebamus peccatorum oneribus non detineri. Quod ille audiens, erectis oculis in cælum obsecrabat, ut fieret. Quid putas dum, Sanctus agebat animus, quantis tunc replebatur lacrymis! Erant igitur oculi ad Deum defixi, manus vero extensæ*. An forte, ut sanitatem flagitaret? Audi quod sequitur. *Invitansque Sanctum Spiritum dicebat: Nunc dimittis servum tuum, Domine, secundum verbum tuum in pace, quia percepi omnia tui Mysterii Sacramenta. Et nunc quid superest, nisi ut ad te veniam?* En cujus rei gratia *Unctionis Sacramentum* postulaverat. Denique *B. Petrus Damiani* (lib. 6. Epist. 19.) ita de seipso testatur: *Dum hæc, & his similia frequentius itero, funereæ mihi parantur exequiæ, sacrati olei delibutione perungor, in cineris, ac cilicii strato tanquam illic emoriturus exponor*. Hinc manifestum est, morituris unctionem collatam, antequam Unctio vocaretur *Extrema*: ejusque finem præcipuum non corporis sanitatem, sed animæ gratiam ab Antiquis æstimatum fuisse.

IV. Ceterum quamobrem Sæculi XIII. homines vetustum Unctionis infirmorum Ordinem mutaverint, ex Britanniæ Conciliis utcumque conjecisse mihi videor. Quippe salsa hæc vulgi animos eo tempore invasit persuasio, non amplius post susceptam semel infirmorum Unctionem licere uxoratis, si convaluissent, reverti ad opus conjugale. Quæ superstitio ad alia erroris capita sensim prolapsa effecit, ut Unctioni Viaticum præmitteretur. *Ricardus* Episcopus Saresberiensis in Constitutionibus circa annum 1218. factis, ubi de Sacramento Extremæ Unctionis agit. (Tom. 2. Conc. Angl. p. 155.) *Dicant etiam*, inquit, *ac denuntient confidenter Sacerdotes, quod post susceptum hoc Sacramentum licitum est reverti ad opus conjugale*. Illud idem in Constitutionibus anonymi Episcopi sub annum 1237. (Ibid. p. 235.) repetitur. Eam vero persuasionem non modo non desiisse, sed accrevisse discimus ex Synodo Wigorniensi tribus post annis habita. Sic enim loquuntur Patres ad Capitulum de Extrema Unctione (Ibid. p. 247.): *Sunt autem quidam ut audivimus, qui post perceptionem hujusmodi Sacramenti pristinæ restituti, nefas reputant vel uxores suas cognoscere, vel carnes comedere, vel etiam aliqua ratione nudis pe-*

(*) *Riculfus* Suess. Episc. Constit. 10. Oportet, ut Presbyteri infirmos suos post confessionem, & reconciliationem oleo sancto perungant, & tunc eos communicent.

pedibus ambulare. Horum autem errorem utpote doctrinæ sanæ contrarium execramur, & eos comminationibus, & monitionibus duximus corrigendos. Et post pauca: *Quidam etiam abhorrent hoc percipere Sacramentum, quod hoc sibi vix* IN IPSO MORTIS ARTICULO *sustinent exhiberi: propter quod forsan accidit, quod ejus expertes plurimi ab hac luce subtrahuntur. Contra hunc igitur errorem, cum aliis eos per Sacerdotes suos, & Prædicatores alios crebris exhortationibus præcipimus præmuniri.* Gliscentem errorem non sustulit istud Concilium, ut apparet ex Synodo Exoniensi anno 1287. convocata, quæ conjecturam meam omnino confirmat his verbis. (Ibid. p. 357.) *Et quoniam quidam laici imperiti de hoc Sacramento nequiter sentientes, illud abhorrent, in tantum quod vix velint illud suscipere* ETIAM IN EXTREMIS, *fatue æstimantes, quod post ipsius susceptionem carnis esum, nudis pedibus incessum, copulam carnalem etiam cum uxore legitima sibi fore penitus interdicta; præcipimus Parochialibus Presbyteris, ut ubi noverint tantam hæresim pullulare, contrarium prædicent, &c.* Idemque denuo in Synodo Wintoniensi anno 1308. (Ibid. p. 448.) iteratur decretum: ut verisimile sit, ob ea vulgi deliramenta Unctionem infirmorum in mortis articulum reservari cœpisse, ac sensim usum in omnes Ecclesias fuisse propagatum.

V. Ad istam de Unctionis Sacramento observationem pertinet quæstio, an Oleum ad Unctionis Sacramentum consecratum illud ipsum fuerit, quod Sancti in curandis infirmitatibus sæpius cum in his Actis, tum in aliis adhibuisse leguntur. Non eodem ubique oleo curationes divinitus perpetratæ sunt. Oleum ex tumulis Sanctorum, seu ex lampadibus ad eorum corpora lucentibus acceptum, non raro usui fuit. In Vita *S. Aredii* Abbatis infra: *Aliam potius de Chrismario suo protulit ampullam, oleum quod de S.* Martini *Ecclesia tulerat continentem.* Et apud *Gregorium Turon.* de gl. Conf. cap. 9. Aredius *Presbyter ampullam olei de Sepulchro* S. Martini *abstulit. Venantius Fortunatus* Pictavorum Episcopus oculis inunctis ex oleo ad *S. Martini* effigiem *Ravennæ* lucente lumen desperatum, ut ipse in lib. 4. de Vita *S. Martini* fatetur, recuperavit. Etiam oleum in infirmorum curationem de improviso Sancti homines benedicebant. *S. Martinus* referente *Severo Sulpicio* (lib. 3. Dial. c. 3.) *pauxillum olei cum exorcismi præfatione benedixit, atque ita in os puellæ sanctificatum liquorem infudit.* Nec feminis Sanctis etiam id negatum. *Gregorius Turonensis* (de Vit. Pat. c. 19.) Episcop. scribit *Monegundem* a sodalibus rogatum oleum salemque pro infirmis benedixisse. Episcopi in via positi oleum benedictum secum deferebant. Sanctus *Germanus* (Vitæ n. 47. infra) Parisiorum Episcopus, ut Vitæ Scriptor *Fortunatus* habet, procedens *Namnetas Diaconum cum chrismariis suis* curando homini ægroto mittit. In Capitular. lib. 6. cap. 175. præscribitur, *Ut Presbyteri sine Sacro Chrismate oleoque benedicto, & salubri Christi Eucharistia alicubi non proficiscantur: sed ubicumque, vel fortuito requisiti fuerint, ad officium suum veniant parati reddendo debito.* Notanda verba *Severi Sulpicii* (loco cit.) *Non prætermittendum videtur*, Avitiani *Comitis uxorem misisse* Martino *oleum, quod ad diversas membrorum caussas, sicut est consuetudo, benediceretur.* Certe benedicebatur oleum *pro infirmis, sive pro populo*, ut constat ex *Menardi* nostris libris Sacrament. (p. 67.) Quid est autem *pro populo*, nisi pro usibus populi? inquit *Goar* (in Euch. p. 432.) Id omnino ex Vitæ *S. Cæsarii* Arelatensis Episc. lib. 2. n. 13. manifestum est. *Nam ad oleum benedicendum competentibus diebus in Baptisterio annis singulis veniebat. Et ingrediens cucumula, cum ad consignandos infantes sederet, parvuli illic pueri, vel puellæ a parentibus missi certatim currebant exhibentes vascula cum aqua, alii cum oleo, ut eis benediceret.* Verum *Carolo Magno* imperante Concilium Arelatense anno 813. decrevit can. 18. *Ut Presbyteri sub sigillo custodiant* Chrisma, *& nulli sub prætextu medicinæ, vel cujuslibet rei donare præsumant. Genus enim Sacramenti est, & non ab aliis nisi a Sacerdotibus contingi debet.* Idem in Conc. Moguntiacensi can. 27. definitum est. Utrobique Chrismatis nomine intelligendum Oleum infirmorum. Huc facit *Theodori* Cantuar. Episcopi Capitulare MS. *Romani*, inquit, *non velant viduam. Secundum Græcos Presbyteros licet Virginem sacro velamine consecrare, & reconciliare pœnitentem, & facere oleum*

L 2 exor-

exorcizatum, *&* INFIRMIS CHRISMA *si necesse est*. *Romanis autem non licet nisi Episcopo soli*. Hinc apparet, Innocentii Pontificis Romani sententiam in Epist. ad *Decentium Eugubinum* Episc. ubi *ægrotantes sacro Oleo Chrismatis perungi posse in sua necessitate*, non recte a *Novatore* detorqueri in Chrisma, quo baptizati Chrismabantur. Nam oleum exorcizatum, quod a Chrismate infirmorum distinguitur, in Sacramentorum (Menard. in Sacram. p. 142.) libris Rhemensi, & *Ratolbi* Abbatis Corbejensis oleum baptizandorum dicitur. De oleo satis.

JOHANNIS FILESACI

THEOLOGI PARISIENSIS.

Funus Vespertinum.

DISSERTATIO XXVIII.

INciderat aliquis in hunc *Senecæ* locum lib. de Tranquillitate animi; *Minus molestiarum habet funus tacitum*; & amissum parentem alterum, post solis occasum, & nocte crepera efferri, & sepeliri curat. Rogatus cur id faciat, sibi anxiam, & molestam exequiarum curam, ac sollicitudinem displicere dixit, sive quod doloris imitamenta magis quam verum, & sincerum dolorem ista omnia referre videantur, sive ut habet *Tacitus* lib. 3. Annal. *Domestica mala tristitia operienda esse*. Quemadmodum scripsit *Curtius* lib. 3. *eos optime miserias ferre qui abscondant*. Sibi Christiano hæc tanti non esse, ut populum isto apparatu ad spectaculum magis, quam ad orationem advocet. Nosse se Doctore B. *Augustino* Serm. 34. de verbis Apostoli, & libro de cura pro mortuis agenda cap. 3. longe pluris ea esse facienda quæ defunctorum Spiritibus juvandis in primis, ac potissimum conducant, ejusmodi sunt SS. Eucharistiæ Sacrificium, publicæ Ecclesiæ orationes, eleemosynæ, &c. Sed quanquam facti hujus ratio commemorata nonnullis probatur, verumtamen cum res ipsa a communi, & usitato Christianorum Catholicorum sepeliendorum ritu, ac consuetudine abhorrere videatur, nec mihi unquam, nec multis aliis placere potuit. Quæ de ea re ante annos non paucos in adversariis meis adnotaveram, nunc digerere operæ pretium duxi, non modo, ut quid ego sentirem constaret, verum etiam, ut exploratis, & excussis rationibus meis quilibet æquus rerum æstimator, utra sit sequenda sententia facile dijudicet. Communi omnium gentium, & populorum more atque instituto, non aliqua lege expresso, sed tantum usu recepto, defuncti terræ mandari, & sepeliri consueverunt, quemadmodum ornate differit *Dion Chrysostomus* Oratione 76. *Tacitus* eo sensu sepulturam *fortis humanæ commercium* appellavit, dum loquitur de iis, quos damnatos in carcere necari jussit *Tiberius* Imperator, ac prohibuit ne quis corpora damnatorum cremare, sepelire, vel attingere auderet. Ita lib. 5. Annal. *Interdixerat*, inquit, *fortis humanæ commercium, vi metus, quantumque sævitia glisceret, miseratio arcebatur*. Non audio *Mæcenatem*, cujus ea sententia.

> *Nec tumulum curo, sepelit natura relictos:*

Alte cinctum illud dixisse puto, & quidem ingenium grande, & virile habuit, sed illud idem luxu prodigioso, & incredibili discinxit, ut auctor est *Seneca*, Epistola 92. Molestissime populus Romanus, supra ceteras omnes, *Tiberii* ejusdem crudelitatem tulit, cum

cum *Drusi* veneno sublati, & Agrippinæ nurus ad mortem compulsæ, reliquias sepulchro inferri vetuerit, sed in terram defossas occultari, ut auctor est *Dio* lib. 58. Nec aliter sibi persuasit populus a *Tiberio* utrumque necatum, quam quod sepulturæ honore, illius imperio, uterque privatus fuerit. Ea est B. *Ambrosii* sententia, Epistola 27. qua *Valentiniano II.* Imperatori suam ad *Maximum* imperii usurpatorem legationem exponit, cum quo sanctissimus Episcopus in ceteris agebat, ut *Gratiani* Imperatoris, arte Maximi interfecti cadaver, Valentiniano fratri redderetur: quod & recusabat Maximus, nec propterea *Gratianum* a se jussum interfici affirmabat. Cui Beatus *Ambrosius*; *& quomodo allegabas, quod eum non mandaveras occidi, quem probibes sepeliri? Poterit igitur credi, quod ei non invideris vitam, cui etiam sepulturam invides?* Belluina certe nostris hominibus, id est Christianis, Gentilium immanitas semper visa est; cum quavis suppliciorum acerbitate necatos a se Christianos etiam sepultura omni ratione privari curarent. Pleni sunt harum querelarum veterum Christianorum libri, & historiæ, unum, aut alterum proferam locum. Tertullianus in Apologetico c.37. *Nec mortuis parcunt, Christianis, quin illos de requie sepulturæ, & de asylo quodam mortis, jam alios, jam nec totos avellant, dissecent, abstrabant.* Ita *Lactantius*, lib. 3. Divinarum Institutionum, cap. 11. *Et non tantum artus hominum dissipat* (immanitas) *sed & ossa ipsa comminuit, & in cineres furit, ne quis exstet sepulturæ locus, quasi vero id affectent qui Deum confitentur, ut ad eorum sepulchra veniatur, ac non ut ipsi ad Deum perveniant. Quænam illa feritas, quæ rabies, quæ insania est, lucem vivis, terram mortuis denegasse?* Beatus *Ambrosius* Epist. 31. qua respondet *Symmacho* P. V. Ubi tunc erat ista sententia, cum direptis omnium Christianorum facultatibus, ipsos vitales anhelitus spiritus inviderent, & nullis usquam negata defunctis inhiberent supremæ commercia sepulturæ? Quos gentiles præcipitarunt, maria reddiderunt. Graviter *Bachiarius*, Epistola ad *Januarium*, conqueritur Christianum hominem a gentilibus interfectum, a Christianis neglectum. *Ecce enim*, inquit, *contra communes inimicos processit Frater nobiscum in prælio, & subito prostratus casu, hunc vos nec sepulturæ dignum honore indicastis, sed reliquistis cum feris, & alitibus devorandum. Ubi est misericordia Christianæ Religionis, quam Magister noster sacrificio docuit esse meliorem?* Tertullianus Apologetici cap. 39. postquam docuit Christianos solere modicam stipem menstrua die, vel quam velint, & si modo possint, apponere, exponit quo pacto stipes illa collata dispensetur, primum quidem egenis alendis, humandisque. Sic Christiana miseratio pauperum sepulturæ prospexit: ac ditionibus sepeliendis quam liberales fuerint ostendit *Tertullianus*, cap. 42. Apolog. *Thura non emimus nisi Christianis sepeliendis. Sciant Sabaci pluris, & carioris suas merces Christianis profligari, quam Diis fumigandis.* Eo sensu *Tertullianus* ipse de resurrectione carnis, medicatam condimentis sepulturæ carnem dixit. Donatistarum hæreticorum furorem ejus generis in Christianos Catholicos extitisse testatur *Optatus* Milevitanus libro 6. *Quid referam etiam illam impietatem de vestra conjuratione venientem, quia ad hoc Basilicas invadere voluistis, ut vobis solis Cimiteria vindicetis, non permittentes sepeliri corpora Catholica, ut terreretis vivos, male tractatis & mortuos, negantes funeribus locum. Si inter viventes fuerat certamen, odia vestra, vel mors aliena compescat. Jam tacet cum quo paullo ante litigabas. Quid insultas funeri? quid impetis sepulturam? quid cum mortuis litigas? perdidisti malitiæ fructum.* Novatiano hæretico Cathedræ B. *Petri* hosti acerrimo multa objecta impietatis argumenta, pater extra domum projectus idemque fame mortuus nec sepultus, ut testatum reliquit B. *Cyprianus* Epist. 49. & *Pacianus* Barcinonensis Epist. 3. & certe schismatici hoc esse facinus docet B. Hieronymus, lib. adversus errores *Johannis* Hierosolym. *Ille scindit Ecclesiam, qui vivis habitaculum, mortuis sepulchrum negat, qui exsilia fratrum postulat, qui ossa Sanctorum, & innoxios cineres verberari ab imbribus sinit.* Veteres non tantum eam sepulturæ curam potissimum habuisse, verum etiam ne illa diutius differretur diligentissime cavisse ex *Homero* docet *Tertullianus* libro de anima cap. 33. *Tanto magis curam sepulturæ collocavit* Homerus, *quanto etiam moram ejus injuriosam animabus incusavit, simul & ne quis defunctum* do-

domi detinens, *ipse amplius cum illo maceretur enormitate solatii dolore nutriti: Ita querelas animæ insepultæ ad utrumque confixit*, *ut instantia funeris*, *& bonor corporum servetur*, *& mœror adfectuum temperetur*. Paullo post. *Titulus injuriæ cessatio est sepulturæ*. Aculeate B. *Ambrosius* lib. de Tobia cap. 1. *Si viventes operire nudos lex præcipit*, *quanto magis debemus operire defunctorum corpora?* Post. *Nihil hoc officio præstantius ei conferre*, *qui tibi jam non possit reddere*, *vindicare a volatilibus*, *vindicare a bestiis consortem naturæ feræ hanc humanitatem*, *defunctis corporibus detulisse produntur*, *homines denegabunt?* Atque sepulturam ipsam tanti olim fecere qui recta saperent, ut corpora defunctorum cremare nullo modo probarent, si *Tertulliano* credimus libro de anima cap. 29. postquam rejecit opinionem eorum, qui ajebant non modicum quid animæ subsidere in corpore, decessurum quandoque, & ipsum cum totam corporis scenam tempus aboleverit. *Nec ignibus funerandum ajunt*, *parcentes superfluo animæ*. *Alia est autem ratio pietatis istius*, *non reliquiis animæ adulatrix*, *sed crudelitatis etiam corporis nomine aversatrix*, *quod & ipsum homo non utique mereatur pœnali exitu impendi*. Varro, Cygno, Satyra, lepide istud. Heraclides Ponticus *plus sapit qui præcepit*, *ut comburerent* (corpus ipsius demortui) *quam* Democritus, *qui ut in melle servarent*, *quem si vulgus secutus esset*, *peream*, *si centum denariis calicem mulsi emere possimus*. Illum autem sepulturæ honorem omnibus cujuscumque ordinis hominibus communem esse debere, nec tenuiores illo fraudari ostendit *Cassiodorus* lib. 3. Epist. 19. cum *Theodorici* Regis mandato arcæ, quæ in Ravennati urbe ad recondenda funera distrahuntur, moderato pretio comparari possint. *Ne quibusdam veniant ad pretium dolores*, *& miserabili sorte votorum crescat mercantibus de humana morte compendium*, *ita tamen*, *ut non sit iniquitas sub hac occasione taxata*. *Ne cogantur miseri inter acerba luctuum*, *gravia plorare dispendia facultatum*, *& nefanda devotione constricti*, *aut urgeantur patrimonia pro mortuis prodere*, *aut dilecta corpora vilissimis foveis potius dolentes abjicere*. Neque vero humandorum corporum cura inter publicas postrema numerata est, nec ad minimum, & infimum magistratum spectavit. Testis mihi *Cassiodorus* lib. 6. cap. 8. in formula comitivæ privatarum, in qua ista sunt. *Defunctorum quin etiam sacram quietem æquabilia jura tuæ conscientiæ commiserunt*. Inter illustres autem, & summos quosque Magistratus Comes rerum privatarum recensetur. Innuit autem *Cassiodorus* Comitem illum de sepulchris violatis cognoscere, ne quis vestita marmoribus sepulcbra nudaret, ne quis columnarum decorem irreligiosa temeritate præsumeret, ne quis cineres alienos, aut longinquitate temporis, aut voraci flamma consumptos scelerata perscrutatione detegeret, aut corpus quod semel reliquerat molestias mundanas, humanas iterum pateretur insidias: *Nam etsi cadavera furta non sentiunt*, *ab omni pietate alienus esse dignoscitur*, *qui aliquid mortuis abregasse mo...tur*. Ex *Valentiniani* Novella, ista desumpta esse non dubium; sic enim Imperator, Tit. 5. de sepulchris. *Nimis barbara est*, *& vesana crudelitas munus extremum luce carentibus invidere*. *Et dirutis per inexpiabile crimen sepulchris monstrare cælo corporum reliquias humatorum*. Paullo ante. *Et licet occasus necessitatem mens divina non sentiat*, *amant tamen animæ sedem corporum relictorum*, *& nescio qua forte rationis occultæ*, *sepulchri honore lætantur*. Quam eleganter ista eo loco! *Scimus enim*, *nec vana fides est*, *solutas membris animas habere sensum*, *& in originem suam spiritum redire cælestem*: *hoc libris veteris sapientiæ*, *hoc religionis*, *quam veneramur*, *& colimus*, *declaratur arcanis*. Quod dixit Imperatoria lex de animabus sedem corporum relictorum diligentibus, forsan hoc est sententia vulgi, qui putabat animas defunctorum, circa corporum suorum reliquias oberrare, ut scribit *Lactantius* lib. 2. Divinarum Institutionum cap. 2. de sepulchris violatis, & quidem huic Imperatoriæ Sanctioni consentaneæ: ita graviter censuit B. *Gregorius* Nyssenus, Epistola ad S. *Letojum* Episcopum Mytilenes, cap. 7. ut si quis soli corporis in cinerem redacti reliquias patefecerit, ossaque moverit, quæstus alicujus captandi gratia, eamdem canonicam pœnitentiam subeat, quam is, qui simplicem admiserit fornicationem. Mirum alicui videri debet, quod hoc Canone prodit Episcopus hic sanctitate insignis, eum venia dignum vi-

videri, qui, juxta receptum morem, & consuetudinem intacto corpore sepulto lapides ex ipso asportarit sepulchro, ut exponit *Balsamo*, eo loci, quod cedat in Reipublicæ ornamentum, & utilitatem. Nam Cod. lib. 9. tit. 19. l. 5. quæ est *Juliani* A. quem nos Apostatam vocamus, ad populum, aliter censet: *Pergit audacia ad busta defunctorum, & aggeres consecratos, cum & lapidem hinc movere, & terram evertere, & cespitem evellere, proximum sacrilegio majores nostri semper habuerunt, sed & ornamenta quædam tricliniis, & porticibus auferre de sepulchris. Quibus primo consulentes, ne in piaculum incidat contaminata religio defunctorum, hoc fieri prohibemus, pœna sacrilegii cohibentes.* *Constantius* decessor *Juliani* eodem tit. lib. 4. ad populum, idem statuerat antea. *Qui sepulchra violant, domos, ut ita dixerim, defunctorum, geminum videntur facinus perpetrare: nam & sepultos spoliant destruendo, & vivos polluunt fabricando. Si quis igitur de sepulchro abstulerit saxa, vel marmora, vel columnas, aliamve quamcumque materiam, fabricandi gratia, supplicio afficiatur, quod sepulchrum violantibus videtur impositum. Cui etiam pœnæ subjacebunt, & qui corpora sepulta, aut reliquias contrectaverint.* Quæ igitur consuetudo prætexi potest, qua liceat impune sepulchra ipsa, si non diruere omnino, saltem aliquantum labefactare, & ex iis ornamenta asportare ad vivorum ædes exornandas? Quæ venia concedi potest ei, qui ejusmodi sepulchrorum lapidibus exportandi non minus sacrilegii reus est, quam si ipsas defunctorum reliquias adtrectaverit? At ut ex S. Epif. Can. liquet, veniam qui ista admiserit non aliter meretur, quam, quod totum istud cesserit in decus, & ornamentum publicum, cujus tamen nulla omnino exceptio in iis legibus expressa est, forte an. Pergo nihilominus, & contendo non modo communi quadam omnium gentium consuetudine sepulturæ honorem tributum fuisse defunctis. Et si *Dio Chrysostomus* Oratione 31. Impiis negatam esse sepulturam secundum leges veteres afferat; addo quod longe augustius, religionis nomine universum istud circa defunctos munus sive sepeliendi, sive parentandi, & justa faciendi, aut quid simile comprehensum fuisse. *Cicero* lib. 4. de Republica, fragmento, de Pontificio jure (Romanorum) sanctitudinem sepulturæ constitutam prodit. Eo spectat illud Codicis Theodosiani lib. 9. tit. 17. l. 2. qua *Constantius* Imperator sepulchrorum servandorum curam in urbe Roma ipsis Pontificibus mandat, Pontifices autem Gentilium intelligit. Ita *Gordianus* Imperator Cod. lib. 9. tit. 19. l. 1. quæcumque quovis pacto ad defunctos pertineant, res religioni destinatas, quin immo jam religioni effectas appellat, & qui in eas deliquerit in læsæ religionis crimen incidisse pronunciat. *Dioni Chrysostomo*, oratione Rhodiaca, quæ 31. circa defunctos perperam facta, impietates ἀσεβήματα vocantur. Græci non aliter universum hoc pietatis genus ὁσίαν vocant, sed hoc tritum, & egregius de ea re locus apud *Libanium* in Basilico. *Clemens* Alexandrinus, in exhortatorio ad gentes, Sepulchra olim ea religione culta fuisse prodit, ut in templa tandem aliquando conversa fuerint. Sepulchrorum sanctitatem in ipso solo positam esse dixit Orator princeps, Antoniana nona, at hominis demortui corpus locum, in quo situm sit sacrum facere in confesso est apud omnes, quod ipsis legibus est comprobatum. Impios milites esse vetus verborum, attamen sepulturam, & quæ sepeliendis adhibetur, pietatem non omnino neglexisse testis mihi *Vegetius* lib. 2. de re militari cap. 20. Postquam docuit in exercitu Romano, decem folles, hoc est decem saccos, quibus donativi dimidia pars condebatur per cohortes singulas constitui solere, ait additum fuisse saccum undecimum, in quem tota legio particulam aliquam conferebat, sepulturæ scilicet caussa, ut si quis ex contubernalibus defecisset de illo undecimo sacco ad sepulturam ipsius promeretur expensa. Nec ego pluribus commemorabo, quodnam pietatis genus inesse putarint Ethnici illi sepeliendis mortuis, & justis faciendis. Res Christianas persequi satius esse duco. Acute, ut solet omnia, S. *Augustinus* lib. de cura pro mortuis agenda cap. 2. respondet Paganis, qui Christum, aut nullius potentiæ fuisse dictitabant, quod barbarica, hoc est Gothica vastitate, & ea præcipue quam Roma perpessa est, sub *Alarico*, *Honorio* imperante, Christianis suis non subvenerit. Responsum a Christianis animas fidelium pro fidei suæ meritis, ab illo fuisse susceptas. Sed rursum illi; Cadavera Christia-

ſtianorum inſepulta jacuiſſe, ac ſi Chriſtus nullam omnino illorum curam geſſiſſet. Excipit B. *Auguſtinus*, primum in tanta ſtrage cadaverum Chriſtianos ſepeliri non potuiſſe, non vivorum culpa, qui id officiis ſuis defunctis præſtare non potuerint; deinde neque iſtud piam fidem nimium reformidaſſe, quandoquidem a Chriſto hoc longe ante prædictum fuiſſet, Matth.10. Luc.12. *Nolite timere eos qui occidunt corpus; animam autem non poſſunt occidere*. Præter ea Chriſtianos noſſe ipſius carnis membrorumque omnium reformationem non ſolum ex terra, verum etiam ex aliorum elementorum ſacratiſſimo ſinu, quo dilapſa cadavera receſſerint in temporis puncto reddendam, & redintegrandam promitti. Neque propterea contemnenda, & abjicienda eſſe corpora defunctorum, & maxime juſtorum, ac fidelium, quibus tanquam organis, & vaſis ad omnia bona opera ſanctus uſus eſt Spiritus. Rem vero iſtam plane religioſam pluribus demonſtrat cap.3. ejus libri idem B. *Auguſtinus*, atque antiquorum juſtorum funera officioſa pietate curata eſſe, & exequias celebratas, & ſepulturam proviſam. Quærit idem S. Epiſcopus cap. 10. quid ſibi illud velit, quod nonnulli, quibus inſepulta ſepultura contigiſſet, viventibus apparuerint, atque ubi eorum corpora jacerent inhumata, neſcientibus, locisque monſtratis admonuerint, ut ſibi ſepultura, quæ defuerat, præberetur. Idcirco hæc contigiſſe reſpondet, & utiliter id factum fuiſſe, ſive ad vivorum qualecumque ſolatium ad quos pertinent illi mortui, quorum apparent imagines ſomniantibus, quod angelicis operationibus fieri credendum, ſive ut his admonitionibus generi humano ſepulturæ commendetur humanitas. *Quæ licet defunctis non opituletur, culpanda tamen irreligioſitate negligitur*. Et quidem *Dio Chryſoſtomus*, oratione Rhodiaca, ſepulchrum non eſſe argumentum virtutis, ſed opulentiæ dixit. De hac religioſa funerandi ſollicitudine longam contexit diſſertationem *S. Paulinus* Epiſt. 35. ad *Pammachium*. *Ennodius* Ticinenſis, Dictione 19. *Communis eſt univerſis defunctorum reverentia, & circa Religionem ſorte ultima conditorum, dignam poſcit humanitas univerſa culturam*. Singulare ſemper Chriſtianorum hoc ſtudium extitit ſuos vita functos non minori pietate, & religione, quam honeſto apparatu ſepelire, ut Chriſtianorum infenſiſſimus *Julianus* ille Apoſtata, Imperator, Epiſtola ſcripta ad *Arſacium*, quam refert *Sozomenus* lib. 5. hiſtoriæ Eccleſiaſticæ cap. 15. Quod antequam fuſius explicem S. *Auguſtini* regulam primum teneamus, Tract. 120. in *Joannem*. *In exequiis celebrandis uniuſcujuſque gentis morem ſervandum eſſe*. Communis certe univerſæ Eccleſiæ æque vetus conſuetudo fuit, defunctos fideles nonniſi adhibitis precibus, & pſalmis ſepulturæ tradere, quod antea aliis obſervatum, addam nihilominus unum, aut alterum locum: *Evodius* S. *Auguſtino* amantiſſimus, Epiſt. 258. inter *Auguſtini* ejuſdem Epiſtolas, in Africa, quis funeris ritus exiſteret oſtendit, loquens de puero quodam notario ipſius *Evodii mortuo: Solutus eſt ergo*, inquit, *exequias præbuimus ſatis honorabiles, & dignas tantæ animæ, nam per triduum hymnis Deum collaudavimus ſuper ſepulchrum ipſius, & redemptionis ſacramenta tertio die obtulimus*. In Oriente S. *Paulæ* funus tam eleganter a B. *Hieronymo* in Epitaphio *Paulæ* deſcriptum id ſatis comprobat. S. *Chryſoſtomus* de SS. *Bernice*, & *Proſdoce* virginibus, ac matre earum, ejuſdem ſententiæ eſt. S. *Ambroſius* lib. de viduis, viduæ continentis argumenta iſta commemorat. *Ipſe lugubris habitus, pompa funebris, fletus aſſiduus, & mœſtæ fronti inarantibus rugis impreſſa triſtitia, petulantium premit oculos, reſtringit libidines, procaces avertit aſpectus*. Non ego commemoro quid *Juſtinianus* ad ipſarum exequiarum exiſtimationem, & honorem ſupremum defunctis exhibendum ſtatuerit, cum illas Principali ſumptu veluti de publico fieri voluerit. Extant de ea re Novellæ, & ea præſertim quæ eſt 59. & apud Julianum anteceſſorem 53. eaque longe clarior, & apertior quam quæ in ipſis Authenticis. Eſt autem ejuſmodi; hæc conſtitutio loquitur de impenſis, quæ in funeribus mortuorum fiunt; & ante omnia mille centum ergaſteria in Conſtantinopolitana civitate immunitatem habere juſſit, ut funera ducant. Sed & reditum funeribus deſtinatum a Divæ memoriæ *Anaſtaſio* Imperatore confirmavit, & funeribus deputavit, & dedit ſingulis cadaveribus, ſive legibus lectis mortuorum, unum aſciterium, id eſt octo ſanctimoniales pſallentes, & tres acholythos, ut neque ſanctimoniales, neque acholythi omni-

omnino aliquid accipiant ab his, qui funerari mortuum desiderant, sed gratis eum deducant. Si autem cognati, vel amici defuncti alterum unum asceterium, vel etiam duo adhibere velint, necesse est eos aliquid præstare, non tamen immodicum, sed hujus legis definitione moderatum. Postea. Unum autem asceterium, quod ex necessitate ante cadaver psallit, & acholythi ejus, nihil omnino accipiant, sed faciant ministerium gratis. Sin autem aliquis velit unum ex maximis lectis accipere ad honorem defuncti, vel si deauratum lectum adhibuerit, tunc tantum præstet asceteriis, & decanis quantum pepigerit, ita tamen, ut duodecim aureorum quantitatem non excedat. Græce, & Latine Ecclesiarum consensum in illo exequiarum ritu indicat *Joannes* Episcopus Citri, in Responsis ad *Constantium* Cabasilam, Dyrrachii Archiepiscopum lib. 5. Juris Græco-Romani, seu lib. 1. Responsorum. Est autem interrogatio ejusmodi. An liceat Græcos Romæos in Latinorum Ecclesiis sepelire, & vicissim Latinos in Græcorum Ecclesiis communi quodam psallentium choro ex utrisque conflato: Respondet Episcopus id fieri citra noxam posse, nec Latinorum psalmodiam, in funere fidelium defunctorum usitatam, aliquid Ethnici, vel superstitiosi sapere, sed ex divinis Scripturis desumptam. Mirum cuipiam videbitur mulieres psallentes in exequiis cernere; non Græcorum modo, verum etiam majorum nostrorum Francorum is mos fuit, de quo Capitularium lib. 6. cap. 194. *Admoneantur fideles, ut ad suos mortuos non agant ea, quæ de paganorum ritu remanserunt, sed unusquisque devota mente, & cum compunctione cordis pro ejus anima Dei misericordiam imploret. Et quando eos ad sepulturam portaverint, illum ululatum excelsum non faciant, sed sicut superius diximus devota mente, & cum compunctione cordis, in quantum sensum habuerint pro ejus anima implorare Dei misericordiam faciant: Et illi qui psalmos non tenent, excelsa voce Kyrie eleison, Christe eleison, viris inchoantibus, mulieribusque respondentibus, alta voce canere studeant pro ejus anima. Et super eorum tumulos nec manducare, nec bibere præsumant. Quod si fecerint, Canonicam sententiam accipiant*. Superstitiosum hunc Paganorum ritum non modo in Africa, ut testis est B. *Augustinus* non uno loco, verum etiam toto Occidente, cum ceteris ejus generis, præsertim circa defunctos usitatum fuisse apparet. De adjunctis ita Concilium Arelatense III., saltem nonnulli codices ista adscribunt huic Concilio. *Laici, qui excubias funeris observant cum timore, & terrore, & reverentia hoc faciant. Nullus ibi diabolica carmina præsumat cantare, nec joca, nec saltationes facere, quæ Pagani docente Diabolo adinvenerunt. Quis enim nesciat diabolicum esse, & non solum a religione Christiana alienum, sed etiam humanæ naturæ esse contrarium ibi lætari, cantare, inebriari, & cachinnis ora dissolvi, & omni pietate, & affectu charitatis postposito, quasi de fraterna morte exultare, ubi luctus, & planctus flebilibus vocibus debuerit resonare, pro amissione chari fratris*. Post ea. *Si quis autem cantare desiderat, Kyrie eleison cantet*. Certe *Joannes* Clymacus, gradu septimo, graviter eos reprehendit, qui dum funeri defunctorum vacant, in demortui gratiam acerrime, ac æstuose absorbent, vinoque se ingurgitant: Ethnicismum istud sapit, *Tertulliano* teste, lib. de testimon. animæ. *Si quando extra portam cum obsoniis, & matteis, tibi potius parentans ad busta recedis, aut a bustis dilutior redis*. Græcorum, & Latinorum consentiens ritus satis aperte nobis ob oculos ponit non post vesperum, non intempesta nocte, sed mero die celebratas fidelium vita functorum exequias, quin loca varia, & diversa sepulturæ dicata, quorum meminit Novella 59. magis istud comprobare videntur. Etiam apud gentiles discreta fuisse loca hujusmodi satis notum, & aliis adnotatum. *Dio Chrysostomus* orat. 31. Rhodiaca liberos homines, & ingenuos non ubivis sepultos fuisse indicat, ac ne in sordidis quidem locis, quæ magis servorum humandorum caussa designata esse videantur. Apud Judæos, Nobilibus, Potentioribus, Ditioribus sepeliendis, alius erat adsignatus locus, quam qui tenuioribus, & humilioribus, sic enim ita scribit B. *Hieronymus* de locis Hebraicis sectione de Actis Apostolorum, si modo sectio ista sit B. *Hieronymi*: Aceldama, *ager sanguinis, qui hodie quoque demonstratur in* Ælia, *hæc est* Hierusalem *ad australem plagam montis* Sion, *& hactenus, juxta Judæorum consilium, mortuos ignobiles alios terra tegit* (sic lego, non tetigit, ut in ex-

excusis) *alios sub dio putrefacit*. Ita Christiani veteres, quamvis alia mente, a sepulchris gentilium sua sejuncta esse voluerunt. Quanquam primis Ecclesiæ nascentis temporibus cum Christiani omnes Judæorum nomine comprehenderentur, si qui ob fidem Christi interfecti essent, superstitum pietate in Judæorum Cœmeteriis sepeliebantur, ut colligere licet ex B. *Ambrosio* in exhortatione ad Virgines. Quin etiam exequiarum apud Gentiles discrimen aliquod exstitisse inter eos constat, & unum proferam *Tacitum* lib. 16. Annalium. *Detur hoc illustrium virorum posteritati, ut quomodo exequiis a promiscua sepultura separantur, ita in traditione supremorum accipiant habeantque propriam memoriam*. Quanti interesse putamus ad defuncti, & familiæ gentisque famam, & existimationem claro die efferri potius, quam illuni nocte, nec minimo itinere ad sepulchrum familiare, & gentilium, ut & spatio, non urgeo nunc; posthac videbitur. Quin addo ad funeris celebritatem defunctos nonnisi splendidioribus vestibus indutos ad sepulturam deferri solitos. Græcis, & Latinis veteribus istud usitatum, ut ornatiores, ut comptiores efferrentur, de qua re consulendi qui de funeribus scripserunt. Taceo principes viros, in ceteris id usu receptum fuisse apud nostros Francos passim videre est in *Gregorii* Turonensis historia Francorum, ac meminit S. *Basilius* hom. 7. quæ est in divites avaros, ad finem. Defunctorum ornato vestitu in funere publico efferendorum, ut morem non improbo, ita nec valde laudavero, quod vultus, & oris ille decor non modo in ipsius animæ discessu valde labefactetur, verum etiam nonnunquam ita evanescat, ut truculenta facies, & horrorem incutiens sæpius succedat, sive ex ipsius morbi malignitate, seu quia mors acerba, & præpropera, seu vi illata, aut naufragio contingens, quæ est veterum omnium consensu, crudelissima, seu occulto Dei judicio, ex Dæmonum, in ipso exitu apparentium, immani, & horrendo conspectu. Nam illos refugas Angelos morientibus apparere, id certissimum, & verissimum est. S. *Nilus* ad Agathium istud explicat, ubi Dæmones morientibus anteactæ vitæ flagitia exprobrantes inducit apud *Anastasium*, seu Nicænum, seu Antiochenum libro Quæstionum, & Responsionum cap. 23. veteris editionis, nam in nupera editione Græco-Latina locus hic Sancti *Nili* citatur cap. 21. quod alioquin cum illo veteris editionis congruit. *Tertullianus* lib. de Anima cap. 30. *Proculdubio* (anima) *cum vi mortis exprimitur de concretione carnis, de somno emergens, ab imaginibus ad veritates, tunc enunciat, & videt, tunc exultat, aut trepidat, prout paraturam deversorii sui sentit, de ipsius statim Angeli facit evocatoris animarum*, Mercurii *Poetarum*. Ambiguus hic evocator, quanquam si benignus, & propitius videatur, exemplo illustrare licebit, quod exstat apud B. *Cyprianum* lib. de mortalitate. *Sacerdos quidam Carthaginiensis de appropinquante morte sollicitus, dum commeatum sibi precaretur, adstitit deprecanti, & jam pene morienti, Juvenis honore, & majestate venerabilis, statu celsus, & clarus aspectu, & quem assistentem sibi vix posset humanus aspectus oculis carnalibus intueri, nisi quod talem videre jam poterat de sæculo recessurus*. Cetera quanquam ad institutam disputationem, faciant, quia tamen scitu utilissima videntur subjiciam. *Atque ille Juvenis* (specie) *non sine quadam animi, & vocis indignatione infremuit, & dixit, Pati timetis, exire non vultis, quid faciam vobis?* Sed jam propius institutam disputationem, & quam longe nocturnæ illæ exequiæ a justitiæ, quæ defunctis debetur lege dissideant, & discrepent, videamus. Vita functos hunc sibi ab agnatis, & affinibus, amicis denique, postremum honorem merito postulare veteres censuerunt, ut initio docuimus, ac certe sepulturam *Ammianus supremitatem honoris* idcirco appellavit. Quandoquidem officii ratio erga mortuos id a nobis expostulet, non modo officio defuisse videbimur, si noctu id est clanculum, id præstemus. Quis oro, sepulturæ honos, aut parentaliorum sanctitas, ut majores dixisse ostendimus, in densis illis tenebris deprehendi potest, ubi rari testes, & nonnunquam inviti reperiantur. Quæ religio, quæ sanctitas, dum calentia cadavera, etiam parentum illico sub noctem efferuntur, quasi propriis, & tamdiu possessis ædibus exturbantur? Et vereor cum ne rantillum quidem temporis ad curandam pro dignitate defuncti sepulturam honorificam concedatur, ne quem res ista tangat eum votum captandæ mortis habuisse aliquis suspicetur. Et quos clancula-

riæ

riæ sepulturæ mandamus hos veluti luce indignos fuisse, ac proinde sempiterna oblivione dignos significamus. Ecquid pudet hujus curationis, ac pietatis? Ita certe dum nos ab ea nescio qua dissimulatione officii abhorrere videmur, parum pie, & Christiane nos de animæ immortalitate, de altera vita, & futuro sæculo cogitare dicemur. Melius sensere prophani illi, quibus propinqui, affines, amici, demortui non amissi, sed præmissi dicebantur. *Seneca* Epist. 63. *Quem putamus periisse, præmissus est:* & lib. de consolatione ad *Polybium*, *quid fata deflemus? non reliquit ille nos, sed antecessit*. Item consolatione ad *Marciam* cap. 19. Dimisimus istos (mortuos) immo consecuturi præmisimus. Mitto reliquos id genus scriptores. Nostri non aliter, ac meliori quidem vaticinio, S. *Gregorius* Nazianzenus oratione in funere Patris, ὡς ἂν εἴδοιεν ἄνθρωποι ἀνθρώπους προπέμποντας, homines illud intelligant homines a se præmitti. S. *Ambrosius* Epist. 59. de vita functo loquens, *abiit, non obiit*: S. *Hieronymus* Epistola ad *Salvinam*, *Nebridius*, *Salvinæ* maritus, *profectus*, *non amissus*. S. *Augustinus* Epist. 6. quosdam nostros migrantes *non amisimus, sed præmisimus*. Ante hos omnes B. *Cyprianus*, lib. de mortalitate scribit se contestatum assidue, & publice prædicasse, fratres nostros non esse lugendos, accersitione Dominica de sæculo liberatos, *cum sciamus non eos amitti, sed præmitti, recedentes præcedere, ut proficiscentes, ut navigantes solent*. *Tertullianus* lib. de testimonio animæ, *abiit jam, & reverti debet*. Vulgare dictum est. Illud certe funeris ipsius ordo, & dispositio palam demonstrat, cum defuncti corpus prælatum cognati, affines, amici prosequuntur. Qui noctu id afferunt, quanquam istud præstent cum non luce clara id efficiunt, ut defunctos præmissos, se vero aliquando secuturos declarent: an ne putant se ad immortalitatem natos? & certe illud observatione dignissimum, quod scripsit B. *Chrysostomus*, oratione de fide, & lege naturæ, ante uniuscujusque civitatis, & oppidi ingressum prostare defunctorum sepulchra, ut cogitemus cujusque loci incolas, licet opibus, gloria, honoribus, rerum denique omnium copia abundantes, iis veluti terminis esse circumscriptos, & illis, qui in ejusmodi conditoriis siti sunt, persimiles aliquando futuros; verum cum etiam hoc tempore plerique habeant, aut gentilitia, aut monumenta, iis suos vita functos, inferre nocturno tempore quid juvat? Putantne ignotum sepulturæ locum fore, de illis dico, qui fortunæ ludibrio, aut mammonæ iniquitate ad summa pervenerunt, nec generis sui auctores agnosci cupiant, ipsaque gentilitia sepulchra vili aliquo cespite in perpetuum obtecta desiderent? Non dicam spectra, & umbras ipsis inhabitantes sepulchris, satis aperte illa indicare, ut prodit S. *Gregorius* Nyssenus lib. de anima, & resurrectione. Audio exceptiones, istud insignis cujusdam humilitatis Christianæ gratia fieri, quam non aliter qui ista curant, apud omnes profitentur, ut honoris cujusque, & gloriæ mundialis calcato fastu, non jam quid plebecula acclamet, sed quantum misericordiæ apud summum Judicem ipsi consecuturi sint serio cogitent. Exclamant cum *Seneca*, Epistola 91. *Discede ambitio, omnium quæ terram premunt, sirempts lex esto*: Prolixas exequias, & earum longum agmen, superstitum tantisper lenire dolorem, animæ nihil prodesse, sumptus hos tam immensos, legibus frustra repressos, tam male collocatos, eleemosynis cujuscumque generis pro animæ salute potius addicendos. Quod dum alio die fiat non videri nocturnam illam sepulturam reprehensione dignam. Adde quod sepeliendis defunctis nullum apud veteres Christianos definitum tempus intelligit; Demetrii Phalerei lege apud Athenienses ante solis ortum mortui deferebantur, ut testatur orator 2. de legibus. Romanis non unum simplexque sepeliendi tempus. Vespillones enim, quibus humandorum corporum cura commissa erat, a vespera dicti quoniam sub nocte tenuiorum, & pauperum sepulturam procurabant, at divitum, & potentiorum mero die propter pompam funeris. Quod Lex Menia aperte demonstrat, qua cautum refert *Varro*, Geminis apud *Nonium*. Huic loco satis obscuro adlucebit Plinius lib. 11. histor. Natural. cap. 37. *Morientibus oculos operire, rursusque in rogo patefacere, Quiritum magno ritu sacrum est, ita more conditum, ut neque ab homine supremum eos spectari fas sit, & cælo non ostendi nefas*. Mero die festa fieri ex ipsius legis, & Plinii interpretis verbis satis perspici potest, & Plinius Junior Epistola 1. lib. 2. loquens de Virginii

Ruffi maximi, & clarissimi civis publico funere, quod insigne, atque etiam memorabile Populi Romani oculis spectaculum exhibuit, cujus exequiæ magnum ornamentum Principi, magnum sæculo, magnum etiam foro, & Rostris attulerunt. Sed Chtistianam explicemus disciplinam. Credo post Christianæ fidei, & Religionis, *Constantio* Imperatore, res stabilitas, nonnisi mero die ipsas Christianorum exequias, ubi commode accidit, celebratas fuisse. Nec quis S. *Ambrosii* locum opponat, lib. de viduis, ubi de vidua alteras post mariti decessum repetente nuptias disserit. Viduam duplicem constituit ejus generis, unam quæ prolem ex priore marito susceperit, & salvam habeat, alteram quæ liberos susceperit, & perdiderit. Priorem sic compellat: *Tibi quid consilii tribuam quæ liberos habes? quæ tibi caussa nubendi, nisi forte levitatis error, & intemperantiæ usus, & saucii cogit pectoris conscientia*. Posteriorem sic dehortatur. *Nonne iterum passura quod repetit, & ad ipsorum votorum tumulos exceptarum orbitarum imagines, lamentorum strepitus perhorrescit? Vel cum accensis funalibus nox ducitur, nonne pompæ funebris exequias magis putat quam thalamum præparari?* Non vult B. *Ambrosius*, eo loci, ad noctem exequias celebrari, sed ritum nuptiarum cum ritu funeris componit. Ut in nuptiis, ita in funere tædæ, & faces usitatæ: hinc illud de matrimonio recens inunctis:

Vivite felices inter utramque facem.

Sub noctem accensis facibus nova nupta in domum mariti deducebatur, si Varroni credimus, in Ætiis. *Antea*, inquit, *sive olim nonnisi per noctem nubentes ducebantur a sponsis;* ait itaque ipso nuptiarum die funalia illa accensa non minus exequiarum ritum præseferre, quam nuptialem deductionem, non quod tempus tempori respondere contendat. Quin potius Christianos clara luce suos olim defunctos sepulturæ mandasse, in gratiis testatur *Julianus* Imperator, Apostata nostris dictus, quod mirum *Theodosium* Imperatorem valde pium, & orthodoxum in suum Codicem retulisse, sic autem loquitur Cod. Theod, lib. 9. tit. 17. l. 5. vocatque impius parabata, secundum facinus, quod in defunctos admittatur. *Secundum*, inquit, *illud est quod efferri cognovimus cadavera mortuorum per confertam populi frequentiam, & per maximam insistentium densitatem, quod quidem oculos hominum infaustis incestas aspectibus. Qui enim dies est bene auspicatus a funere? aut quomodo ad Deos, & templa venietur? ideoque quoniam, & dolor in exequiis secretum amat, & diem functis nil interesse, utrum per noctes, an per dies efferantur, liberari convenit populi totius aspectus, ut dolor esse in funeribus, non pompa exequiarum, nec ostentatio videatur*. In Christianos hanc legem scriptam esse facile evincam; lata est Antiochiæ, quæ urbs omnium totius Orientis urbium fide in Christum illustris erat, & Theopolis idcirco cognominata, nec non Christianis civibus abundabat, immo in Misopogone, fatetur impius ille, totum populum Antiochenum impietatis sectam (sic scelestus Christianam religionem perstringit) sectari, cujus civitatis Christum fuisse πολιοῦχον veluti numen tutelare ab ipsis civibus habitum, & vehementer dilectum prodit, hinc odium impuri Apostatæ in Antiochenos, & vicissim Antiochenorum in illum, & vulgo ipsorum jactatæ voces, *Julianum* indixisse bellum cui, idest Christo. Sic enim antea refert Antiochenos dicere solitos Chi, & Cappa Antiochiæ nil nocuisse, & ex interprete se didicisse notas illas nihil aliud significare, quam Christum, & Constantium. Dolebat levissimus transfuga Christianos defunctos mero die, longo exequiarum agmine, maximo psallentium concentu, ad sepulchrum deduci. Sic enim priscis Ecclesiæ temporibus factitatum fuisse, nec prius vita functos Christianos sepulturæ traditos, quin sacrosanctum Missæ Sacrificium pro eorum requie ageretur, quemadmodum ex capite ultimo Hierarchiæ Ecclesiasticæ B. *Dionysii* colligere licet. Et quidem apud Græcos mos iste perduravit: cum enim *Balsamo* in Canonem 4. Apostolorum scribit κανονικα capsas omni genere fructuum otnatas ad altare offerri in memoriis Sanctorum, & mortuorum, nonnisi inter Liturgiæ, & Missæ officia id præstari verisimile est. Nam memorias Sanctorum hoc loco interpreto festos dies in memoriam Sanctorum decretos, quod ex Concilii Laodiceni Canone 51. & *Balsamone* ad hunc locum firmare licet. Eodem pacto mottuorum memoriæ non aliæ erunt censendæ, quam liturgicum

istud,

istud, & publicum ministerium defuncto alicui, cum sepeliendus est, exhibitum. Sed apertissime id explicat idem *Balsamo*, in Canonem 106. Concilii Carthaginiens. Græca collectione in Synodo, inquit, huius Reginæ urbium (Constantinopoleos) diversa fuerunt edicta, significantia eos Sacrorum celebrandorum suspensioni esse obnoxios Antistites, qui in Nobilium, & Procerum defunctorum memoriis sacrificant, & dicunt laudatorias preces cum jam bis, vel etiam soluta oratione. Similiter & Synodali edicto excommunicati sunt lectores, qui in iisdem memoriis musica, & organica cantica cantillant, & pro Epitaphio Epithalamium celebrant. Atque ii recte segregati sunt. Qui autem per pia Cantica naturæ vim non afferentia, & allelujaria, artificiosam vocis dulcedinem præseferentia hæc faciunt injuria segregantur. Non enim luctuose, sed festive, ac panegyrice memorias hodie celebramus, Deo gratias agentes cui placuit, ut is qui defunctus est cum fide orthodoxa migraret, & qui efficere dignatus sit, ut aperte, & cum omni libertate defunctos nostros sepeliamus, & non, ut antea, in angulis abjiciamus tum cum hæretici vigerent, & res Catholicorum abjectæ, & afflictæ. Ideo suffitibus, & lampadibus, & magnificis congregationibus defunctum excipimus, ut qui sit per Baptismum sanctificatus. Concludit. Nota præsentem Canonem propter Antistites, qui dicunt insuetas precationes in memoriis, & de alleluiariis, qui cantant super mortuos. Interim observa non tantum apud Græcos in exequiis defunctorum *Alleluja* decantari, quod & in eodem Horologio memoratur; verum etiam apud Latinos, & quidem Romæ teste B. *Hieronymo* Epist. 30. ad Oceanum, ubi de funere *Fabiolæ* agit. In Ecclesia Latina jam a multis sæculis, non alio ritu, quam præmissa Sacra Liturgia Christianos mortuos sepulturæ traditos, ubi opportune id liceret, nimis quam verum est. *Tertullianus* ita sentire videtur lib. de anima, cum scribit feminam quamdam, *Morante sepultura, interim oratione Presbyteri fuisse compositam*. Quamquam generali notione orationis nomine preces quæcumque intelligi possunt, at Sacrificii liturgici actio excellentiori significato *Oratio* nuncupatur; hinc Tertullianus ipse, lib. de oratione *Sacrificiorum Orationes*, dixit, & lib. ad *Scapulam*, scribit Christianos sacrificare Deo pura prece. Istud explicare *Tertulliano* nefas fuit, ne præcipuum Christianæ Religionis Mysterium infidelibus proderet. Et quid sibi vult cum ait: *Viduam pro anima defuncti mariti curare debere offerri annuis diebus dormitionis ejus?* annuo multo magis ipso die dormitionis, & proinde sepulturæ? Sic lib. de Monogamia, & in exhortatione ad castitatem B. *Cyprianus*, Epist. 66. dum vetat pro Clerico ad tutelam nominato offerri, & Sacrificium pro dormitione ejus celebrari, quid aliud ostendit nisi adhibito Sacrosancto Missæ Sacrificio, sepulturam ipsius perfici? Quamquam non negem utrumque distincto tempore peragi potuisse. Quod si quis pervicax id sibi apertius probari postulet, testes habeat fidei plenissimos, S. Hieronymum in Comite, seu Lectionario apud quem *Agendam* (sic veteres Missam nominarunt) pro mortuis reperiet, S. *Ambrosium*, in cujus Missali legere est Præfationem peculiarem die obitus alicujus demortui in Missa recitandam, B. *Gregorium* in Libro Sacramentorum, ac postea *Alcuinum Caroli* Magni Præceptorem, apud quos hæc tam nota sunt, quam cuique sua domus. Pergo & illud quod longe gravissimum videtur urgeo, cum apud nos tenebriores hæretici, adeo tenebris delectentur, ut etiam mortuos suos, utpote tenebris exterioribus, in quibus est fletus, & stridor dentium in perpetuum addicendos, non nisi post compositum diem nocte advertante humari curent. At quibus ullo fidei, & religionis commercio, vivis non communicavimus, quid mortuos æmulamur? Et vere apte *Tertullianus* Apolog. cap. 22. *Nec fas est ulli de sua religione mentiri: verendum est ne nocturnæ sepulturæ, vel in fide, & religione Christiana Catholica dissimulationem aliquam arguant, vel imitamentum hæretici ritus sepeliendi præseferant*. Quod de Ethnicis *Tertullianus* lib. de Idololatria, idem de hæreticis, & merito quidem usurpare possumus. *Licet convivere cum hæreticis, commori non licet, convivamus cum omnibus, collætemur ex communione naturæ, non superstitionis. Pares anima simus non disciplina, compossessores mundi non erroris*. At quis ille convictus & communis vitæ societas? B. *Hieronymo*, Dial. 2. contra Pelagianos, *Nulla major inimicitia*, quam amicitias necessitate so-

sociare. Commori vero quod dixit *Tertullianus*, quid aliud indicat, quam vel ipso vitæ exitu eumdem profiteri Dei cultum notionemque, parique sepulturæ ritu efferri? Carpunt hæretici nostram sepeliendi formam, & modum: quem igitur Christianum Catholicum pudeat usitata priscis, & Majoribus nostris sepultura donari? Scite *Tertullianus* lib. cit. *Benedictio est nominis, maledictio custoditæ disciplinæ*. Quibus itaque Ecclesiæ Christi Catholicæ morigeris, & obsequentibus filiis lux inaccessa, & æternum splendens promissa est, & vivi, & mortui se lucem semper adamasse testentur, & a Deo, ut maximo, ita optimo veri, & sinceri filii lucis excipiantur Ephes. 5. *Tertullianus* hunc locum sic expressit, lib. adversus Praxeam. *Nam lucere in mundo Christianos oportebat, ut filios lucis, lumen mundi unum, & Deum, & Dominum colentes, & nominantes*.

P. D. JOHANNIS MABILLONII
MONACHI BENEDICTINI

De Ritu humandi Sacerdotes veteri & novo. Epistola, seu

DISSERTATIO XXIX.

I. Pene exciderat quæstio, quam mihi absolvendam proposuisti, charissime *Theophile*, nempe de Ritu sepeliendi Sacerdotes, haud ubique nunc uniformi, dum conversis aliis ad orientem, alii ad occidentem capitibus, eorum cadavera in tumulis componunt. Uter modus sit antiquior, rogas; uter præferendus. Ut paucis hanc quæstionem absolvam, inspice vetera Episcoporum in Cathedralibus, & Abbatum in monasticis Ecclesiis monumenta; & vide an vel unum conversum ad orientem caput exhibeat ante nostrum, aut forte patrum nostrorum sæculum. Brevis hæc probatio, nec quæsitu difficilis, sed tamen certa, & indubitata ad demonstrandam hujusce ritus antiquitatem. Atqui in ejusmodi rebus præferendum videtur, id quod universim bona probat antiquitas, etiamsi institutionis rationem forte ignoremus. Recte ad propositum in consimili argumento *Joannes* Diaconus in Epistola ad *Senarium* virum illustrem: *Illud firma mente teneo, quod non a majoribus tradita custodiret Ecclesia, nisi certa sui ratio poposcisset: nec ea possumus dicere inania videri, ac frivola, quia eorum minime rationem accepimus*.

II. Verum non deest ratio, quæ veterum illum morem probet. Vis scire qualem? Nimirum ea quæ petitur ab exemplo Christi Domini, quem capite ad occidentem, pedibus ad orientem conversis, sepultum fuisse tradunt veteres, probantque ex descriptione illius monumenti. Audi quid insuper hac re scribat *Haimo* Episcopus Halberstedensis, vir inter sæculi IX. haud incelebris, in homilia pro die sancto Paschæ. Is, descripta ex antiquorum relatu spelunca, in qua Christi sepulchrum excisum erat, hæc subdit. *Ostium vero speluncæ patulum est ad orientem. Unde introeuntibus locus Dominici corporis in dextris habetur: quia Dominicum corpus ita in monumento jacuit*, UT CAPUT ILLIUS AD OCCIDENTEM, ET PEDES AD ORIENTEM RESPICERENT: *dextra quoque manus ad meridiem, sinistra ad Aquilonem*. Nihil clarius, ac luculentius ad demonstrandum Christi exemplum; nihil efficacius ad veterem illum ritum asserendum. Idem porro colligere licet ex descriptione Christi monumenti, quam exhibet *Adamnanus* in lib. 1. de Locis Sanctis, & post eum Vener. *Beda* ex relata *Arculfi* Episcopi Gallicani, qui hæc ante annos fere mille & centum oculis contemplatus fuerat. Hinc facile intelligas, veterem illum sepeliendi ritum ab exemplo Christi Domini petitum fuisse. Nec dubita, asserente idipsum *Haimone* mox laudato. *Ex quo tempore*, inquit, *consuetudo excrevit, Christianorum corpora ad hanc similitudinem sepeliri*. Idem attestatur prædictus *Adamnanus*

nus in lib. 2. de Locis Sanctis, ubi observat Patriarchas veteris testamenti alio modo sepultos fuisse: *quorum plantæ*, inquit, *non* SICUT IN ALIIS ORBIS REGIONIBUS AD ORIENTEM HUMATORUM CONVERTI MORIS EST, *sed ad meridiem versæ*, & *capita contra septentrionalem plagam conversa*. Itaque ante annos mille, & centum jam mos obtinebat, teste post *Arculfum Adamnano*, ut plantæ humatorum, nullo discrimine ad orientem converterentur. Cur ergo Sacerdotes ab hac consuetudine recedant, quæ Christi Domini exemplo firmata est? At Sacerdotes sunt, & in benedicentium more compositi; ideoque conversi in tumulis ad populum, quasi benedictionem impertituri. Verum cessant in sepultis hæc Sacerdotum prærogativæ, unaque sors omnium mortalium in sepulchris. Quidni ergo prævaleant novitiis illis ritibus antiquitas, in omnibus olim uniformis? Quidni Sacerdotes, ut ceteri homines, exemplum Christi sepulti imitentur?

III. Quod si ad antiquitatem & exemplum tam sacrum rationes morales adjungi cupis, orientem spectant Christiani orantes, orientem sepulti, in spem resurrectionis, cujus oriens symbolum est. Mihi itaque consultius videretur, ut antiquitatem sicut ceteri, retinerent Sacerdotes, sequerenturque exemplum Christi Domini, qui unam cum ceteris resurrectionis spem habent.

IV. Quo tempore hæc antiqui ritus mutatio facta sit, operæ pretium fuerit hic observare. Omnes, quotquot vidi, veteres libri rituales (vidi autem plurimos maxime apud PP. Minimos Parisienses) nullum discrimen ponunt ante sæculum XVII. inter Sepulturam Sacerdotum, & aliorum. In Rituali Ord. Prædicatorum typis *Alfonsi* Ciaconii Romæ edito anno 1607. tantum præscribitur, *ut deponatur corpus*, & *collocetur supinum*, *positis pedibus ad orientem*, *vel ad meridiem secundum fossæ dispositionem*, nulla Sacerdotum facta distinctione. Rituale Genevense, a sanctæ memoriæ *Francisco* Salesio ordinatum an. 1612. editum, in quo omnia, quæ ad sepulturam pertinent ex antiquitate accurate repetuntur, nullam præscribit Sacerdotes inter & laicos diversitatem. Prima hujusce distinctionis mentio facta videtur in Rituali Romano, *Pauli V.* jussu vulgato Romæ anno 1614. In cap. enim de exequiis, hæc leguntur: *Corpora defunctorum in Ecclesia ponenda sunt pedibus versus altare majus; vel si conduntur in oratoriis, aut capellis ponantur cum pedibus versis ad illarum altaria: quod etiam pro situ, & loco fiat in sepulchro. Presbyteri vero habeant caput versus altare, scilicet in sepulchro*. Ab illo haud dubio tempore hæc mutatio facta est, ut in Rituali Carnutensi, quod *Leonorius* d'Estampes anno 1627. imprimi curavit: tametsi quædam Ecclesiæ veterem usum retinuerunt: in his insignis Ecclesia Rhemensis, ut patet ea novo Rituali Illustrissimi *Caroli Mauricii* Tellerii Archiepiscopi-ducis Rhemensis, in quo diserte præscribitur, ut Sacerdotes non alio modo, quam laici in tumulis componantur.

V. Porro hæc mutatio ex eo initium duxisse videtur, quod corpora Sacerdotum in Ecclesia antequam sepelirentur, ut erant nudo vultu, & sacerdotalibus induta vestibus, verso capite ad altare principio posita sunt, ut populo spectabilia essent, quod ex vetustis quibusdam ritualibus libris discimus; deinde vero eadem positio in ipso quoque sepulchro sensim observata est.

VI. Ceterum quæcumque hactenus hoc de argumento dixi, non eo animo a me allata sunt, quasi novum ritum improbem, (quod abiit, ut mihi arrogem, scio enim id esse disciplinæ mutationi obnoxiæ) sed ut antiquum illustrarem ritum, quæ nonnullæ hactenus Ecclesiæ retinent, non sine fundamento, ut ex dictis manifestum est.

BO-

BONAVENTURÆ ANGELI

JURISCONS. FERRAR.

De non sepeliendis mortuis penes aram

OPUSCULUM,

Nunc iterum Herculeo labore, & industria auctum.

JOHANNIS PAULI PORTII FERRARIENSIS

Epistola ad Hieronymum Bovium in eamdem rationem scripta.

DISSERTATIO XXX.

ANtiquissimi fuisse instituti ex his liquido constat, quæ a scriptoribus posteritati propagata sunt, defunctorum cadavera in agris, in speluncis, & in viis humari solita: Ephronis enim agrum, & speluncam emit Abraham, ut cum eo una uxores, filii, nepotes, & tota denique familia sua sepeliri posset (*Gen.* 33.). Rachelem vita functam Jacob in via, quæ ducit Ephratam, tumulo mandavit (*Gen.* 35.). Elisei corpus procul a civitate humo contectum fuit (*Reg.* 4. *c.* 13.). Mortuum intulere Judæi Oziam Regem suum in agrum regalium sepulchrorum (*Paralip.* 2. *cap.* 26.). Veluti que sacrosanctum longo ævo apud Hebræos istud fuisse custoditum scriptura ipsa testatur: extat namque Lucæ (*c.* 7.) dictum illud, Cum appropinquaret Jesus portæ civitatis, ecce efferrebatur defunctus filius unicus matris suæ. Apparent quæ de Christo, quæve de Lazaro Evangelistæ litteris mandarunt (*Jo:* 19.): sepultus enim fuit omnium pater in horto extra civitatem, habuit frater Marthæ speluncam pro monumento, quæ abesse a civitate solet (*Joan.* 11.). Possiderunt post hos, & Athenienses (*Pauf. lib.* 1. 34. 33. *& lib.* 1. 33. 40.), relicto Areopago, omissis aliis publicis, privatisque locis intra civitatis mœnia, Ceramicum locum extra urbem sepulturis destinatum. Hancque consuetudinem Tarentini (*Cic. de leg. lib.* 2. *clxxxi.*) ad illud usque tempus servavere, quo oraculum acceperunt futuros beatiores, si cum pluribus habitarent (*Baldui. l. xii. Tabul.* 31.). Æque mos hic fuit Megarensium (*Polib. lib.* 8. *Pauf. lib.* 1. 40.), quoad Æsymnus Delphos veniens, oraculum consuluit, qui fieri posset, ut patria secundis rebus uteretur, qui inter alia illud in primis accepit responsum, bene eventurum, & omnia ex sententia successura, si plurium consilio civitas usa fuisset. Quare cum ad mortuos vaticinationem pertinere interpretati essent, curiam in civitate ædificari, intraque ejus parietes sepulchra erigi curarunt. Minimeque diversa servasse Danaos, Corinthios, Syracusanos, Busirites, Scythas, Bœotios, Arcades, Achæos, Phocenses, & Ægyptios auctores scriptitarunt (*Homer. Iliad. lib.* 24. *Laert. lib.* 5. 215. *lib.* 6. 249.), testimonioque sunt Hectoris, Diogenis, Archimedis, Demetrii Phalerei, Miridis, ac Mardonii, Melanippi, Melissæ, Tegeæ, Androcli, Andræmonis, Tityique sepulchra (*Pauf. lib.* 9. 342. 356. *lib.* 2. 88. *lib.* 8. 331. *lib.* 7. 251. 252. *lib.* 10. 386.). Probant Pyramides, hæ præsertim, quæ inter septem præclarissima mundi opera annumerantur (*Diod. Sic. lib.* 2. *cap.* 2. *Strab. lib.* 17. 545.). Advertisse hoc Colchos mihi persuadeo, qui suorum cadavera loris alligata arboribus appendebant (*Aeli. de*

de var. hist. lib. 4. 35.) . Item & Lotophagos , qui suos in mare defunctos abjiciebant (*Rhod. lib. 9. cap.* 43.). Integer fuit hic mos apud Romanos primis temporibus ab urbe condita : jacuit enim Numa trans Tyberim sub Janiculo (*Dion. Halicar. lib.* 2.). Tributum fuit virtutis tantum caussa Publio Valerio Publicolæ, intra urbem ut sepeliri posset (*Soli. lib.* 1. *cap.* 2.) . Assignatus fuit locus ad sepulturam, & hoc decernentibus civibus, Publio Posthumio Tuderto in civitate (*Plut. in Publ. cxxxv.*) . Locum sibi ad sepulturam sub Capitolio publice Appius Claudius honoris caussa accepit , agro insuper trans Anienem clientibus suis assignato (*Cic.* 2. *de leg. clxxxi. Svet. in Tib. cap.* 1.) . Extraque portam Collinam , quo in loco ædem Honoris, & aram fuisse memoriæ proditum est , tunc cadavera deferebantur, sepeliebanturque. Sed postea lex hæc contrario Populi Romani actu a consuetudine recessit (*Alex. Neap. lib. 6. xiv.*) . Cœperunt namque mortuorum suorum corpora intra civitatem publicis in locis terræ reddere (*Dion. Halicar. lib.* 5. *xcvi.*) , ab eoque hujusce moris forte fortuna fluxit origo , quod perspicerent cives , liberos , posterosque summorum virorum , quibus speciatim concessum erat , ut mortui in civitate quiescerent, participes illorum esse sepulchrorum , ac sepulchra esse veluti templa eorum , qui essent ex illo genere , crederentque illud mortuis summum bonum , viventibus maximum esse solatium (*Serv. in sex. Æneid.* 221.) . Posteaque publico relicto loco suis in ædibus ea recondere, unde lararium resedit, in quo Deos habebant penates , præterque eos etiam insignium virorum effictas imagines, quas venerarentur , colerentque . (*Capitol. clxxxix.*) Quare fertur Antoninum Philosophum præceptorum suorum aurea spectra in eo habuisse (*Lamprid. cclxxviii.*). Alexandrum Severum , qui duobus solus usus est larariis , Christum, Abraham, Orpheum, & Apollonium suo in primo, & majori veneratum esse, in secundo vero, & minori habuisse Virgilii, Ciceronisque formam, Achillis effigiem, aliorumque magnorum virorum simulacra . Ad suaque etiam usque tempora , memoriæ litterisque mandavit Julius Capitolinus (*cxciv. cxcv.*), Marci Antonini statuas multis in domibus inter Deos penates constitisse , maximeque inter numina sua eas Diocletianum, quibus fuit temporibus, habuisse, non ut ceteros, sed ut nominatim veneraretur (*Gloss. in can. gravia* 13. *q.* 2.). Sed vel ne libera urbs tetro cadaverum odore minus pestilenti efficeretur aere, vel ut illac transeuntes viatores ad laudes accederentur, monerenturque ad præclara facinora obeunda , vel ne , si ita eveniret, paterentur hostes in suorum majorum monumenta grassari (*Gyral. de Rit. sepul.* 12.) , & perinde alacriori etiam animo a mœnibus urbis propellerent , a Decemviris, per hæc verba, vetitum hoc fuit, HOMINEM MORTUUM IN URBE NE SEPELITO, NEVE URITO. (*Cic.* 2. *de leg. clxxxi. Balduin. Odendor. Aymar. in hanc legem.*) Assignant alii rationem ex Ciceronis , ut asserunt sententia, ne rogi igne urbs conflagraret, aut incenderetur, quæ ratio legis hujus novissimum caput respicit , non etiam primum, cum sepelire humare importet , quod sine igne fit (*Rhod. lib.* 9. *cap.* 44.) , alioqui diceremus gentem Corneliam humatam, quæ incensa fuit , & tamen primus e patriciis Corneliis, Sylla, talionem veritus, igni cremari voluit , ante vero eorum corpora , quemadmodum Regis Numæ corpus, condita accepimus : diceremus, & illos humatos, qui terra conditi fuere , antequam corpora Romani cremarent, quod veteris apud ipsos, ex sententia Plinii (*lib.* 7. *cap.* 54.), non fuit instituti , quamvis crediderim ipsum de via valde decessisse, cum crematus fuerit Publicola anno ab urbe condita 252. nec is primus fuerit (*Dion.Halicar.*96. *Man. apo.*517.). Ex his, quantum Marcus Mantua Patavinus Jurisconsultus facundissimus proprio captus fuerit intellectu , dignosci potest , cum ea caussa id factum esse dicat , quem prorsus ignoramus (*Leg. non omnium ff. de ll.*): non enim omnium , quæ a majoribus nostris dicta, facta, constitutave sunt, vera ratio reddi potest, (*Baldui. in d. l.* 31.) istud ipsum ex lege Solonis decretum fuisse multi hactenus nomine , & memoria digni tenuerunt , præsertimque Crinitus (*lib.* 5. *cap.* 5.) , qui hunc in modum præcepisse tradit , NE SEPULCHRA IN URBE SUNTO. Sed cum invenerim temporibus Solonis , & ante, & post defunctorum cadavera extra civitatem sepeliri , Ciceronem (*ubi supra* 182.) perscribere, leges alias decemvirales sepulchrales , sci-

scilicet de minuendis sumptibus, de lamentationibus funeris, translatitias esse de Solonis legibus, hac excepta: (*Cic. Ep.Fam. lib.4. 56.*) Servium Sulpitium Jurisperitorum eloquentissimum, qui nisi justa a justis petiisset, institutum hoc ab Atheniensibus custoditum fuisse his verbis testari, ab Atheniensibus locum sepulturæ intra urbem, ut darent, impetrare non potui, quod religione se impediri dicerent: neque tamen id antea cuiquam concesserant; hos pueriliter lapsos mihi persuadere coactus sum: sed & Paulum Manutium (*de leg.* 134.) virum doctissimum videmus hac in re summo in errore versari: is enim eo in libro, quem de legibus edidit, arbitratur, non fuisse usitatum ante XII. tabulas in urbe sepeliri Ciceronis auctoritate fretus, qui ita scriptum reliquit, credo fuisse, aut eos, quibus hoc ante hanc legem virtutis caussa tributum est, ut Publicolæ, ut Tuderto, quod eorum posteri jure tenuerunt, aut eos, si qui hoc, ut Cajus Fabritius, virtutis caussa soluti legibus, consequuti sunt. Plane inquit ipse significat, etiam ante XII. tabulas intra urbem sepeliri non licuisse, siquidem Publicolæ, & Tuderto virtutis caussa tributum est, novum argumentationis genus hoc est: nam licet, & Publicola, & Tudertus decernentibus civibus sepulti in civitate fuerint, nihilominus fuit id longe ante leges XII. tabularum; sed dicat quæso hic sapientissimis vir, cur legem condere? cujus ratio est imperare, atque prohibere, si in usu non erant, quæ vetat: non ne consuetudinis, & legis par erat potestas? poterat ne lex futura divinare? Sed nunc proposito operi sua forma reddatur. (*Gyral. ubi supra xi.*) Sepeliebantur ergo Romani post legem hanc extra civitatem, tum secus vias militares, & publicas, tum in agris, unde extat poeticum illud: (*Proper. lib.* 3. *cxxvii.*)

Di faciant, mea ne terra locet ossa frequenti,
Qua facit assiduo tramite vulgus iter.
Post mortem tumuli sic infamantur amantum,
Me tegat arborea devia terra coma,
Aut humet ignotæ cumulus vallatus arenæ,
Non juvat in media nomen habere via.

inter præcipua Prisci litteris consignarunt, cur legem Agrariam recusarint divites Romani fuisse, quod impium ducerent monumenta majorum ad alienos transire (*ap. Alex. lib.*1. 2.). Reperitur idcirco apud scriptores, tali in via ad lapidem, vel milliarium, quemadmodum de Attico præfatur Cornelius Nepos (*cclxxii.*), qui sepultus fuit juxta viam Appiam, ad quintum lapidem. Spartianus (*ccvi.*) de Didio Juliano, cujus corpus fuit in proavi monumentum translatum, milliario quinto via Lavicana. Sextus Aurelius Victor (*cccclx. xxix. xxxviii.*) de Severo, cujus funus Gallieni sepulchro illatum fuit, quod ab urbe aberat per Appiam millibus novem: invenitur in inscriptionibus in agr. P. quæ litteræ, dictionesque, quot agri pedes sepulchrum occupet, significant (*Gyral. xi.*). In albo a Prætoribus posita ideo fuere edicta de mortuo inferendo, in legibus XII. tabularum, ne sepulchri vestibula, bustave usucaperentur (*Cic. de leg. clxxxii.*): respondere hac de re Jurisprudentes (*L. si venditor ff. de Relig.*). Quod si venditor fundi, exceperit locum sepulchri, ad hoc ut ipse, posterique ejus illo inferantur, videri etiam hoc exceptum, ut ei per fundum sepulturæ caussa ire liceat: item (*L. si quis ff. eo.*), Quod si sepulchrum quis habeat, viam autem ad sepulchrum non habeat, impetret, si vult, ab eo, qui fundum adjunctum habet, viam, quam si precario præstare noluerit ille, compelletur a Præside quoque, (*L. fin. ff. eo.*) Quod si plura prædia quis habuerit, & omnium usumfructum separatim legaverit, posse in unum inferri (*L. si mercedem. §. si eum ff. de act. empt.*): etiam, quod si fundum vendiderit ille, qui in eo sepulchrum habet, nec nominatim sepulchrum exceperit, parum esse eo nomine cautum (*Cic. de leg. clxxxiii.*). Sexcenta, quæ hujuscemodi in mole pandectarum reperiuntur Jurisconsultorum responsa: posuerat ideo Plato suis in legibus præceptum, nec ex agro culto, eove qui coli posset, ut mortuorum corpora, sine detrimento vivorum reciperet (*Alex. d. c. xiv. lib. iii. c. ii.*). Lex hæc, licet ita generalis fuerit, ut omnes excluderet, interpretatione tamen nec tam severa, nec tam crudeli erat (*Baldui. d. l. xxxi.*). Vestalium virginum namque cineres non in civitate tantum, sed in foro condi licebat, ho-

honorisque caussa etiam summis viris, qui triumphassent, Rempublicamque auxissent, & Imperatoribus, qui hostes bello domuissent, Romani hoc tribuerunt (*Cic. clxxxii. Gyral. xii. Crin. lib. xxi. c. 2.*): quod & apud exteras nationes servatum fuisse tradit Cicero (*pro Flac. clxi.*), qui cum Smyrneorum plebiscita de Castricio mortuo describat, primum ait iis contineri, ut in oppidum introferatur, quod aliis non conceditur: sed cum jam mos majorum de spatio, curriculoque deflexisset, Duillio Consule Senatus censuit servandum esse, quod legibus jam cavebatur, quo Senatusconsulto Duelliano Marcus Mantua (*apol. 117.*) Juris fere omnium peritissimus cautum fuisse dicit, *ne* quis in civitate sepeliretur, nisi qui virtutis caussa legibus non teneretur, ut Valerius Publicola, Tiburta, C. Fabritius, Imperatores, & denique virgines Vestales, qua in re ita de via decessit, ut ne quid simile, cujus errata plana facerem, si non mediocriter litteratos ea posse deprehendere arbitrarer, sed ad inceptum opus redeo. Permansit autem autem institutum hoc stabile multis annis, verum eam consuetudinem rursus antiquatam, & in totum sublatam (*Asc. pro Mil. 94.*) Clodii corpus in curia crematum, cum demonstrat, tum ex eo dignoscitur, quod Romani habuerunt intra suam urbem campum Exquilinum (*Cic. Phil. ix. ccxxxiii.*), publicis cadaverum sepulturis dicatum, quem puticolos etiam vocabant, quod ibi cadavera putrescerent, quem locum, ne nidor mortuorum urbi perniciosus esset, consentiente Senatu, Populoque, Augustum Mœcenati dedisse, scriptores tradidere (*Epod. lib. Ode. 5. 18.*). Libet tamen hic Porphirionis Horatiani interpretis erratum, nulla venia dignum, aperire: qui Exquilinum agrum extra portam Exquilinam fuisse, ausus est asseverare. Nam intra civitatem mons fuit Exquilinus, etiam primis temporibus urbis conditæ (*Liv. lib. 1. dec. r. 8.*), Exquilias Servius Tullius habitavit (*Eutrop. lib. 1. cap. 6.*), Exquilina tribus erat inter urbanas, Exquilinam portam, quæ olim a capite tauri insculpto, Taurina dicta fuit (*Plin. lib. xviii. cap. 3.*), a colle urbis Exquilino, non a regione extra civitatem Prisci denominavere, (*Alex. Neap. lib. 4. cap. xvi. Svet. in Tib. cap. 15.*) Horti Mœcenatis, qui in Exquiliis fuerunt, intra ipsius civitatis mœnia erant, quod ejusdemmet Horatii, quem Interpretatur, versus ostendunt: inquit enim urbana enumerans incommoda. (*Horat. lib. sermo. 2. Sat. vi.*)

Ad Mæcenatem memori si mente recurras,
Hoc juvat, & melli est, non mentiar: at simul atras
Ventum est Exquilias.

Ad pristinos ritus sola postea reversa est civitas Romana (*Plut. in Pub. cxxxv.*), adeo, ut nec in sepulchris summorum virorum, & si in Senatusconsultis hæc reperirentur verba, quod sepulchrum ipsius, liberorum, posterorumque ejus sit, ejus generis quisquam sepeliretur, verum si quis moriebatur cadaver eo ferebantur, atque deponebant, ubi quidam facem flagrantem ferme subjiciebat, mox retrahebat, declarans hoc pacto licere quidem sepeliri illic, sed honori parcendum, quo facto cadaver inde rursum auferebant. Aliæ vero civitates, abolita lege, sua placita servabant, quarum ambitionem, audaciamque, ut testis est Ulpianus, compressit rescripto suo Hadrianus (*L. prætor. §. divus ff. de sepulch. viol.*), statuendo pœnam quadraginta aureorum in eos, qui in civitate sepulchrum facerent, quam fisco inferri jussit, & in Magistratus eamdem statuit pœnam, qui passi id essent fieri, quin & publicari locum mandavit, & inde cadaver transferri. Post hunc intra urbes sepeliri mortuos vetuit Antoninus Pius (*Capitol. clxxxvii.*). Sed cum pestilentiali morbo tam graviter posterius vexaretur civitas Romana, ut vehiculis cadavera, sarracisque exportarentur, edicto caverunt Antoninus Philosophus, (*Capito. cxciii.*) & Aurelius Verus, licere culcumque, qui vellet, passim sepulchrum fabricare in civitate. (*Alex. ab Alex. lib. vi. cap. xiv.*) Sed quæ civitati Romanæ justa, & legitima de caussa concessa erant, aliis non impertiebantur, unde si post principalia rescripta consuetudine alicujus civitatis, quam legem municipalem lex appellat (*d. §. Divus l. 1. & ibi gloss. C. de emanc. lib.*), introduceretur, cadavera ibi sepeliri, controvertique possit tunc, an cessarent rescripta, quia generalia, respondit idem Ulpianus, oportere imperialia statuta suam vim obtinere, &

in omni loco valere (*Herodi. lib.4. ccccxxxi.*). Soli autem Principes Romani legibus his soluti erant : eorum enim sacra monumenta non in civitate solum, sed in templis etiam videbantur, ut de Marco Severo, deque aliorum Principum sepulchris tradit Herodianus Græcus Historiarum scriptor. Quodque Hadrianus jam statuerat, Diocletianus, Maximianusque his verbis postea probavere (*L. mortuorum C. de Relig. & sump.*), mortuorum reliquias, ne sanctum municipiorum jus polluatur, intra civitatem condi jam pridem vetitum est, lex a Sicyniorum Veteri quidem lege non discrepans, qua cavebatur neminem intra mœnia humari licere (*Plut. in Arat. ccclxxx. Baldu. d. l. xxxi.*). Porta autem, per quam solam extra civitatem Romanam cadavera efferebantur, Libitinensis dicebatur, a Libitina Dea, in cujus æde, non ea vendebantur (*L. quicumque §. idem ait ff. de inst. act. & ibi Budæus*), quæ ad mortuum sepeliendum erant necessaria, sed parabantur illa, quæ requirebat funebris apparatus, in eaque constituti erant, qui cadavera efferenda conducebant, & funebribus necessaria præbenda, ideo dicti Libitinarii, qui servos habebant polinctores, quorum meminit lex. Sed cum eo hominum impudentia, audaciaque devenisset, ut sepulchra, non defunctorum caussa, sed vivorum inventa, ut videlicet corpora, & visu, & odore fœda amoverentur (*Senec. de remed. for. cclxxxii.*), legis dignitate contempta non modo in civitate ædificarent, sed in templis Divorum, atque sacellis, tres Imperatores Gratianus, Valentinianus, & Theodosius eorum insolentiam, & superstitionem coercere conati sunt, ideo rescripserunt (*L. 2. C. de sacrof. Eccles.*), neminem existimare debere, Apostolorum, vel Martyrum sedem humanis corporibus esse concessam; sed cum nec Imperatorum præscripta sufficerent, sanctiss. in Concilio Vasensi (*Cap. præcipiendum 13. q. 2.*) sub Leone I. Papa, & Theodosio Juniore celebrato a decem, & octo Episcopis, qui tantum congregati fuere, decretum fuit, ut secundum majorum instituta nullus in æde sacra sepeliatur, quia locus ille nominatim Deo dicatus est (*Alex. Neap. lib. 3. cap. 2.*), cui mors ultra non dominabitur, sed in atrio, aut in porticu, aut in exedris cellæ Divorum, quod Licurgi lege Lacedæmonibus concessum fuisse credendum est, cum penes Deorum fana suos in urbe mortuos sepelire consuevissent. Institutique hujus ratio ea esse potuit (*Cap. cum gravia, & ibi. glo. eadem caussa & q.*) quia, qui illorum cognatione tenentur, quoties ad eadem religiosa loca accedunt, suorumque sepulchra spectant, illorum in memoriam venit, precibusque ab illis violatum scelere divinum numen placare nituntur. Etiam ne a malis exagitarentur dæmonibus (*Cap. non existimamus xiii. q. 2.*). Item quia committunt se in tutelam sanctissimorum illorum hominum, quibus delubra sanctissimis religionibus consecrata sunt, crebriusque ibi divina prædicantur officia. (*Cap. fraternitatis de sepul. Baldui. d. l. xxxi.*) Qua in sententia etiam fuit Carolus Magnus Imperator, qui legem sancivit, ne quis mortuum in domo Deo consecrata sepeliret. At cum nec his legibus obtemperarent, qui Christum religione colunt, ad effugienda mala, & ad tollendos laqueos, quibus irretiebant se non parentes sanctissimæ Synodo, Concilio Maguncensi (*Cap. nullus xiii. q. 2.*) statutum fuit, non licere mortuum in templo sepelire, nisi Episcopus fuerit, aut Abbas, aut dignus Presbyter, aut laicus: (*d. c. præcipiendum in fi.*) sed nequaquam prope altare, ubi corpus, & sanguis Domini conficitur. (*Gyral. ubi supra xiii.*) Quod apud Saitas Ægyptios factitatum esse auctores prodiderunt, qui suos tantum Reges, quos, ut Deos, venerabantur, intra templorum septa condebant. Post quod Concilium aliud Triburiense Provinciale factum fuit, quo inter alia erat dispositum (*Summ. Concil. ccccxxxiii.*), ut nullus laicus in sacro loco sepeliretur, nisi in communi cœmeterio, corpora autem antiquitus in eo loco sepulta nullo pacto projicerentur, sed pavimento desuper facto, nullo tumulorum vestigio apparente, ædis sacræ reverentia conservetur. Potestatem fecere tamen, Concilio hoc non obstante, curriculo temporis summi Pontifices ordinibus quibusdam religiosissimorum hominum, ut libere mortuorum corpora, etiam exterorum, sua in fana recipere possent, immo per plures annos a mulcta delictorum liberavere sepeliendos in illis (*Compend. Min. ccxxiv.*), ut Innocentius IV. Clemens IV. Martinus IV. Leo X. sacerdotibus Minoribus, Honorius III. Gregorius IX. Benedictus XI. Sixtus IV. (*Privi.*

(*Privi. Praedi.* 5. 9. 72. *cliii. clix. clxxvii. clxxxiv.*), Leo X. Buccinatoribus Augustis fidei, aliique aliis innumerabilibus religiosis nationibus, ut ex eorum, ut dicitur, Maremagnis habere quilibet potest, unde intelliget ex his quo in errore versetur Marcus Mantua (*apoph. ccccccxvii.*), qui avaritia, ac Clericorum temeritate obtigisse id asserere ausus fuit, si non de Pontifice vocem mittat, quod non modo non est dicendum, sed nec cogitandum, cujus dictum etiam alia aspernatur ratione, cum videamus nonnullas apparere sanctissimorum virorum societates, quae mortuos, quia his praecipuo privilegio tributum non est, recipere non possunt. Quis est qui non miretur, & valde, conspicere virum istum eloquentissimum hac in re tota erraste via? Sed quidem vera est Varronis sententia, neminem unum omnia posse scire, vera Horatii (*in Poet. cxcii.*), bonum quandoque dormitare Homerum, vera Justiniani (*L.* 2. §. *si quid autem C. de veteri jure enucleando*), in nullo peccare divinitatis magis, quam mortalitatis esse: hoc potissimum tamen peto ab his, qui haec, qualiacumque sint, legunt, ne cupiditate mordendi existiment me sollicitatum ista scripsisse: amo enim virum istum eruditissimum, ipsum habui praeceptorem, & a me, praeter haec, nunquam de illo, nisi honorifica fit mentio, quem tueri conatus fuissem, si non veritati adversarentur scripta sua, quae etiam se per se ipsam defendere potest, cujus caussa, nec cedo illis, qui meos natos ad sacrum fontem perduxere, licet multorum consensu dicere possint. O fortunatum natum me Doctore collegium! sed revertar unde discesseram. Hodie vero, proh dolor! misso quod alta in templis reponantur monumenta, res quidem tetra, detestabilisque homines, Imperatorum sanctionibus spretis, summorum Pontificum Conciliique auctoritatibus neglectis, non in urbibus tantum, & in religiosissimis delubris, atque sacellis, sed apud aram; in ipsamet ara, supra sanctiss. Deorum simulachra, supra Servatoris, ejusque Matris imaginem, supra altare, ubi sanguis, & corpus Domini conficitur, sepulchra locant, ac figunt. Nec hi sunt Episcopi, neque Abbates, sed ut plurimum publicani, sceleratissimi homines, impii, nefarii, meretrices, lenae, proditores, & si quod deterrimum aliud inveniri potest genus hominum, quod nec lege unquam concessum fuit, nec consuetudine (*Cap. fin. de consuetudinibus*), etiam tanti temporis, cujus initii hominum memoria in contrarium non existat, defendi potest, velut impia, inhonesta ac scelestissima, & jure quidem corruptela potius, quam consuetudo appellari debet: licet reperiantur, qui contrarium foveant, frivolis rationibus, & legi repugnantibus, quas conarer hic refellere, si non arbitrarer hoc facturos magnos illos Jureconsultos (*Mant. apoph. cv.*), apud quos ridicula non haec tantum, sed majora, meliora que sunt: qui sibi, quo nihil est insolentius, nihil arrogantius, tantum scire persuadent, ut reperiri non posse existiment, qui illis respondeat, parque sit, qui sua bene olere, aliena male docere conantur, qui personam non induunt Aristarchi, sed Phalaridis Grammatici: in bonos enim invehunt scriptores, eosque armis, si possent, prosequerentur, qui studiorum, gloriaeque alienae obtrectatores sunt, qui omnibus bonis, non magis malevolentia, quam virtutis desperatione debilitati, calumnias imponunt: sed irrideant me tales, & SYMBOLA ignorantiae, qui eos sequuntur impudentes ac inverecundi, qui non judicio, sed morbo animi, & quadam impotentia, omnium lacerant dignitatem, eludant, contemnantque, appellent deridendo, istum, & illum, dicant me; ut fertur, analphabetum, vocent rudem, ignarum, inscium ac imperitum, carpant mea scripta, non est mihi tanti: malo enim ab iis vituperari, quam laudari: quis enim dicet eam laudem, quae ex ore illorum exir, qui de aliquo nunquam bene possunt praedicare, veram laudem esse? hoc unum tamen eos scire volo, me tunc senilia, sed non deliramenta facturum, & non ridicula publicaturum, cum laqueo eorum fracta erit gula, qui aliena suo nomine recitant, eduntque: sed jam, & liber concludendus est, & de infamibus istis scurris, & omnium bonorum consuetudine indignissimis tempus est scribendi finem fieri.

HIE-

HIERONYMO BOVIO

ECCLESIÆ FERRARIENS. MANSIONARIO.

Johannes Paulus Portius S. D.

CUm Dei fana, doctissime Bovi, fece, & labe carere debeant, non defuerunt superioribus annis, qui aliter præstandum putarint, quorum errata his meis ad te nonnulla scribenda putavi, ut & mei in te amoris pignus esset, & testatum apud omnes, quid de hac re senserim, relinquerem, quod eo magis feci, ut hæc homines ad te præsertim convenire cognoscant, cum sacris initiatus, & Deo immortali devotus sis: verum, etsi de his copiose dicere possum, cum hæc tamen ab aliquibus docte, & eleganter litteris mandata sint, te magis ex iis longiori oratione tradita animadvertere, quam ego pluribus scribere volo. Quare extremis digitis, ut dicunt, attingam: nihil enim formosius, nihil pulchrius summi Rectoris, & Divorum templis esse necesse est, cum sibi ex omnibus ea loca delegerint, quæ in terris præcipue ædificari jusserunt, ut Numen eorum pie, & sancte colatur, quo viam consequi possint, quæ ad cælum omnibus patet: hoc quam religiose, & integre ab antiquis custoditum fuerit, memoriæ multi, & litteris prodiderunt: nam cum Romani honoris templum in Urbe extra portam Collinam ædificare vellent, & in eo loco, in quo ædes dedicanda erat, multa sepulchra forent, Pontificum decreto exarata sunt. Sed, & cum populus Rom. Cæsaris corpus in capitolium deferre, veluti rem commendatione dignam, & cum Diis pariter sepelire vellet, hujus voluntati Sacerdotes intercesserunt, quo in forum relatum est, ubi vetera Romanorum Regum visebantur sepulchra: verum & Pontifici Maximo cadaver videre nefas erat, ne quid triste, aut lugubre cerneret, at multo magis si insepultum hominem reliquisset. Funestam quoque familiam, aut funere pollutum hominem templum, aramve dicare, aut a lugentibus sacrificia fieri, vel aliquid consecrari legibus cavebatur: namque in luctu Diis supplicare, non conficere sacra licebat, cum sine gemitu, & dolore animi sacris interesse deceret: id etiam Pontificum lege constitutum erat sepulchrum fulmine percussum, vel de cælo tactum illico religiosum, & in nullius bonis esse, quod eum locum Deus dedicasse, & expetisse videbatur, sepulchra autem illa defossa penitus erant, quod Lycurgo, & Euripidi Poetæ accidisse dicitur. Sed hoc non modo Romæ, quam virtutis, imperii, & dignitatis domum fuisse constat, servatum est, at apud exteras, & barbaras gentes, hunc morem fuisse ab auctoribus memoriæ propagatum est: pertinax enim Judæus, superstitiosus Arabs, infestissimus Turca illorum delubra nefariis religionibus consecrata non solum cadaveribus, sed quæ illis nocitura videntur, vacua esse curant: quamvis autem Turcæ hanc consuetudinem habeant, aliqui tamen illorum Regum templa, & loca publica, quæ Xenodochia vocantur, sibi pro sepulchris construunt, & iis maxima bona, & fructus opulentos assignant, ad inopum, pauperumque subsidia: quod & Ægyptios Saitas fecisse ab auctoribus traditum est, qui corpora Regum intra templi septa humare solebant, & hoc sepulturæ optimum genus, & extremum pietatis officium esse putabant. Fuerunt & nonnullæ gentes, quæ mortuorum corpora projecisse dicuntur, in quibus Lothophagi numerati sunt, qui in mare suos abjiciebant, parum interesse putantes in humum ne, an aquam, vel ignem converterentur, & Albani, qui mortuorum curam negligebant: Sabæi, & Arabes cadavera æque, atque stercus ducebant, quin etiam in eisdem locis Reges sepeliebant. Troglodytæ vero mortui cervicem pedibus alligabant, & cum risu raptim, & jocis efferebant, nullaque ratione habita loci cornu caprinum ad caput affigentes humo tegebant. Pœones in sta-

stagna, Ichtyophagi in mare mortuorum corpora, & Hyperborei senio confectos dejiciunt. Quædam vero suorum cadavera comedisse, & bestiis objecisse feruntur, in quorum numero Scythæ habiti sunt, qui inter epulas mortuos honoris causa vorasse, Taxili vero, Brachmani, & Iberi vulturiis cadavera exposuisse dicuntur: Barchei etiam, quæ apud Colchos, & Iberos gens est, morbo extinctos agnatos velut ignavos, & qui a parente virtute desciverent, igni, in bello vero consumptos tanquam fortes, & strenuos vulturibus tradebant. Parthi, Magi, & Hyrcani procul a nobis siti honestum sepulchrum vulgo avium, aut canum laniatus ducebant, & ossa nuda tantum, quæ supererant, terræ reddebant, hos autem sepulchrales canes, ut ita dicam, vocabant, quod quisque eos in vita parabat, a quibus mortuus laniaretur. Essedones parentum funera cantu prosequuntur, mox cœtibus propinquorum vocatis, quod dictu, audituque fœdum est, cadaveribus, ovium carnibus admistis, vescuntur. Indi quoque, & Massagetæ, Derbices, & Hyberni, quorum natura fera, & immanis est, senio confectos loris Indi, & Massagetæ cædebant, & illorum carnibus pecudum mistis pasci assuevere, quod Derbices, & Hyberni maximæ pietatis, & honestatis munus esse credebant. Sed, & cum Lysimachus Rex Theodoro Cyrenæo crucem, & sepulchri jacturam minatus esset, ille quæso purpuratis tuis minitare horribilia hæc dixisse fertur, Theodori quidem nihil interest humi ne, an sublime putrescat, cum solus sanguis in tua potestate sit, qui cantharidis vim consequutus es. Diogenes Cynicus inhumatum se projici jussit, hinc illud, quod diserte Mœcenas dixisse putatur.

Nec tumulum quæro, sepelit Natura relictos.

Quæ omnia cum ab iis gentibus facta esse videam, non ne turpe nobis est, qui Christianæ Religioni addicti sumus, ab his superari, quos ne Deum quidem agnoscere, sed humanitate carere nemo est, qui nesciat: non his tamen dicendum est, quod externorum mores imitari velim: horum enim nulli sententiarum prorsus assentior, quod gentes immanitate barbaras in hominum corporibus comedendis, & abjiciendis sequi putem: nam illud fat esset, si eos in fanis, quæ omni vitio carent, homines nostri temporis imitari vellent: ædes enim quibus utimur passim, splendore, amœnitate, odore eo magis refertæ esse debent, quo magis nostræ Deo & Divis, eorum vero mortalibus, & Diti Patri dicatæ sunt: nam, cum Deus templa nostra domum suam appellet, quis dicet male olere illa oportere? cum non modo tabernaculum Dei, & Christi sponsa sint, sed & ad venerandum instituta fuerint, quo præcipue nitida, & munda esse debent, ne ii, qui Deum religiose, & caste colunt, & Sacerdotes psallentes teterrimo odore, qui ex sepulchris emittitur, distrahantur a cultu. Quare cum nostris illorum delubra in hac re anteponenda videam, non possum facere, quin multos hoc tempore secus, quam par erat, observasse doleam, qui Camarinam, ut ajunt, movisse videntur, cum mortuos contra Imperatorum, & Pontificum jura, nec non sacrorum Conciliorum decreta sepeliant, ne dicam in ædibus sacris; quod Pontifices cum indulgentiis, sicut fertur, annorum, ut recipere in fani partes ab ara, ubi sacrificia fiunt, remotas possent, quorundam Sacerdotum Religionibus permiserunt, sed apud aram, & fere in ipsa ara super simulacra Divum homines nummis novis nequiores, ut ait Plautus, in sepulchris condi consueverunt. O cælum, o terra, o maria Neptuni, quomodo ab iis Deum, & Cælites superari fertis, qui quasi digniores essent, miseri digniora loca legerunt, nec, quod contra Deum machinati sunt, scelerati vident, quibus mehercle, ni Pontifex Maximus ea humanitate, & charitate ornatus esset, quæ in omnes summa est, aqua, & igni interdici non æquum esse quis fateretur? ut quemadmodum Deus colendus esset, tandem illorum periculo discere possent. Quæ omnia licet a Bonaventura Angelo Jurisconsulto animadversa sint, & de hac re docte, quemadmodum solet omnia, ab Antonio fratre, quo multos annos valde familiariter utitur, rogatus scripserit, ut rationes legum, & summi Pontificis auctoritatem a quibusdam alioquin doctissimis viris vindicaret, quod quam prudenter, & scite fecerit, omnes, amice optime, judicare possunt: non alienum tamen ab instituto meo fore putavi, ad te de eodem oleo,

oleo, & opera litteras exarare, ne otio languerem, & quam expectationem de me concitavi, bene sustinere, ac tueri possem, nec eo, tua auctoritate fretus, quæ apud omnes plurimum valet, deterritus fui, quod hujus doctissimi viri ab omnibus vim dicendi summam, qua in opere efficiendo usus est, perspici sciam: cujus acumen ingenii quis non dicam complecti orando, sed percensere numerando posset? hic enim eo ingenio præditus est, quod artium liberalium capax, & ad nullum illarum genus ineptum Plato princeps ingenii, & doctrinæ finxit, ut de eo, quod quondam a Plinio de Marco Tullio scriptum fuit, jure extra omnem ingenii aleam positum fuisse dici possit: cujus etiam divinam memoriam, quod de Lucio Lucullo proditum fuit, ne verecundiæ repagulis fractis illius auribus dare videar, consulto prætermitto. Quapropter ex his omnes cognoscere possunt, non me hoc temere, & imprudenter fecisse, cum ad id ea caussa aggressum fuisse dixerim, quæ apud me locum obtinet summum, idest sapientia tua, quam mearum virium imbecillitatem sublevare posse confido. Quamobrem a te tantum majorem in modum petam, ut boni consulas, neve me odio, & ira ductum, has ad te dedisse putes, quod si facies, iis, qui de nobis detrahere non cessabunt, resistes. Multa de hac re dicerem, ni te in hanc sententiam iturum arbitrarer, cum id præsertim, quod scripsi, legibus cautum sit, quæ ambitione, & ignavia abrogatæ sunt, non sacerdotum avaritia, ut quidam temere asserere non dubitarunt. Quare, humanissime Bovi, cum hæc ad te, qualiacumque sint, miserim, libenter, atque læto vultu obtrectatorum linguis occurrere debes: nam cum hoc ab eo profectum sit, qui illud unum egit, ut aliquid disceret, idque maximum suorum laborum præmium esse putarit, si id adeptus esset, tuæ partes erunt, pedibus pro eo, manibusque pugnare, ac nullum laborem fugere, nullamque rerum, & temporum rationem habere, dummodo gratum tibi extitisse ostendas. Quod si facies in primis ab iis, qui ipsi in laude vixerunt, vehementer laudaberis, & maiorem mihi, quam unquam habuerim, animum scribendi dabis. Vale igitur, tibique omnia bene, & feliciter evenire Deum optimum oro. Ferrariæ MDLXIV.

LU-

LUDOVICI ANTONII MURATORII

De veterum Christianorum sepulchris. Ad Clarissimum doctissimumque virum JOANNEM CIAMPINUM *Romanum, Magistrum Brevium Gratiæ, Litterarum Apostolicarum Majorem Abbreviatorem, & in utraque Signatura Referendarium.*

DISSERTATIO XXXI.

I. EMersit apud nonnullos opinio, Ciampine vir eruditissime, scilicet priscis temporibus haudquaquam licuisse in sacris ædibus Fidelium Christianorum corpora tumulare, quia quibusdam Imperatorum edictis id interdictum deprehenditur. Hinc egregius Scriptor Cabassutius ad Canon. VI. Concilii Namnetensis: *Serius*, ait, *in usum Ecclesiarum receptum fuit*, ut Fidelium cadavera intra Templorum ambitum sepelirentur. Tum Gregorii Magni temporibus hanc invaluisse consuetudinem concedit, quippe quæ ex ejus Dialogis evidenter eruitur. Citantur in hanc rem Canon. 36. Concilii Bracarensis Primi, ubi *intra Basilicas sepeliri Fidelium cadavera probibentur*; & Can. 17. Concilii Triburiensis Anno 895. coacti illud idem interdicens. Pro his etiam militant lex 2. C. de Sacrosanct. Eccles., in qua sic legitur: *Nemo Apostolorum, vel Martyrum sedem humanis corporibus existimet concessam*, & lex ult. C. Theod. de sepulchr. viol. his expressa verbis: μηδεὶς ἐν ἐκκλησίᾳ θαπτέτω νεκρόν· *nemo in Ecclesia sepeliat mortuum*. Kepperus heterodoxus homo in Polit. Eccles. lib. 1. cap. 15. postquam similes protulit auctoritates in hanc mirabilem sententiam descendit: *Postquam vero crescente superstitione sacra pro defunctis sub Gregorio Magno fieri cœperunt, tunc etiam Cœmeteria templis vicina fecerunt Monachi, & sacrificuli, ut sacra illa facilius obire, & quæstum majorem facere possent*. Est hæc, & plurium Novatorum invidiosa de nobis opinio. Verum aperte nimis hunc hæreticum, ejusque asseclas falli, simulque apud veteres in usu fuisse, ac non sine laude peractum, ut in sacris ædibus Fidelium cadavera humarentur solidis evincere testimoniis post eruditissimum Spondanum nitar, quibus præsentium temporum morem cum antiquis consentire penitus ostendam. Sunt Paulini carmina.

> *Cellula de multis, quæ per latera undique magnis*
> *Adpositæ tectis præbent secura sepultis*
> *Hospitia.*

Hæ profecto cellulæ in ipsa fuere Basilica, ejusque partem constituebant; dixerat enim Paulinus furem clausis Basilicæ foribus inclusum, iisque reclusis mane fugam arripuisse.

> *Harum una fur abditur, atque ubi mane,*
> *Claustra patere videt, reserata prosilit aula.*

Nihil vero aliud mihi videntur, quam eædem, quas nos Italico sermone vocamus *Cappelle*. Quod & ex ejusdem Paulini ad Severum epistola XII. manifeste iterum probo: *Totum*, inquit ille, *extra Concham Basilicæ spatium alto, & lacunato culmine geminis utrinque porticibus dilatatur, quibus duplex per singulos arcus columnarum ordo dirigitur. Cubiculo* (en tibi Capellæ præfatæ) *intra porticus quaterna longis Basilicæ incerta secretis ornantium, vel in lege Domini meditantium, præterea memoriis Religiosorum,* ac

ac familiarium accommodatos ad pacis æternæ requiem locos præbent. Rursus ecce vides in hisce Cubiculis tumulos Christianæ gentis fuisse sitos. Lateribus autem Basilicæ cellulæ istæ, seu cubicula insita erant, eodemque proculdubio ordine, quo præsentium temporum Capellæ dispositæ conspiciuntur; siquidem porticus ibi memoratæ, intra quas Cellæ collocabantur, ecquid aliud sunt quam quæ nobis *laterales Basilicæ naves* nuncupantur? Geminas porro hujusmodi naves extra majorem Ecclesiæ concham utrinque sitas alto, ac magnifico opere, suisque columnis distinctas videre est in immani, mirabilique Ecclesia Metropolitana Mediolani, tibique in Urbe æterna degenti plura circumquaque exempla suppetunt. Sed ut Cubiculorum, quæ Paulinus memorat, significationem evidentius attingamus, en tibi Anastasii Bibliothecarii in Sergio Papa hac de re testimonium: *Hic tectum*, ait, *& cubicula universa in circuitu Basilicæ B. Apostoli Pauli studiosius renovavit, ac reparavit*. Defunctos autem vita hisce in Cubiculis tumulatos ex eodem Auctore discimus in Marcellino: *Hic sepultus in Cœmeterio Priscillæ in Cubiculo claro*. Quin & apud Græcos usurpatum eodem sensu cubiculi nomen Anonymus de Locis Sanctis cap. 1. apud Clariss. Du Fresnium in Gloss. med. & inf. Latin. Καὶ εἰς τὸ μέσον τῆς τρύλλας εἰς τὸ ἔδαφος κυβούκλιον πέτρινον ὡραιότατον, *& in medio Trulli super solum jacet cubiculum ex marmore formosissimum*. Idem Anonymus cap. 15. refert τὸ μνημεῖον τῆς Ῥαχὴλ κυβούκλιον πέτρινον; *monumentum Rachaelis in Cubiculo marmoreo*: Eadem cubicula quoque οἰκίσκοι appellabantur a Græcis. S. Nilus in descriptione Templi ab Olympiodoro Præfecto extructi sic ait: ἐν δὲ τῷ κοινῷ οἴκῳ πολλοῖς, καὶ διαφόροις οἰκίσκοις διειλημμένῳ ἀξιοῦσθαι ἕκαστον οἰκίσκον πεπηγμένῳ τιμίῳ σταυρῷ &c. In communi vero æde multis variisque distincta Cubiculis attolli Cubiculum unumquodque, composita intus venerabili Cruce. Itaque istis in cellulis quum piorum memoriæ, seu tumuli statuerentur, evidenter elucet in Basilicis Fidelium sepulchra fuisse locata. Alius præterea pius inter Catholicos usus obtinuit ab ipsis Ecclesiæ incunabulis, ut Martyres in sacris conderentur ædibus, uti in notis animadverti ad illud carmen in Nat. XI.

Quæ Cineres reverenda tegunt altaria Sacros,

ubi etiam innui, fas non potuisse templa absque Martyrum corporibus, aliquibusque Reliquiis sacrare. Illud certissimum, & extra omnem dubitationis aleam positum. Alius autem mos erat Fidelibus, nempe omni studio curare, ut SS. Martyrum corporibus cadavera sua apponerentur, quia tantorum apud Deum intercessorum precibus se fortius adjuvandos arbitrabantur. Paulinus in Panegyr. Celsi pueri hæc de filio sibi defuncto habet.

Quem Complutensi mandavimus urbe propinquis
Conjunctum tumuli fœdere Martyribus.
Ut de vicino Sanctorum sanguine ducat
Quo nostras illo purgat in igne animas.

II. Sanctus quoque Augustinus a Paulino meo interrogatus, *an cuique post mortem prosit, quod Corpus ejus apud Sancti alicujus memoriam sepeliatur* (sunt ejus verba lib. 2. Retract. cap. 64.) librum unum reposuit *de cura pro mortuis gerenda*. Ibi vero ait: *Hoc abs te vidua memorata petiverat pro defuncto in eis partibus filio suo, & rescripseras consolans eam, idque etiam nuncias de cadavere fidelis juvenis Cynegii, quod materno, & pio affectu desideravit esse completum, ut scilicet in Beatissimi Felicis Confessoris Basilica poneretur*. Probat ibidem hanc piam consuetudinem Augustinus, neque ab hoc fideli juvene tantum, sed ab universis Fidelibus usurpatum affirmat. In calce libri hæc satis expresse subjicit Doctor magnus: *Quod vero quisque apud Memoriam Martyrum sepelitur, hoc tantum mihi videtur prodesse defuncto, ut commendans eum etiam Martyrum patrocinio affectus pro illo supplicationis augeatur*. Unusquisque igitur apud Martyrum tumulos sepeliebatur, ac idcirco intra templorum ambitum Sanctus Maximus Taurinensis Episcopus Serm. 55. hujusce rei fidem facit: *Ideo hoc*, inquit, *a majoribus provisum est, ut Sanctorum ossibus nostra corpora sociemus, ut dum illos Tartarus metuit, nos pœna non tangat, dum illos Christus illuminat, nobis te-*

ne-

nebrarum caligo diffugiat. *Cum Sanctis ergo Martyribus quiescentes evadimus Inferni tenebras eorum propriis meritis*, *attamen consortii sanctitate*. Florebat Maximus quinto Epochæ nostræ sæculo, & quum is *a majoribus provisum* afferat, ut ossa nostra Sanctorum ossibus copulentur, continuo patet prioribus Ecclesiæ sæculis Christianorum cadavera in templis componere consuetum fuisse. Nonnulla vero, ut multis parcam, istius rei exempla dabo non longe nimis adscita, sed Mediolani nata. Quietis locum in Ambrosiana Basilica sub altari sibi vivens destinarat S. Ambrosius, ubi dein SS. Gervasii, ac Protasii corpora locavit. Ait ille in Orat. ad populum de iisdem Martyribus habita: *Hunc ego locum prædestinaveram mihi*: *dignum est enim*, *ut ibi requiescat Sacerdos*, *ubi offerre consuevit*. *Sed cedo sacris victimis dexteram portionem*. *Locus iste Martyribus debebatur*. S. Satyrus ejusdem Ambrosii frater, vir inter Laicos dumtaxat connumeratus, parem sortitus est quietis sedem; ab amantissimo enim fratre in S. Victoris tumulo depositus est, additique sepulchro versiculi a Dungalo quoque relati.

Uranio Satyro supremum frater honorem
Martyris ad lævam detulit Ambrosius.
Hæc meriti merces, *ac Sacri Sanguinis humor*
Finitimas penetrans abluat exuvias.

III. Aliud etiam in Ambrosiana Basilica non minoris antiquitatis pretiique monumentum occurrit. Mansiæ nempe Dædaliæ Virginis piæ sarcophagus his carminibus distinctus:

Martyris ad lævam recubent quæ membra sepulchro
Ut Lector noscas, *est operæ pretium*.
Clara genus, *censu pollens*, *&* *mater egentum*
Virgo sacrata Deo Manlia Dædaliæ.

Reliquos versus a Grutero in Inscript. volum. pete. Sed & Sancta Marcellina juxta Sancti Ambrosii fratris tumulum requiem invenit, quod ut apertissimum, probatione non indiget. Hi igitur omnes, quod Ecclesiasticus poscebat usus, intra sacrarum ædium ambitum sepulturam, aut in vivis constituti sibi destinaverant, aut post mortem aliorum studio sunt nacti, ut mirer Cabassatium in hæc verba extitisse: *Verum non in alia templi parte quam in vestibulo*, *conditus Constantius Augustus*, *quod idem censendum pariter existimo de Episcopis*. Atqui S. Ambrosium reliquosque Fideles una cum SS. Martyrum cineribus cineres suos composuisse tam certum, ut nihil hæsitationis obveniat. Quum vero SS. Martyres sub templorum altaribus quiescerent, quis non videt Christianos quoque Fideles, nedum Episcopos, in interioribus sacrarum ædium penetralibus suam invenisse sepulturam? Quam autem improvide ad contrarium firmandum Canon Concilii Moguntiaci inducatur, quam refert etiam Gratianus in c. nullus art. 13. quæst. 2. nemo non videt. Est ille his conceptus verbis. *Nullus mortuus intra Ecclesiam sepeliatur*, *nisi Episcopi*, *aut Abbates*, *aut digni Presbyteri*, *aut Fideles laici*. Etiam laicos Fideles præter Episcopos, & Presbyteros templis inferri post mortem solitos hinc discimus, tantum abest, ut contrarium inde suadeatur. Itaque solos Infideles, Hæreticosque, aut etiam laicos parum dignos, puta sine pœnitentia defunctos, usuris addictos, occisores, aut hujusmodi morbis tactos respicit laudatus Canon, quos a Sacris in Ecclesia sepulturis arcendos omnino constituit. Quod si quidam Canones, & Imperatorum leges adversus hunc pium morem emanarunt, non alia ratio in caussa fuit, nisi quia nimis in ædibus sacris tumulorum cadaverumque moles augebantur, ut propterea coercendi ex parte fuerint Christiani, quibus extra Ecclesiam sacer locus alium aperiebat sepulchri campum. Hincmarus Rhemensis Episcopus in S. Remigii Vita apud Sur. Tom. 1. quamdam Ecclesiam memorat, *in qua eique circumjacentibus atriis ex antiquo erat Cœmeterium Rhemensis Ecclesiæ*. Vides igitur *ex antiquo*, videlicet ante S. Remigii tempora, qui sæculo Christi quinto degebat, tum in ipsis Templis, tum etiam circa illa Christianorum tumulos fuisse constitutos. Gotfredus ad l. 9. Cod. Theod. Tit. 16. sepulchr. viol. *Observandum*, ait, *etsi Christiana Religione invalescente contra legem* ob-

obtinuerit Sanctorum reliquias in Civitatibus condi, atque ad ejusmodi sepulchra plerumque ædiculæ, seu Martyria extructa fuerint, in quibus Imperatores Constantinopoli, mox & Sacerdotes singulari privilegio fuerint sepulti, privatis tamen idem non licuisse. Hæc juxta legis sensum, quibus, & ego lubens subscribo. At hinc illud discimus, in urbanis quidem templis per aliquod tempus interdictam Fidelium sepulturam, quia & antiquis Ethnicorum placitis, & Christianorum pariter Principum edictis cautum erat, ne in urbibus sepulchrum mortuo concederetur; in Ecclesiis vero extra urbem sitis, cujusmodi primo Christianæ Religionis ævo pene omnes erant, id non licuisse parum sapit, qui negare ante tot veterum testimonia audeat. Non sum denique eorum immemor, quæ tu in egregio opere de veter. Monim. tom. I. cap. 17. Cœmeteria illustrando protulisti, sed apud temetipsum tua adhibere inutilis opera censeretur. Unum iccirco producam Onuphrium Panuvinum virum tanti in antiquitatum scientia nominis, qui in suis ad Platinam additamentis libellum de Cœmeteriis iisdem proposuit. Docet autem *Cœmeteria non solum Ecclesias fuisse, & Basilicas, sed aliquid melius quam Ecclesiæ urbanæ, sepulchra scilicet Christianorum, quæ intra Urbem fieri non poterant, habuisse.* Id innumeris ille exemplis roborat, quæ apud illum, & apud Spondanum in lib. de Christ. sepult. recolenda volentibus reservamus. Hinc igitur, Ciampine doctissime, ni mea me fallit opinio, elucescit, quam imprudenter Kepperus, aliique hæretici in Christianorum sepulchra ferantur. Profecto non Gregorii Magni temporibus, nempe sæculo Æræ nostræ septimo, vicina templis loca sibi in tumulum usurpare cœperunt Fideles, ut illi nobis invidiam conflaturi ineptiunt, sed ipsis prioribus Ecclesiæ sæculis id apud non paucos receptum fuit, ut intra ipsas tumularentur Basilicas. Quibus hucusque enarratis si calculum tuum pro summa, qua polles, eruditione addideris, ego non tam, quod hæreticorum calumniam everterim, quam quod tibi placuerim, mihi summopere gaudebo. Vale.

LU-

LUDOVICI ANTONII MURATORII

De antiquis Christianorum sepulchris

DISSERTATIO XXXII.

AD CLARISSIMUM, AC ERUDITISSIMUM VIRUM

JUSTUM FONTANINUM

In Archigymnasio Romano publicum eloquentiæ Professorem, & Eminentiss. Card. Renati Imperialis Bibliothecarium.

Synopsis Disquisitionis.

Christiani sacris in ædibus, & olim tumulati Oriente. Abusus in eum ritum invecti. Profanis etiam, & Infidelibus sepultura illic data Patribus contra clamantibus. Tumuli alieni dejecti, ut Martyrum sepulchra ornarentur. Iidem tumuli venumdati. Explicatur Lex VI. Cod. Theod. de sepulchr. viol. *ostenditurque ibi non improbari sepulturam Christianorum in Templis. Mortuos olim intra urbes tumulare nefas. Imperatores hoc tantummodo confirmarunt. Explicantur aliæ quædam Imperatorum Leges. Tum ante eas Leges, tum etiam postea in sacris templis sepulti Christiani. Varia pro varietate locorum disciplina.*

I. Non paucos, *Fontanine* doctissime, inter Heterodoxos Scriptores invenias, quibus piaculum videatur, quod sacris in Ædibus Christianorum cadavera tumulare soleamus. Neque id mirum, homines a nostra communione segregatos sententiis quoque, & moribus a nobis, vel in minimis dissidere. Illud potius mirari subdit, quod quosdam etiam de nostris habeamus, eumdem ritum aversantes, & opinionem suam veteris Ecclesiæ auctoritate, ut sibi videtur, tuentes. Verum si eam, quam utrique nobis objiciunt, priorum temporum notitiam diligentius consuluissent, aut nullum sepulchris nostris bellum indictum, aut mitius cum illis jam actum fuisset. Etenim, ut in Disquisitione XVII. Tom. I. Anecdotorum meorum ostendi, antiquis etiam temporibus pia hæc consuetudo non invaluit modo, sed etiam præstantissimorum virorum suffragium tulit. Equidem, ut candide tecum loquar, non is sum, qui tot tumulos in domo Dei commendem, quum non Templa, sed Cœmeteria ingredi nonnunquam videar mihi. Sed qui modum in hujusmodi re opto, non continuo rem ipsam improbo. Quin secundas curas ad idem argumentum deferre nunc placet, palamque facere saltem post Imperium *Constantini* consuevisse Christi Fideles in ipsis sacris ædibus tumulo tradi. Qua in re duo potissimum persequar. Primam scilicet partem impendam in explicandis nonnullis, sive Nazianzeni, sive alius vetusti Scriptoris versibus, in quibus nisi lux aliqua affulgeat, difficile assequemur mentem Poetæ illius. Versabitur altera pars in inquirendo, an revera hujusmodi sepulchra olim interdixerint Imperatores Christianam Religionem professi. Te autem hujus quæstionis Judicem in primis volui, ut aut consensu tuo sententia mea glorietur, aut censura tua corrigatur quidquid confidentius pronunciavero. Certe non poteram neque graviorem, neque doctiorem amicum seligere, quum tibi tum in pro-

profana, tum in facra eruditione tanta fit rerum copia, ut cum præſtantiſſimis quibuſque ævi noſtri certare jam poſſis. Quod niſi jam editis libris tu ipſe palam feciſſes, uberiuſque in dies facturus ſis, intelligeret tamen quicumque novit, te jamdiu ab ampliſſimo Cardinali *Joſepho Renato* Imperiali delectum ad curam leleſtiſſimæ ſuæ Bibliothecæ, & denique ad Romani Lycæi Cathedram evectum a CLEMENTIS XI. P. M. cujus optimi ſimul, ac doctiſſimi Principis de te judicium, non dubito quin futurum ſit cum apud præſentes, tum apud poſteros, abſolutiſſimum tuæ virtutis encomium. Age vero, arenam ſine mora ingrediamur.

II. Uti in memorata Diſquiſitione palam me feciſſe arbitror extra omnem dubitationis aleam poſitum eſt, antiquitus etiam facris in Templis Chriſtianorum Fidelium oſſa fuiſſe compoſita. Quum autem in Occidentalibus Eccleſiis non conceſſum modo, ſed laudabiliter quoque uſurpatum oſtendi, id etiam apud Orientales viguiſſe. Nazianzenus in verſibus, quos nunc primum ego edidi, teſtabitur. Ita ille in *Liviam Amphilochii* uxorem Carm. XVII. Anecdotorum meorum.

> Εἷς δόμος, ἀλλ' ὑπένερθε τάφος, καθύπερθε δὲ σηκός.
> Τύμβος δειμαμένοις, σηκὸς ἀεθλοφόροις.

> *Una domus, ſed inferiori parte ſepulchrum, ſuperiori vero Templum,*
> *Tumulus iis, qui ædificarunt, Templum Martyribus.*

Ecce, ni mea me fallit opinio, *Livia* in Martyrum æde tumulo tradita; ſuperior enim Templi pars Martyribus deſtinata erat; inferior vero, nempe ſubterranea, tumulum cadaveri *Liviæ* præbebat, cujus ſtudio in honorem Martyrum excitata illa Ædes fuerat. Eadem colligi poſſe videntur e *Gregorii* noſtri Oratione X. in funere *Cæſarii* fratris, ubi hæc habentur: Νῦν ἡμῖν ὁ πολὺς Καισάριος ἀποτετήρηται, κόνις τιμία, νεκρὸς ἐπαινούμενος, ὕμνοις ἐξ ὕμνων παραπεμπόμενος, Μαρτύρων βήμασι πομπευόμενος. *Nunc nobis magnus* Cæſarius *ſervatus eſt cinis pretioſus, mortuus laudatus ex hymnis ad hymnos tranſmiſſus ad Martyrum ſacraria cum pompa ductus, &c.* Scilicet ad Martyrum ædem funebri pompa perductum fuiſſe *Cæſarium*, ibique ſepultum juxta facros eorum cineres, intelligimus, ubi complures alii quietis locum ſibi parabant, pie ſperantes fore, ut facilius apud Deum vicinorum Sanctorum patrocinium experirentur, quemadmodum alibi docuimus. Ea alio quoque Nazianzeni Epigrammate nunc primum per me edito diſcimus, *Gregorium* adoleſcentulum humanis functum ab avunculo *Gregorio* juxta puros Martyres fuiſſe appoſitum, καθαροῖς Μάρτυσι παραθέμενος. Neque diverſo in loco tumulata Nazianzeni manet *Nonna*. Ita de illa ſcribit filius in Epigrammate nunc evulgato:

> Σῶμα δ' ἄρ' ἐκ ναοῦ Μάρτυσι παρθέμεθα.
>
> *Corpus vero de Templo Martyribus appoſuimus.*

Tum ipſos Martyres ille his alloquitur:

> Μάρτυρες ἀλλ' ὑπόδεχθε θύος μέγα, τὴν πολύμοχθον
> Σάρκα, καὶ ὑμετέροις αἵμασιν ἐσσομένην.

> *Martyres ergo excipite magnam hoſtiam, laboribus confectum*
> *Corpus, quod ſanguini veſtro ſociatur.*

De ipſa *Nonna* in alio Epigrammate hæc habet Nazianzenus:

> Νηὸς ὅδ', οὐ γὰρ ὅλην Νόνναν θέμις ἦεν ἐέργειν,
> Ψυχῆς οἰχομένης, μοῦνον ἔπισχε δέμας.

> *Templum hoc, non enim totam* Nonnam *fas erat retinere,*
> *Anima egreſſa, ſolum retinuit corpus.*

III. Hiſce exemplis, ſi forte litem non dirimam, clariſſimum addam, e Cappadocia Nazianzeni provincia, atque ab iſtius ævo petitum. *Macrinam* SS. *Baſilii* Magni, & *Gregorii* Nyſſeni ſororem, ejuſque parentes intra Martyrum Baſilicam tumulo datos fuiſſe, certiſſimus auctor eſt idem *Gregorius* Nyſſenus in Oratione de S. *Macrina*, quam ad diem XIX. Julii retulit *Surius*. Inquit enim: *Porro quum inter ſeceſſum, & SS. Martyrum ædem in qua parentum etiam corpora quieſcebant, ſeptem octove intercederent ſtadia,* to-

totum prope diem in eo spatio conficiendo consumpsimus*.** Addit infra: ***Quum parentum jam esset patefactus tumulus, in quem illam decreveramus inferre &c. Denique ait: ***Sacrum illud corpus e feretro tollentes, juxta matrem apposuimus, atque ita votum utriusque complevimus. Uno enim consensu semper oraverant Deum, ut corporibus post mortem copularentur*.** Quibus ex rebus constare satis potest, ut mihi videtur, minime Nazianzeno, ejusve æqualibus displicuisse Christi Fidelium Sepulchra in ædibus Sacris, eumque morem in Cappadocia viguisse, qui altas in Occidente jam egerat radices. His autem positis, tutius progrediemur ad illius Carminis explicationem, quod εἰς τοὺς ἀπορύττοντας τάφους προφάσει Μαρτύρων, ***in effodientes sepulchra prætextu Martyrum***, elucubravit poeta noster, sive alius quispiam certe vetustus auctor; siquidem ibi non ipsam in Templis sepulturam, sed abusus in eam irrepentes, aut ex ipsa consequutos damnat, quemadmodum e singulorum versuum enarratione liquebit. Ita se habent priores:

> Τρισθανέες, πρῶτον μὲν ἐμίξατε σώματ' ἀνάγνων
> Ἀθλοφόροις· τύμβοι δὲ θυῶ πόλον ἀμφὶς ἔχουσιν.
>
> *Ter morte digni, primo quidem miscuistis corpora profanorum*
> *Martyribus: & sepulchra sacerdotem utrinque habent.*

En prior abusus Christianorum sepulturam inficiens, cui viam præcidere molitur poeta. Uti enim dicebamus, spe felicitatis æternæ adducti Christiani juxta SS. Martyrum tumulos ossa sua collocanda curabant. At in piis tantummodo hominibus non subsistit hujusmodi consuetudo; nam ἄναγνοι etiam seu *profani*, & *impii* eamdem sibi in Templis sedem quietis eligere cœperunt. Hinc eos corripit Poeta. Dabimus Scholiastis Ambrosiani MS. verba, sive explicationem versuum eorumdem: ὦ τρισκατάρατοι, καὶ τρισθάνατοι. πρῶτον μὲν ἐμίξατε σώματα ἀνάγνων ἀνδρῶν τοῖς τῶν ἁγίων Μαρτύρων σώμασι. τύμβοι δὲ βεβήλων θυοπόλον πολλάκις μέσον ἔχουσι κείμενον. O ter execrandi, terque morte digni, primo quidem impurorum hominum corpora SS. Martyrum corporibus commiscuistis. Sepulchra vero profanorum Sacerdotem sæpe circumquaque obsident. Et sane τὸ ἀμφὶς in Nazianzeni carmine positum, non obscure significare videtur, sæpe Sacerdotes, dum in Templis supra SS. Martyrum sepulchra incruentum Sacrificium offerrent, hinc, & illinc impiorum, aut impurorum cadavera habuisse.

IV. Atqui piis Sanctorum Patrum mentibus piaculum minime tolerandum videbatur, quod sanctitatis domicilium, aut Ethnicis, aut profanis cadaveribus impleretur. S. *Hilarius* Pictav. Episcopus Christi Domini verba explicans Cap. VIII. Matthæi relata: *Dimitte mortuos sepelire mortuos suos*, hæc scribit ad eumdem locum: ***Ostendit Dominus, inter fidelem filium, patremque infidelem jus paterni nominis non relinqui. Non igitur obsequium humandi patris negavit, sed admonuit non admisceri*** MEMORIIS SANCTORUM *Mortuos infideles; Mortuos autem etiam eos esse, qui extra Deum vivunt.* Quibus ex verbis non modo a Basilicis Martyrum arcenda esse Ethnicorum corpora intelligis, verum etiam *Hilarii* temporibus in more fuisse, ut ibidem tum Christianorum, tum Paganorum corpora tumularentur, & quoniam horum tantum sepulturam improbat *Hilarius*, consequens est, ut ab eodem pia Fidelium consuetudo probata fuerit. Quod si de Idololatris Nazianzenum nequaquam contendas loquutum: quantum etiam flagitium erat, Christianos in vitiorum cœno, dum in vivis agerent volutatos, Cæloque propterea indignos, tam pia sepultura, & Martyrum, ut ita dicam, contactu dignari! Tantam temeritatem cælum ipsum non tulit interdum, quin grandibus prodigiis suam hac de re indignationem aperuit. Certe lib. 4. Dialog. cap. 50. auctor est non uno exemplo *Gregorius* Magnus, cælitus e sepulturis exturbata profanorum, impiorumque cadavera fuisse. Unum ex iis tantum adferam in urbe Genuensi factum. ***Ibi***, inquit S. Pontifex Valentinus, ***nomine Ecclesiæ*** Mediolanensis ***Defensor defunctus est vir valde lubricus, & cunctis levitatibus occupatus, cujus corpus in Ecclesia B. Martyris Syri sepultum est. Nocte autem media in eadem Ecclesia factæ sunt voces, ac si quis violenter ex ea expelleretur, atque turbaretur foras*** &c. ***Mane autem facto aperientes sepulchrum, in*** quo

quo idem Valentinus *poſitus fuerat*, *ejus corpus non invenerunt*. *Quumque extra Eccleſiam quærerent*, *ubi projectum eſſet*, *invenerunt hoc in ſepulchro alio poſitum*, *ligatis adhuc pedibus*, *ſicut ab Eccleſia fuerat abſtractus*. Quibus, aliiſque exemplis recenſitis addit S. *Gregorius*, ita *Petrum* alloquens: *Ex qua re*, Petre, *collige*, *quia hi quos peccata gravia deprimunt*, *ſi in ſacro loco ſepeliri ſe faciant*, *reſtat ut etiam de ſua præſumptione judicentur*, *quatenus eos ſacra loca non liberent*, *ſed etiam culpa temeritatis accuſet*.

V. Non ſolis autem *Gregorii* Magni temporibus piorum mentes juſtitiæ divinæ timor occupabat, ſi ſe abſque meritis tumulandos in ſacris ædibus curabant; ſed eos etiam occupavit, qui Gregorio noſtro Nazianzeno ætate propiores fuere. Atque idcirco nonnulli ſanctitate præſtantes viri, quod nempe demiſſe de ſua vita ſentirent extra Templorum ambitum ſepulchri beneficium exquiſiere. Celeberrimum hujus rei exemplum reliquit S. *Ephrem* Syrus qui in Teſtamento ſuo publici juris jamdudum facto, diſcipulos ſuos ita obteſtabatur. *Ne ſinatis me in Domo Dei poni*, *aut ſub Altari*. *Si quis vero fallacibus rationibus auſus fuerit ſub Altari me collocare*, *ſupernum*, *ac cæleſte Altare talis non videat*. Rationem autem, cur pium officium hoc ſuis interdiceret poſtea ſubdit. *Non enim decet verminem putredine ſcatentem in Templo*, *& Sanctuario Domini reponi &c. non enim homini peccatori*, *atque indigno prodeſt vana gloria*, *& cui præſertim ea non congruit &c. Quorſum igitur honore me afficitis*, *qui me ipſum actionum appellatione non honorari ?* Infra etiam eamdem repetit cauſſam, ita inquiens: *Præterea vel adhortor*, *obteſtorque*, *o viſcera mea deſiderata*, *ne me cum Sanctis ponatis*; *nam peccator ego ſum*, *& minimus*, *& propter inſipientiam ac ſtultitiam meam ipſis appropinquare metuo &c. Non autem iſta dico quod ſocietatem*, *& conjunctionem illorum reſpuam*, *ſed infinitam*, *atque immenſam peccatorum meorum multitudinem inſpiciens*, *exhorreſco & contremiſco*. Quibus ex verbis colligas, minime a ſanctiſſimo viro ſepulchrum in Æde ſacra improbarum; ſed ideo evitatum, quod ſi præ ſancta animi demiſſione timeret, ſi apud Martyres quietem oſſibus ſuis quæreret. Hinc Fratres iterum obſecrat, ut ſe tanquam opprobrium deſpectum, atque abjectum ſepeliant; vilem enim, atque abjectum coram Domino ſuiſque operibus ſe plane confuſum dictitabat. Quod ſi ea ſanctis viris ſententia ſedebat, ut nequaquam in ſacris Templis ſe tumulari paterentur, quanto magis ab hujuſmodi ſepultura abhorrere debebant impii, profanique homines, ne eorum cadaveribus loca ſacra fœdarentur, animabus vero in Tartara projectis major pœna crearetur? Certe quod virtutis cauſſa pii quidam viri fugiebant nefariis ſceleſtiſque impietatis ergo interdicendum fuit, quando iis neque viventium preces, neque ſanctorum patrocinium quidquam ſubſidii afferre amplius poſſent. Jure itaque Nazienzenus conqueritur, quod ſacris in ædibus nullus ſepeliendorum delectus haberetur. Quem abuſum Chriſtiani patres nunquam non ſunt abominati, pluraque deinde Concilia, & Mediolanenſia præcipue ſuſtulerunt Ethnicorum, Judæorum, & hæreticorum cadavera e Templis exſulare cogendo. Ad hæc publici fœneratores ſe ipſos interficientes, blaſphemi in Deum ac Cælites incendiarii, meretrices, concubinarii, ſimiles pravi homines a Chriſtianorum Cæmeteriis, ac Templis arcentur.

VI. Atque hic prior abuſus fuit, quo Eccleſiaſtica olim in Martyrum Baſilicis ſepultura vexabatur. Ad alterum veniamus his verſibus a noſtro Poeta deſcriptum.

> Δεύτερον αὖτε τάφους τοὺς μὲν διεπέρσατ' ἀθέσμως;
> Αὐτοὶ σήματ' ἔχοντες ὁμοῖα.
>
> *Deinde vero tumulos alios quidem evertiſtis nefarie*,
> *Ipſi ſepulchri habentes ſimilia*.

Sæculo Chriſti quarto ut in Notis etiam ad Carmen εἰς Μαρτυριανὸν animadverti peſſima invaluerat conſuetudo, ut paſſim mortuorum tumuli dejicerentur, ſeu divitias ibi ſomniatas homines perquirerent, ſeu marmora ex alienis aſportata ſepulchris divendere, aut in uſum ſuum convertere vellent. Hinc Templorum, in quibus, aut juxta quæ, ſita erant ſepulchra, nulla habebatur religio, & confuſa ſepultorum fidelium quiete, Martyrum etiam tumulis quodammodo bellum indicebatur. Tantum flagitium legibus compe-

ſce-

ſcere, ſuum eſſe arbitrati ſunt Imperatores; quare *Conſtans* Auguſtus anno 340. Mediolani agens contra Sepulchrorum violatores edictum promulgavit, cujus exordium eſt: *Si quis in demoliendis ſepulchris fuerit adprehenſus, ſi id ſine Domino conſcientia faciat, metallo adjudicetur*. Vide *Legem* I. *Cod. Theodoſ. de Sepulchr. viol.* Altera etiam Lege idem Imperator A. C. 349. ſepulchra demolientes perterruit, quam reperire eſt in eodem Codice Theodoſ. Tit. memorato una cum aliis Conſtitutionibus ad hanc rem attinentibus. Ea de cauſſa tot verſibus a Martiniani tumulo confractores avertere ſtudet Nazianzenus, cujus etiam carmina Jambica exſtant quam plurima κατὰ τυμβωρύχων, ſive *contra ſepulchrorum effoſſores* in Billiana editione, & nos multa plura nunc dedimus in Anecdotis noſtris.

VII. Propterea in id genus homines excandeſcit *Gregorius* noſter, & cur, inquit, alienos evertitis tumulos, cum & ipſi tumulos corporibus veſtris jam paraveritis, factoque aliis exemplo idem cineribus poſtea veſtris periculum imineat? Quum vero exportatis de alieno ſepulchro ruderibus, & ſaxis quidam exornarent ſanctorum Martyrum monumenta, in ſubſequenti Carmine his eos verbis Poeta caſtigat

> Μέχρι τίνος τύμβοις Μάρτυρας ἀλλοτρίοις
> Τιμᾶτ', εὐσεβέοντες, ἃ μὴ θέμις;
> *Uſquequo tumulis alienis Martyres*
> *Honoratis, pii, quatenus non licet?*

Hoc eſt, cur alienorum tumulorum ſpoliis ſanctorum Martyrum ſepulchra honorari poſſe creditis; cur pietatis famam ex illata aliis injuria conſectamini; atque his animadverſis facile, ut reor, liquebit, quid titulus ſonet hiſce Carminibus a Poeta noſtro inſcriptus: εἰς τοὺς ἀνορύττοντας τάφους προφάσει Μαρτύρων, *in eos qui tumulos effodiunt, occaſione*, ſive *prætextu Martyrum*. Ut enim Martyrum monumenta, quæ difficillimis Eccleſiæ Chriſtianæ Temporibus, dum Ethnicorum tyrannica vis in Chriſti populum debaccharetur, veluti deſpecta fuerant, nulloque ornamento diſtingui potuerant, reddita ſub piis Imperatoribus pace, illuſtrarentur, licitum ſibi nonnulli arbitrabantur, aliena evertere ſepulchra & ex eorum marmoribus tumulos SS. Martyrum ditare. Itaque pium hoc, ut ita dicam, ſacrilegium improbant idem cælites, ita per os Nazianzeni comminantes:

> Ὅς βήματα δ'ἄμμιν ἐγείρει
> Ἀλλοτρίοις λίθοις, μηδὲ τάφοιο τύχοι.
> *Qui autem ſacraria nobis exſtruit*
> *Alienis lapidibus, is nec ſepulturam conſequatur.*

Veruntamen ab Ambroſiano Scholiaſte MS. inter explicatos videri verſus iſtos non diſſimulo: ſiquidem in hanc ſententiam loquitur: ὅστις δὲ ἐν τοῖς ἀλλοτρίοις βήματα ἡμῖν ἀνεγείρει, καὶ ἀτίμοις, καὶ βδελυραῖς φέρει τιμὰς, μηδὲ τάφου τύχοι τοῦ νενομισμένου. *Quicumque vero in alienis tumulis ſacraria nobis excitat, quum ignominioſis, atque abominandis nos afficiat honoribus, neque ipſe legitimam juſtamque ſepulturam ſortiatur*. Ac ſi diceret, conſueviſſe quoſdam inter hominum impiorum ſepulcra conſtruere Baſilicas Martyrum, aut ipſa in ſacras Ædes convertere. Ut lubet eruditi judicent. Sed ſi pro ἐν legamus ἐκ τοῖς ἀλλοτρίοις τάφοις, *ex alienis tumulis* facile germanum ſenſum exigua mutatione reſtituemus.

VIII. Tertium nunc perpendamus abuſum, quem his verſibus refert Poeta noſter;

> τοὺς δὲ (τάφους) ἀπέδοσθε
> Πολλάκι, καὶ δὶς ἕκαστον, ὁ δὲ τρίτον.
> *Alios autem* (tumulos) *vendidiſtis*
> *Sæpe & bis unumquemque; aliquis & ter* (vendidit.)

Eo nonnullorum avaritia devenerat, ut minime ſibi religioni ducerent monumenta vendere, & ut ita dicam de tumulis communione locorum ſacrorum ſanctificatis mercaturam facere. Certe Chriſtianæ plebis pietatem illud nequaquam decebat, quum & a ſacris officiis, & a locis populorum religione, & ſacramentorum præſentia conſecratis turpe lucrum exſulare debeat. Animadvertendum autem, apud ipſos Ethnicos tanto in pretio ſepulchra fuiſſe, ut minime eorum alienatio permitteretur. *Gordianus* Imperator *l.* I. *cod. de Sepulchr. viol.* reſcripſit *res religioni deſtinatas quin immo jam religionis*

effectas, *scientes qui contigerint*, *& emere*, *& distrahere non dubitaverint*, *tametsi jure venditio non subsistat*, *læsæ tamen religionis inciderunt in crimen*. Et quoniam inter hujusmodi res religioni destinatas monimenta mortuorum computabantur, certe eorum alienatio interdicta erat. *Ulpianus* idcirco l. si quis sepulchrum. §. *Senatusconsulto ff. de Religios. & sumtib. 6. fun.* edicto cautum affirmat, *ne usus sepulcrorum permutationibus polluatur*, hoc est, ne venumdetur. Ad hæc *Antonius* Augustus in *l.* 2. & Alexander Aug. in *l.* 2. & Alexander Aug. *l.* 9. *Cod. de relig. & sumt. funer.* apertissime sanxerunt, nefas esse mortuorum monumenta vendere. Quintuplicis legibus talem venditionem interdicentibus non contenti, quidam privatis etiam pœnarum minis jura tumulorum suorum tuebantur. Ita apud *Gruterum* pag. 672. num. 1. Aur. Maximianus filiæ sepulcro inscripsit: *si quis hoc sepulchrum*, *vel monumentum cum ædificio universo post obitum meum vendere vel donare voluerit*, *corpus alienum invehere velit*, *dabit pœnæ nomine* ark. *Pont. L. S. C. N. & ei cui donatum*, *vel venditum fuerit*, *eadem pœna tenebitur*. Similes aliæ inscriptiones non paucæ exstant. Quod si gentilibus tanta erat sepulchrorum suorum cura, quanto major Christianis futura erat in spe resurrectionis innutritis & corporum immortalitatem post supremum Judicii diem expectantibus: immo quanto turpius fuit apud Christianos, quam apud Ethnicos e tumulorum venditione lucrum quærere, quum in ædibus sacris eorum, horum vero semper in campo & sub dio sepulchra constituerentur? Hoc igitur hominum genus poeta noster increpat, & Martyres ipsos flagitiis istis lædi clamat.

> *ἱεροσυλεῖς*
> Μάρτυρας, οὓς φιλέεις. Σοδομίτιδες εἴξατε πηγαί
>
> ..... *sacrilegio lædis*
> *Martyres*, *quos amas*. *Sodomitici cedite fontes*.

Videlicet o Sodoma cede, major enim est ho um, quam tua improbitas.

IX. Atque hactenus qui fuerint abusus piam Christianorum in Templis sepulturam consequuti, luculente perspeximus. Et eos quidem Nazianzeni zelus nequaquam ferebat, quamvis alioqui non toleraret solum, sed exemplo etiam suo probaret fidelium sepulchra sacris in ædibus. At graviores nunc erumpunt in Christianorum sepulturam arietes, non ut ejus tantum abusus concutiant, sed etiam ut ejus usum prorsus evertant. Nimirum producitur *Lex 6. Cod. Theod. Tit. de sepul. viol.* quam anno 381. *Eucherio* & *Siagrio* coss. promulgavere Imperatores, *Gratianus Valentinianus*, & *Theodosius*, his concepta verbis: *omnia quæ supra terram urnis clausa*, *vel sarcophagis corpora detinentur*, *extra urbem delata ponantur*, *ut & humanitatis instar exhibeant*, *& relinquant incolarum domicilio sanctitatem &c. Ac ne alicujus fallax & arguta solertia ab hujus se præcepti intentione subducat*, *atque Apostolorum vel Martyrum sedem humandis corporibus æstimet esse concessam*, *ab his quoque ita*, *ut reliquo civitatis*, *noverint se*, *atque intelligent esse submotos*. Postrema hæc Periodus non Heterodoxos dumtaxat, sed nonnullos etiam Orthodoxos in eam opinionem induxit, ut arbitrarentur fidelium sepulturam in Martyrum Basilicis omnino fuisse interdictam. Atqui in ea sententia fuisse videntur doctissimi viri *Gretserus* l. 2. cap. 8. de fun. Christ. *Spondanus* lib. 1. part. 3. cap. 14. de Cœmet. Sacr. *Gonzalez* in Notis ad lib. 3. Decretal. Tit. 28. de Sepulchr. cap. 1. ac *Thomassinus* Tom. 3. lib. 1. cap. 66. de Benef. Censet autem *Spondanus* ab Imperatoribus legem hanc in omnes Christianos latam hortatu præsulum, ad retundendam hanc ratione eorum perulantiam, qui cunctis indiscriminatim id concessum existimarent, quod sacris dumtaxat, & pietate insignibus personis tribuebatur nempe, ut indignis aditus præcluderetur, dignos quoque una lege excludere consultius visum fuit.

X. Nihilominus re serio perspecta, nihil in laudata sanctione contra Fidelium sepulchra constitui, aliamque Imperatorum fuisse mentem, fidenter affirmo. Quibus ut pateat, memoria repetendum est, Lege XII. Tabularum cautum fuisse, *ne homo mortuus in urbe sepeliretur*, *neve ureretur*. Sive id Majoribus nostris placuerit, ut civium saluti melius consuleretur, amotis ab Urbe cadaveribus, sive quod mortuorum conspectum aversarentur

tur, diu Lex illa inter Romanos, aliasque gentes obtinuit. Senatus etiam Consulto circiter annum 490. ab Urbe condita *Duillius* Consul veterem firmavit legem, ut auctor est *Servius* ad Lib. 11. Æneid. *Ante etiam*, inquit is, *in Civitatibus homines sepeliebantur: quod postea* Duillio *Cos. Senatus prohibuit, & lege cavit, ne quis in urbe sepeliretur*. Post hæc *Hadrianus* Imperator *Ulpiano* perhibente in *l. 3. 9. 5. ff. de sepulchr. viol. ac Antoninus* Pius *Julio* Capitolino teste in ejus vita, *intra Urbes sepeliri mortuos vetuerunt*. Extat etiam hac de re *Diocletiani*, & *Maximiani* decretum in l. 12. cod. de religios. & *sumt. fun.*, ut missa faciam *Pauli* Jurisconsulti, aliorumque veterum verba.

XI. Tametsi vero sepulturam urbanam tot Leges improbassent, Christiana tamen Religione cum Christianis Imperatoribus invalescente, tum Basilicæ Martyrum, tum Cœmeteria in civitatibus sensim extrui cœpta sunt. Illic dabant operam Christiani, ut Cadavera sua componerentur, fructum, ut diximus, e vicinis Sanctorum Reliquiis pie sperantes. Novæ propterea consuetudini edicta veterum Imperatorum succurrebant, liberumque sibi quisque ducebat in urbibus tumulari. At Constantinopolitani Imperatores populorum licentiæ obviam eundum arbitrati, Lege laudata sanxerunt, ut nemo in posterum sepeliretur in urbe, quæ vero cadavera urnis vel sarcophagis inclusa super terram intra urbis mœnia continebantur, extra urbem deferrentur. Ne vero quis legem eluderet existimans; quamvis urbana sepultura generaliter prohiberetur, hac tamen generali prohibitione sepultura in Martyrum Basilicis non cohiberi: additum est non a reliquis tantum urbis Constantinopolitanæ locis, sed ab ipsa nominatim *Apostolorum ac Martyrum sede* urnas esse submovendas. Hæc Legis frons est, & sensus germanus.

XII. Quædam autem consideranda heic præcipue occurrunt. Et primo, hinc etiam aperte probari, sæculo Costantiniano Apostolorum, vel Martyrum ædem humandis corporibus fuisse concessam. Qui enim hujusmodi sepulturam Imperatores interdicerent, nisi antea in more fuisset? Secundo laudatam Constitutionem pro una tantum Urbe Constantinopolitana editam, atque in ea urbis tantum illius, non vero ceterarum, mentio habetur. Quare, tam etsi hac in lege a sepulchro in Ædibus sacris quærendo Christiani absterrerentur, non omnes tamen Imperio Romano subjecti, sed Cives dumtaxat Constantinopolitani ea prohibitione tenebantur, licebatque propterea in aliis urbibus tumulum intra Martyrum Ædes impetrare. Tertio a Martyrum ac Apostolorum templis Christianorum cadavera fuisse submota non directe quidem atque animo revera hujusmodi sepulturam improbandi, sed indirecte, & ex consequenti. Ni ita ab Imperatoribus cautum fuisset, nullum successum sibi Lex spopondisset, immo plane irrita jacuisset, siquidem sibi quisque in urbanis Templis sepulturam postea quæsiisset causaturus, pium apud Sanctos Martyres tumuli usum edicto generali minime fuisse comprehensum. Non igitur ideo sepultura urbana interdicta est, ut Christianorum cadavera a sacris ædibus arcerentur, sed ideo sepulchra in eisdem Ædibus interdicta, ut ab urbana sepultura quilibet excluderetur. *Ab his* (edicti sunt verba) *sacris Ædibus ita ut a reliquo civitatis noverint, se intelligent esse submotos*.

XIII. Quamobrem deinceps etiam fas erat in suburbanis Basilicis sepulchro donari; quod certe hac Lege nequaquam vetabatur, Legibusque etiam antiquis consentaneum erat, quæ sepulturæ tantum urbanæ usum non sustinebant. Atque hanc præter alias fuisse quoque caussam veteribus Christianis, vel postquam sanctæ Religioni nomen Imperatores dederant, cur Basilicas extra urbes conderent, nempe, ut ibi cum sacri Martyrum cineres, tum aliorum quandoque Fidelium ossa, Legum jure incorrupto componi possent. Ne ab Urbe æterna, in qua præclarissimæ Basilicæ, & Vaticana potissimum, olim extra pomœriæ exstructæ fuerant, hujus moris exempla putamus, sit satis amplissimas, ac vetustiores Mediolanensis Urbis mihi notissimas recensere Basilicas, quæ nunc quidem amplificata Civitate uno mœnium ambitu cinguntur, sed antiquitus suburbano in agro conspiciebantur. *Philippi* enim Basilica (nunc S. *Francisci*) Portiana (nunc S. *Victoris*) Dionysiana, & Eustorgiana, ut nos antiqua monimenta docent, in suburbiis sitæ fuerant, quemadmodum, & quæ S. *Simpliciani* nomine conspi-

spicua est. Quin Sanctus Antistes *Ambrosius* Basilicas minimum duas, unam & SS. Apostolis nomen habentem, quæ deinde Nazariana nuncupata fuit, alteramque de suo nomine excitavit, utramque procul dubio extra Urbem, ut in iis libere quorumdam etiam Christianorum cadavera tumulo traderentur.

XIV. Vides igitur, minime probari posse sententiam affirmantium, sepulturam Fidelium Imperiali decreto in quibuscumque Ædibus sacris fuisse damnatam. Evidentius autem constabit, illic de sola sepultura urbana fuisse actum, ubi promulgandæ Legis rationes expendantur. En ullas: *Ut mortuorum corpora extra urbem delata humanitatis instar exhibeant, & relinquant incolarum domicilio sanctitatem*. Videlicet, ut juxta vias publicas in Cœmeteriis posita mortalitatis imaginem prætereuntium oculis exhiberent, humanæque conditionis admonerent viatores. Tum ut ne nota Urbs a sepulchris occupata ab iisdem Sancta, & sacra efficeretur, atque ut locum incolarum viventium sanctitati relinquerent. Non enim sola apud antiquos, ut nosti, sepulchra ad religionem spectare credebantur, *Sanctaque* idcirco, *sacra & religiosa* appellari solebant, sed loca etiam adjacentia, ædificia, agrique circumpositi *religione* & *sanctitate* obligabantur. Id sexcentis tum Ethnicorum, tum Christianorum exemplis constare potest, quæ apud *Spondanum* leguntur lib. 1. part. 1. cap. 9. de Cœmeter. sacr. & Lib. 3. Cap. 15. & apud *Kirchman*. lib. 3. cap. 21. de Funer. Roman. & apud *Gutherium* de Jure Man. lib. 3. cap. 9. Necessum igitur fuit extra urbes sepulchra compellere, ut ea in civitatibus loca tantum essent sanctitate obstricta, quæ incolarum pietati ac Templorum religioni consentanea viderentur. Atque hæc potior fortasse, verique similior Legis interpretatio est, quam quæ a *Gothofredo* adfertur, nempe, ideo vetitam in Urbe ab Imperatoribus laudatis mortuorum sepulturam, *ne sacra Civitatis funestarentur*, quemadmodum *Paulus* Jurisconsultus lib. 2. recept. sentent. Tit. 21. scripsit. Nimium superstitionem, ac Gentilium indolem ea ratio redoluisset, Principibus certe Christianis indigna. Quod si temerariæ conjecturæ periculum non immineret, pro *Sanctitate*, ut habent editi libri, *Sanitatem* legendum heic opinari possemus, nimirum ne cadavera pestiferis exhalationibus Urbem inficerent, neve cum incolarum viventium salute fœtor mortuorum corporum confligaretur. Si igitur sepultura, non ab urbanis tantum, sed etiam ab omnibus Martyrum Templis, avertere Imperatores statuissent, aliquam procul dubio prohibitionis hujus universalis rationem attulissent, puta, ne Domus Dei, ubi purissimum omnium sacrificium peragitur, funeribus impleatur, aut ut impii sepeliri vetarentur eodem in loco & similia. Verum nihil minus cogitarunt Principes, memoratæ Legis auctores, quibus in animo tantum erat ab una urbe eliminare sepulchra, atque ideo suburbanis Basilicis eorumdem usum relinquere.

XV. Quæ quum ita sint, jam intelligere possumus a Constantinopolitanis Imperatoribus nunquam, nisi indirecte, & ut Scholarum vocabulo utar, nisi per accidens, cautum fuisse, ne in sacris Ædibus Fidelium Sepulchra haberentur. Sæculo vero sequenti *Leo* Imperator, quum hujusmodi prohibitionem Christianorum pietati minime congruam reputaret, liberum cuicumque fecit, vel intra Urbes tumulari, Legemque contrariam abrogavit, atque a Legum Civilium corpore delevit Constit. Nov. 53. πῶς γὰρ, inquit is, οὐκ ἔστι τὴν ἀνθρωπίνην φύσιν αἰσχύνειν, ὅταν μὴ βούληται ὁ νόμος μὴ κρύπτεσθαι, εἰ μὴ ἔξω πόλεων φέροιτο τὸ λειφθὲν ὑπὸ τοῦ θανάτου σῶμα; *At quod Lex mortuorum corpora nonnisi extra Urbes humari vult, quomodo id humanam naturam dedecore afficere non est?* Equidem heic improbari quamdam Legem *Hadriani* Augusti relatam in *ff. de sepulchr. viol.* hoc est, *l.* 3. *Divus* Hadrianus non autem eam quam a Constantinopolitanis Augustis promulgatam vidimus, arbitror; siquidem ab una Urbe *Constantini* iidem Imperatores sanxerant amovenda esse sepulcra; *Hadrianus* vero maiorum superstitionem sequutus ab omnibus Imperii Romani civitatibus arcuerat. Sed quidquid sit, certe Cl. V. *Thomassinio* assentiri non possum, qui per hanc *Leonis* Legem restitutum Sepulchrorum usum in sacris Ædibus opinatur, propterea quod a laudatis Imperatoribus Christianis in memorata Lege hujusmodi sepulturam proscriptam fuisse ille sibi persuaserat. Leo *Sapiens*, inquit is Par. 3. lib. 1. cap. 66. de Benef. *indulsit ut sepeliri fas esset in urbibus*,

hec

hoc est in Ecclesiis. *Ita enim promptum est de ejus mente conjectari*. Sed *Leonis* Imperatoris verba perquam clara nullius interpretationis indigent. Urbanam sepulturam priores Imperatores proscripserunt; eamdem *Leo* restituit. Nulla heic de Ecclesiastica sepultura mentio, neque id indulgetur quod nunquam antea fuerat interdictum.

XVI. Nugantur vero, seque mirum in modum torquent Jurisconsulti quidam & *Civilium* Legum interpretes, ut *l*. 2. *nemo c. de sacros. Eccles*. explicent his conceptam verbis; *Nemo Apostolorum, vel Martyrum Sedem humanis corporibus existimet esse concessam*. Hi enim sacris in Ædibus mercimonia vetita, illi habitationem prohibitam arbitrati sunt; alii etiam laicos in Choro morantes dum sacra persolvuntur heic damnatos somniarunt. Verum si fontem, unde hausta a *Justiniano* illa fuit, petiissent, nempe laudatam l. 6. *Cod. Theod. tit. de sepul. viol.*, primo errorem in verbis deprehendissent, quum *pro humanis corporibus* legendum sit *humandis corporibus*; tum intellexissent, humanorum corporum in sepulturam in Byzantinis Apostolorum & Martyrum Basilicis fuisse interdictam. Quum vero Imperatores præcedentes hujusmodi jure urbana tantummodo, ut visum est nobis, Urbis Constantinopolitanæ Templa privarint, dubitandi relinquitur locus, utrum per eam Legem renovatam *Justinianus* non ab urbanis tantum, sed a suburbanis Templis sepulchra eliminarit. Equidem nego; quippe nihil amplius præstitit Imperator, quam edicta Majorum, ac *Theodosii* præsertim, repetere, novoque edicto confirmare. Et quoniam uti dictum est, urbanam tantum in Basilicis sepulturam *Theodosius* vetuerat; idem ipsum *Justinianus* voluisse censendus est. Secus aliis usus fuisset verbis, prohibitionem ad omnia Templa extensurus.

XVII. Ejusmodi autem interdicto sacra Templa extra urbes posita nequaquam fuisse obnoxia, exemplis quoque nonnullis in exordio disputationis hujus productis palam factum puto. Quibus nunc addendum ab ipsius *Constantini* M. temporibus intra ipsas Basilicas urbanas consuevisse tumulari Imperatorem, & Episcoporum corpora, ut ex certissimis monimentis liquet, quæ *Du-Fresnius* in Constantinopoli Christiana refert lib. 4. pag. 108. & sequ. Præterea de *Jacobo Maronis* discipulo, viro sanctitate singulari prædito, in Vitis Patrum Cap. 21. *Theodoretus* hæc tradit, *Construxi*, inquit egregius Scriptor, *ego quoque locum in Æde Victoria insignium Apostolorum. Sed quum hoc rescivisset vir divinus, sæpe me rogavit, ut in illo monte corpus mandaretur sepulturæ*, &c. *Nihilominus humilis vir: Non patiar, inquit, hoc vocari sepulchrum* Jacobi, *sed volo hanc fieri Ædem Martyrum victoria insignium: me autem tanquam aliquem inquilinum poni in altero sepulchro, ut qui dignus habitus sim, ut apud eos habitarem. Neque vero hoc solum dixit, sed etiam fecit, & quum multos quidem Prophetas, multos autem Apostolos, maxime autem plurimos Martyres undique collegisset, eos posuit in una arca, volens simul habitare cum populo Sanctorum, & desiderans cum eis resurgere & dignari Dei contemplatione*. Itaque in Martyrum æde suum corpus sepulturæ mandandum curavit *Jacobus*, ut mortuus quoque una cum iis habitaret, quorum vivens Reliquias collegerat, atque coluerat. Accedat etiam testis luculentissimus S. *Hieronymus* scribens Epist. 27. *Paulæ* Romanæ sepulturam his explicat verbis: *Psalmi in ordine personabant, non solum triduo, donec subter Ecclesiam, & juxta specum Domini conderetur* Paula &c.

XVIII. His igitur hactenus prolixo sermone adnotatis, absque temeritatis periculo affirmari posse mihi videtur, piam intra Sacras Ædes Christianorum sepulturam ab Imperatoribus minime fuisse improbatam, sed in una tantum Constantinopoli, idque non ejusmodi sepulturæ contemptu, sed ut ab Urbe tot sepulchra mortuorum abessent. Nunc superest, ut perspiciamus, quæ praxis deinde fuerit in sepeliendis Christianorum corporibus. Diversum hunc morem Ecclesiastica Disciplina fecit & in quibusdam Provinciis licuit apud Sanctos Martyres tumulari, in aliis vero nequaquam. Romæ id numquam interdictum plurima antiquitatis documenta suadent. *Loaysa* in Notis ad Concilium Bracarense decretum MS. *Pelagii* II. P. M. anno 580. promulgatum, se vidisse in S. *Laurentii* Bibliotheca testatur, in quo cautum, ut *corpora defunctorum nullo modo intra Basilicam, sed si necesse est foris circa murum Basili-*

silicæ sepelirentur. Quamquam a veritate hæc absint, *Gregorii* Magni, qui *Pelagio* in Pontificatus munere proxime successit, lucubrationes luculenter produnt. Sanctissimus enim vir piorum sepulturam intra Basilicas ubique probat, facile non facturus, si contra hujusmodi ritum pronunciatus esset ille decessor. Itaque *Loaysam* vitiato Codice, aut apocrypho monumento usum merito suspicemur.

XIX. Neque *Nicolao* I. Pontifici maximo alia sententia fuit; nam percunctantibus Bulgaris, an intra Basilicas sepeliendi forent Christiani, respondit: *Hanc Sanctus Papa* Gregorius *quæstionem absolvit, dicens: Quum gravia peccata non deprimunt, hoc prodest mortuis, si in Ecclesia sepeliantur: quod eorum proximi, quoties ad eadem sacra loca conveniunt, suorum, quorum sepulcra aspiciunt recordantur, & pro eis Domino preces fundunt.* &c. Mediolani eamdem quoque piam consuetudinem viguisse, S. *Ambrosii* verba exemplaque Tom. I. Anecdot. Latin. relata uberrime testantur; eamque Nolæ etiam usurpatam fuisse ostendimus. Neque aliter in Africa factum est. In Hispaniis tamen Concilium Bracarense An. Ch. 563. celebratum consuetudini illi obviam ivit; Canone etiam XVIII. hæc statuit: *Placuit ut Corpora defunctorum nullo modo in Basilica* (Calii Codices *intra Basilicas* præferunt) *sepeliantur. Sed si necesse est de foris circa murum Basilicæ, usque adeo non abhorret*. En locus unde suppositirium *Pelagii* II. edictum, quod nuper notavimus, derivatum mihi videtur.

XX. In Galliis vero diu Christianorum corpora in sacris Ædibus sepulturæ mandata fuisse, non modo *Gregorius* Turonensis pluribus in locis testatur, sed alia exempla palam faciunt. Auctor Vitæ S. *Cæsarii* Arelatensis Episcopi Basilicam ab eo exædificatam scribit, & sub pavimento arcas lapideas, ut ibi Sanctimoniales tumularentur, collocatas fuisse. *Et ut offerret*, inquit, *Sacris Virginibus*, *quas congregaverat*, *curam necessariæ sepulturæ nobiles arcas corporibus humandis aptissimas de saxis ingentibus noviter fecit incidi, quas per omne paviment um Basilicæ constipatas sterni fecit ordine*. Verum quod fortasse in eam sepeliendi consuetudinem abusus irrepserant, Galliarum partibus placuit, a Templis removere mortuorum sepulchra. Ignotum est, quo anno Concilium Namnetense habitum fuerit: perantiquum tamen esse constat. In ejus autem Canone VI. prohibetur, ut in Ecclesiis nullatenus sepeliatur vita functi, sed in atrio, aut in porticu, aut in exedris Ecclesiæ. Canonem hunc ad Concilium Vasense refert Gratianus in c. præcipiendum 13. quæst. 2.

XXI. Theodulphus Aurelianensis in epist. ad fratres, & Compresbyteros suos in eamdem sententiam scribit. Antiquus in his regionibus in Ecclesia sepeliendorum mortuorum usus fuit, & plerumque loco divino cultui mancipata, & ad offerendas Deo hostias præparata, Cœmeteria, sive polyandria facta sunt. Unde volumus ut ab hac re deinceps abstineatur, & nemo in Ecclesia sepeliatur, nisi forte talis sit persona Sacerdotis, aut cujuslibet justi hominis, quæ per vitæ meritum talem vivendo suo corpori defuncto locum acquisivit.

Tum corpora quæ antiquitus in sacris Ædibus humata fuerant, nequaquam projicienda monet, sed altius in terram immergenda, ita ut supra pavimentum nulla tumulorum vestigia supersint: quod etiam Sanctissimus Mediolanensium Antistes Carolus Borromæus faciendum curavit, ac jussit in Concilio provinc. I. Cap. de Sepulturis & in Synodo Diœces. IV. Decr. 37. & alibi.

XXII. Porro in *Theodulphi* verbis duo potissimum animadverteris. Primum est, non recenter invectam, neque invalescentem tunc in Galliis consuetudinem illam fuisse, uti Clariss. *Thomassinus* par. 3. lib. I. cap. 67. de Beneficiis minus recte appellat, sed antiquam plane & multorum forsitan sæculorum usu confirmatam. Alterum est, quandoquidem tanta in locis Divino cultui dicatis cadaverum moles creverat, ut non jam Templa sed Cœmeteria viderentur, hunc abusum a Theodulpho sublatum, relictamque tamen huiusmodi sepulturæ facultatem tum Sacerdotibus tum Laicis, qui explorata, dum in vivis agerent, pietatis signa dedissent; idem quoque a Concilio Moguntino An. Ch. 813. constitutum est Can. 52. quem refert Gratianus in c. nullus 13. quæst. 2. At quum sibi quisque piæ vitæ in sæculo peractæ testimonium adscriberet, ideoque pauci humanis functi a Basilicis arceri possent, Laicis quibuslibet a Carolo M. in-

interdictum est, ne in Templis sepulturæ mandarentur, quod Capitularia nos docent lib. 1. cap. 159. & Lib. 5. cap. 48. Eadem sancita reperies a Concilio Triburiense cap. 17. Anno 895. Multorum subinde Conciliorum hanc in rem prodiere decreta, quæ quum varium disciplinæ Ecclesiasticæ usum præferant, atque ab illis Scriptoribus sedulo congesta fuerint, omittenda mihi in præsentia videntur.

Cæterum quæ hactenus exposuimus, in eam nos sententiam facile ducunt, ut affirmemus, antiquis etiam Christi Fidelibus licuisse ita Templorum ambitum tumulo tradi, idque sæculo potissimum quarto, quo Nazianzenus degebat. Ne igitur piam istam nostrorum temporum consuetudinem ac si Gregorii tantum Magni ævo nata fuerit, Sacrarumque Basilicarum decori sit minus consentanea, Heterodoxi damnent, quando illam tot veterum Patrum non exempla solum, sed ipsi etiam calculi probant. Laudabile quidem & ego arbitror juxta sacras Ædes in Cœmeteriis sepulcra quærere, ut animi demissi confessio prodatur, simulque ut ob sacrorum reverentiam cadavera Christianorum ab aris distent, in quibus immaculati Agni Sacrificium peragitur. Verum non idcirco minus eorum pietas est commendanda, qui intra ipsas Ædes sacras humilem & ambitionis nesciam sibi parant sepulturam, tum ut Martyres ibi contumulatos apud supremum Numen patronos sentiant, tum ut viventes mortalitatis commonefaciant, & ab eis facilius precum, & orationum impetrent opem.

Atque hæc habui, *Fontanine* eruditissime, quæ in veterum Christianorum sepulchra commentarer, ut ritus nostros cum antiquis consentire ostenderem, & Nazianzeni (si tamen is Auctor) versibus quibusdam facem aliquam præferrem. Tu aut tristi argumento, aut bono sermoni ignosce, meque tui amantissimum, ut facis, amare perge.

R. P. JOHANNIS CABASSUTII

ORATORII DOMINI JESU

De discrimine inter Episcopos, & Presbyteros jam inde ab ipsis Ecclesiæ exordiis

DISSERTATIO XXXIII.

I. INfausto quodam omine conscripti a quodam Batavo Calviniano libri adversus Episcoporum dignitatem, & quod mirum est, insulsi, inepti, perpetuisque ipsius auctoris adversus semetipsum contradictionibus referti, nonnullos etiam Catholicæ professionis adeo ludificantur, ut etiam editis in lucem libris non dubitarint hunc asserere errorem, in Catholicæ professionis viris intolerabilem: nihil fuisse discriminis inter Episcopos, & Presbyteros primis Ecclesiæ sæculis, quod attinet ad officium dignitatemque, sed qualecumque nunc temporis invectum sit, id omne novitatem redolere; ab initio autem non sic fuisse. Prætermitto hic vetustissimorum Scriptorum monumenta, quæ omni perspicuitate convincunt istam inter utrosque differentiam, adeo ut omnes Episcopi præcipuum quid haberent, neque cum inferioribus Sacerdotibus commune; ita ut non omnes Sacerdotes essent, aut dicerentur Episcopi, atque istos præfuisse non solum ratione ordinationis, quæ tamen suprema est in Ecclesiæ regimine dignitas, sed etiam in confirmandi potestate, qua confertur Spiritus Deus, in aliis manuum impositionibus, in consecrationibus

nibus Ecclesiarum, Altarium, sacrorum Vasorum, & Virginum, in potestate jurisdictionis Ecclesiasticæ interioris atque exterioris, in auctoritate publice decernendi, in inflictione censururum aliarumque pœnarum Ecclesiæ, in dispensationibus, mandatis, jussionibus, in officiis, & Beneficiis conferendis, aut amovendis, in promulgandis legibus, aut decretis, in Synodis convocandis, in sacro conficiendo chrismate, aliisque innumeris functionibus, quas regimen requirit humeris Episcopalibus incumbentis Ecclesiæ. Ordinatio pariter Episcopalis longe diversa fuit a communi Sacerdotali, adeo ut per hanc consecrationem Spiritus sanctus talem illis impertiatur potestatem, & regendi Ecclesiam auctoritatem, qualem ex vi propriæ consecrationis cæteri Sacerdotes minime nanciscuntur, aut nancisci potuerunt ab initio; nec deinceps poterunt adusque mundi finem. Idque non humana licentia, sed fide prorsus ad salutem æternam necessaria tenendum.

II. Epiphanius hæresi 76. Aerium Hæresiarcham ab Ecclesia eo nomine damnatum perhibet, quia omne tollebat Episcopi, & simplicis Sacerdotis discrimen, eosque in omnibus volebat baberi pares. At Epiphanius longe dispares esse probat ratione ordinationis, quæ solis ab Episcopis fieri potest. Verba ejus omnino digna sunt, quæ mentibus fidelium infigantur. *Episcoporum ordo est ad gignendos Patres, nam Ecclesia patres, id est Sacerdotes, progignit. At Sacerdotum ordo cum nequeat Patres progignere, generat tamen per lavacrum regenerationis filios Ecclesiæ. Quomodo enim posset Patres progignere potestate carens manuum impositionis?*

III. Quantos vero ætatis possumus Apostolicæ, atque adeo ab ipsis Apostolis consecratos Episcopos proferre? Jacobum Jerosolymis Domini fratrem, quique huic successit Simeonem; itemque Marcum Alexandriæ, & qui ei successit Anianum; Evodium Antiochiæ, & hoc defuncto Ignatium, Smirnæ pariter Polycarpum Joannis Apostoli discipulum. Tres præterea ab Apostolo Paulo consecratos Episcopos, Timotheum Ephesi, Titum Cretæ, Epaphroditum Philippensium.

IV. De Episcopatu Jacobi Apostoli fratris Domini cognomento Justi refert Hegesippus apud Hieronymum, de scriptorib. Eccles. cap. 4. *Hegesippus vicinus Apostolicorum temporum in quinto Commentariorum libro de Jacobo narrans, ait, suscepit Ecclesiam Jerosolymæ frater Domini cognomento Justus.* Clemens Alexandrinus lib. 6. hypotyposeon, & ex eo Eusebius lib. 2. hist. Eccles. cap. 1. eumdem asserunt a Petro, & Joanne, & Jacobo majore Jerosolymorum constitutum Episcopum. His adde si lubet Anacletum Pontificem Apostolis supparem, relatum in decreto, can. ult. dist. 66., & Clementem Papam Petri discipulum lib. 8. Constitut. Apost. cap. 35, referentem, quod Jacobus tam a Christo primum, quam ab Apostolis creatus est Jerosolymitanæ Ecclesiæ Antistes. Quibus accedunt conformia posteriorum testimonia Eusebii, & Hieronymi in Chronico, Epiphanii hæresi 29. num. 3. & hær. 78. num. 13. & 14. Cyrilli Hierosolymitani catech. 4. & 14. Chrysostomi serm. 38. in 1. Corint. & sermon. 3. in Acta.

V. De Episcopatu Marci Evangelistæ fidem faciunt Eusebius lib. 2. hist. Eccl. cap. 24. Hieronymus in Catalog. script. Eccl. cap. 18. dicens Alexandrinam Ecclesiam fuisse a Marco Evangelista fundatam, eique successisse Anianum octavo Neronis anno. Idemque epist. 126. Epiphanius quoque hæresi 51. Marcum asserit fuisse a Petro missum in Ægyptum, postquam Evangelium conscripserat. Eusebius similiter, & Hieronymus testificantur Petro in Antiochenam sedem successisse Evodium, & deinde Ignatium, Timotheum ab Apostolo Paulo constitutum Ephesinæ Præsulem Ecclesiæ, idem Apostolus scribit 2. Timotb. 1. *Admoneo te, ut resuscites gratiam Dei, quæ in te est, per impositionem manuum mearum.* Deque ejusdem supra Sacerdotes judiciaria potestate, 1. Tim. 5. *Adversus Presbyterum accusationem noli recipere nisi sub duobus aut tribus testibus.* Titum similiter Paulus perhibet a se consecratum Cretensium Præsulem; Tit. 1. *Hujus rei gratia reliqui te Cretæ, ut ea quæ desunt corrigas, & constituas per civitates Presbyteros, sicut ego disposui tibi.* Epaphroditum denique fuisse ad Episcopalem Philippensium Ecclesiæ sedem promotum, idem docet Apostolus Philipp. 2. quo loco eumdem vocat Philippensium Apostolum.

VI. Irenæus lib. cap. 3. perhibet Apostolos

los in singulis Ecclesiis a se fundatis constituisse qui eas regerent Episcopos. Additque Romanam Ecclesiam institutionis suæ a Petro, qui primus ejus fuit Episcopus, habuisse primordia, ejusdemque successorum Pontificum seriem texit ad suam usque ætatem. Ipsum deinde Polycarpum commemorat ab Apostolis præfectum Smyrnæ Antistitem, ac Hierarcham, *quem nos* (inquit) *vidimus in priori nostra ætate*. Idemque alios exprimit Episcopos, quorum successorum seriem extare affirmat in propriarum Ecclesiarum Archiviis; eidem patrocinatur causæ Tertullianus, qui secundo exeunte, tertioque ineunte sæculo scribebat, hoc argumento, hisque verbis, quoscumque hæreticos fortiter expugnans, tractatu de præscript. cap. 32. *Edant ergo origines Ecclesiarum suarum, evolvant ordinem Episcoporum suorum, ita per successiones ab initio decurrentem, ut primus ille Episcopus aliquem ex Apostolis vel Apostolicis viris, qui tamen cum Apostolis perseveraverint, habuerit auctorem, & antecessorem. Hoc enim modo Ecclesiæ Apostolicæ census suos deferunt, sicut Smyrnæorum Ecclesia habens Polycarpum ab Joanne collocatum refert, sicut Romanorum Clementem a Petro ordinatum edit. Proinde utique, & cæteræ exhibent, quos ab Apostolis in Episcoporum constitutos Apostolici seminis traduces habeant. Confingunt tale aliquid hæretici*. Hactenus Tertullianus.

VII. Ut vero cunctos obices, & remoras amoveamus, ultro annuimus, simplices quandoque ac secundi ordinis Sacerdotes Episcoporum nomine in sacris Scripturis designari, quæ mera denominatio est, rei ipsius discrimen minime tollens. Eædem namque voces, & nomina nunc ampliorem, nunc strictiorem significationem sortiuntur; & pessime argumentaretur quisquis, ex eo quod passim apud sanctos Patres Cyprianum, Hieronymum, Augustinum, Paulinum, aliosque, vocentur quilibet nomine Papæ, vellet concludere, habere singulos æqualem cum supremo Pontifice gradum, paremque in universa Ecclesia potestatem. Indifferentem illam Episcopi, & Sacerdotis denominationem observant Hieronymus, Chrysostomus, Theodoritus, freti tum verbis illis Apostoli ad Philippenses, *Omnibus sanctis qui sunt Philippis cum Episcopis, & Diaconibus*. Nulla ibi Presbyterorum mentio, quia sub Episcoporum nomine comprehenduntur: alioqui enim esse in una urbe plures Episcopi non possunt, sumendo id nomen in stricta magisque propria notione, quæ ad solos coarctatur Pontifices. His accedunt verba quoque Pauli Act. 20. *Attendite vobis, & universo gregi, in quo Spiritus Sanctus posuit vos Episcopos regere Ecclesiam Dei*. Quo loco Apostolus Presbyteros Ephesinæ Ecclesiæ hortatur, quos Miletum acciverat; cum tamen ex sacris Ecclesiæ institutionibus non possit, nisi unus Episcopus uni Ecclesiæ præfici. Tertius locus est in c. 1. epistolæ ad Titum, cui maxime innititur Hieronymus, in ejus loci commentario: *Hujus rei gratia, reliqui te Cretæ, ut ea quæ desunt corrigas; & constituas per civitates Presbyteros, sicut ego disposui tibi, si quis sine crimine est &c.* Cujus moniti hanc rationem subjungit, *Oportet enim Episcopum sine crimine esse, sicut dispensatorem Dei*. Apostolus igitur singulis Presbyteris, quod Titus ordinaverat, nomen quoque tribuit Episcopi.

VIII. Enimvero prorsus est improbabilis opinio Theodoriti comment. ad 1. Tim. cap. 3. Eos nimirum qui sunt superioris ordinis Sacerdotes, & nunc vocari solent Episcopi, fuisse olim nominatos Apostolos. At vero posterioris ordinis Sacerdotes communi appellatione Episcoporum fuisse designatos. Esto vocaverit semel Paulus Epaphroditum Apostolum, Philipp. 7. At pluries etiam nunc contingit præfectos, suique officii admodum studiosos Clericos, cujuscumque Ordinis, quorum opera plures ad morum sanctitatem, aut ad fidei professionem, ex depravata vita, vel ex infidelitate, aut hæresi conversi fuerint, Apostolos audire, ac denominari. Sic Sanctus Dominicus apud Volcas, & Tectosages, S. Vincentius Ferrerius, S. Antonius Ulyssiponensis, apud Japones S. Franciscus Xaverius, qui nunquam fuere Episcopi, denominati sunt Apostoli. At vero illi, qui cum Episcopali dignitate fulgerent, dicti quoque fuere Apostoli, illam nuncupationem honorificam sunt consequuti, non propter characterem sacri Ordinis, sed solum propter conversas a se nationes: sic enim Sancti Episcopi Remigius Francorum, & Leander Visigothorum, Bonifacius Germanorum Apostoli audiunt,

diunt, ob populos, quos evangelizando in ovilia Christi traduxerunt. Eoque sensu Epaphroditum nuncupat Paulus Apostolum, qui Apostolicis laboribus, & sacro zelo quo ardebat in excolendis sibi commissis populis.

IX. Hieronymus tamen haud leve hac in re negotium facessit, tum in epistola ad Evagrium 85. tum in commentariis epistolæ ad Titum cap. 1. adeo ut Michael Medina ipsum in invidiam traxerit dogmatis Aeriani; sed perperam, nec citra temeritatem. In primis Sanctus Doctor contendit nomen *Episcopi* fuisse ab ipsis Apostolis attributum quibuslibet Ecclesiæ Presbyteris; quod nos ultro concedimus. Additque in illa ad Evagrium epistola: *Quod autem unus electus est, qui cæteris præponeretur, ut schismatis remedium factum est, ne unusquisque ad se trahens Christi Ecclesiam rumperet*. Atque hoc idem sic repetit scribens in epistolam ad Titum: *Postea vero cum in partes, & contraria studia divisus esset populus, ut dicerent quemadmodum Corinthii, Ego sum Pauli, ego vero Apollo, ego autem Cephæ, ut demum plantaria ista dissensionum divellerentur, ad unum singulari Episcopi nuncupatione omnium sollicitudinem esse delatam*. Et subinde, *Sicut ego Presbyteri ex Ecclesiæ consuetudine sciunt se ei, qui sibi præpositus fuerit esse subjectos, ita Episcopi noverint se magis consuetudine, quam dispositionis Dominicæ veritate Presbyteris esse majores, & in commune debere Ecclesiam regere, imitatores Moysis, qui cum haberet in potestate solus præesse populo Israel, septuaginta elegit, cum quibus populum judicaret*. Idemque præfata ad Evagrium epistola, *quid enim facit, excepta ordinatione, Episcopus, quod Presbyter non faciat?*

X. Agnoscens ergo Hieronymus Episcopos inferioribus Presbyteris præcellere ordinandi potestate, qua isti omnino carent; idemque pares Moysi faciens Episcopos, & æquiparans Presbyteros septuaginta illis judicibus, quos Moyses in sui consortium, & solatium assumpserat, satis indicat se non exiguum potestatis, & dignitatis discrimen agnoscere inter Episcopum, & Presbyterum: dum vero contendit idem in Ecclesiæ exordiis, pares cum Episcopo fuisse Presbyteros, id multiplices, eosque veros sensus involvit. In primis pares erant nuncupatione, secundum quam nunc dispares existunt. Secundo pares in regimine, quamvis origo, & fons regiminis in solo esset Episcopo. Ea quippe moderatio primo, vereque aureo sæculo in Episcopis erat, ut in commune bonum omnia cum Sacerdotum cœtu gererent, neque his inconsultis Præsules quidquam aggrederentur. Quæ Disciplina licet in multis exoleverit, multa supersunt tamen, in quibus necesse habent Episcopi consilium Capituli adhibere. Præclareque decernit Alexander Papa III. de his quæ fiunt a Prælat. sine consens. capit. c. novit. *Novit tuæ discretionis prudentia qualiter tu, & fratres tui unum corpus sitis, ita, quod tu caput, illi membra esse probantur. Unde non decet, te omissis membris, in Ecclesiæ tuæ negotiis aliorum consiliis niti, cum id non sit dubium, & honestati tuæ, & sanctorum Patrum institutionibus contraire*.

XI. Æquiparari nonnihil potest pristinum illud ab Hieronymo commemoratum regimen Ecclesiarum cum illo Prætorum Atheniensium, quos vocabant, Collegio. Postquam enim, mortuo ultimo illorum Rege Codro, Respublica Atheniensium in Democratiam vertit, ab electorum a se Prætorum Senatu semper fuit administrata. Isti quidem singuli Archontes vocabantur, singulis etiam incumbebat Reipublicæ sollicitudo: sed tamen horum unus similiter Archon dignitate reliquis præeminebat, solus collegas convocabat, convocatis præsidebat, ejusque solius nomine anni, & fasti signabantur. Sufficit vero ad eluendam labem, quam ausus est Medina Hieronymo, ipsique Epiphanio inspergere, quod uterque in solo Episcopo agnovit Ordinationis potestatem, quæ tamen non unica est prærogativa: veteres quippe canones, quos ambo Patres optime norant, alia Episcopis privilegia tribuunt, a nobis paulo ante recensita, ad quæ Sacerdotibus inferioribus aspirare ac præsumere non licebat. Ipseque Epiphanius Aerium inter hæreticos accenset hoc nomine, quia temerario ausu Presbyteros Episcopis æquiparabat.

XII. Egregium circa Episcopalem ordinandi potestatem aliis Sacerdotibus incommunicabilem proferre lubet exemplum ex historia Ecclesiastica, & veteris Concilii Orthodoxi testimonio. Athanasius in suo Apologetico refert se Arianorum accusatione reum peractum

ctum eo nomine, quod Ischyram Presbyterum sacris ad Altare mysteriis operantem Macarius ab ipso mandatus Athanasio male multasset, atque mysticum calicem, (quo utebatur Ischyras) confregisset. Tum Synodus Alexandrina, ad quam Episcopi Ægypti, Lybiæ, Thebaidis, & Pentapolis convenere, post discussam accusationis hujus causam, scripsit Synodicam ad Julium Romæ Pontificem, cæterosque omnes orbis Christiani Antistites, quam integram suo inseruit Apologetico idem Athanasius: ea vero testificatur neque ibi Ischyram rem sacram fecisse, neque mysticum calicem habuisse, ac ne Presbyterum quidem fuisse, sed tantum laicum; quippe qui a Colluthо manuum susceperat impositionem, qui non Episcopus, sed tantum Presbyter erat.

XIII. Ut vero ad Hieronymum regrediar, ejus sententia de differentia inter Episcopum, & Presbyteros introducta, non a Domino, sed ab Ecclesia, elucidatur per veterem atque indiscriminatam Episcopi, & Presbyteri nuncupationem: Scripturis etiam sacris, quas paulo ante produximus, ab Hieronymo comprobata, & quam postmodum Ecclesia discriminavit, ad solos Ecclesiæ Præsules, & Hierarchas hanc restringens denominationem. Neque solum clarescit per commune Presbyterorum consilium, quorum operam, & ministerium in consortium laboris, & sollicitudinis assumere sacri solebant Pontifices. Sed tertio quoque astruitur, & elucidatur inde, quia Apostolorum ætate erant Episcopales, seu Cathedrales Ecclesiæ; earum quippe maxima pars a Sacerdolibus minoribus regebatur nullo presente Pontifice, quemadmodum fieri cernimus in Parochialibus Ecclesiis. Etenim in Actis Apostolorum legimus, ipsam Samariam inclytam civitatem, Jerosolymitanæ æmulam, & in ipso Judeæ confinio sitam, non habuisse peculiarem ullum Episcopum; cum necesse fuerit ad eam mitti Petrum, & Joannem Apostolos, ut ibi munus obirent Episcopale impositionis manuum ad Sacramentum Confirmationis.

XIV. Præeminentiam denique Episcoporum in omnem Clerum, & populum, & obtemperandi necessitatem, ac officium, quo illis Presbyteri obstricti sunt, insigniter commendat insignis Apostolorum discipulus, & tertius a Petro in Antiochena Ecclesia Episcopus Ignatius Martyr sanctissimus, ad Philadelphenses scribens. Stet demum fidei fundamentum inconcussum, jam inde ab Apostolis, ipsoque Christo stabilitum, & novissimo generali Concilio Tridentino adversum nuperas hæreses assertum, sess. 23. can. 6. *Si quis dixerit in Ecclesia Catholica non esse Hierarchiam divina Ordinatione institutam, quæ constat Episcopis, Presbyteris, & Ministris, anathema sit*. Deinde can. 7. *Si quis dixerit Episcopos non esse Presbyteris superiores, anathema sit*.

P. JOANNIS CABASSUTII

ORATORII DOMINI JESU

Quisnam fuerit priscorum Episcoporum Senatus ac Presbyterium.

DISSERTATIO XXXIV.

I. PRioribus Ecclesiæ sæculis viguit Sacerdotum ac Diaconorum, quibus tum Cathedralis Ecclesiæ nobiliora ministeria & officia, tum inferiorum parochiarum cura & Sacramentorum administratio incumbebat, collegium; quod quoties convocabatur, solebat presbyterii nomine designari. Hujus meminit Paulus dicens 1. Timoth. 4. *Cum impositione manuum presbyterii*, & Act. Apost. qui Antiochenæ Ecclesiæ ministrabant, & Spiritu Sancto commonente, manus Paulo, & Barnabæ imposuerunt, & ad prædicandum gentibus miserunt. Hi componebant Ecclesiæ Antiochenæ presbyterium: quemadmodum etiam Jerosolymitanæ Seniores illi, qui una cum Apostolis decretum suum de immunitate a legalibus observationibus ad Ecclesias Antiochiæ, Syriæ, & Ciliciæ transmiserunt per communes ac Synodicas litteras. Tertullianus Apologet. cap. 39. de conventibus Christianorum sic loquitur: *Præsident probati quique seniores*. A senioribus enim, qui Græce πρεσβύτεροι dicuntur, denominatur *Presbyterium*.

II. Insuper apud Cyprianum extat epistola 3. Cleri Romani ad Clerum Carthaginiensem, quo tempore per Fabiani Romani Pontificis recens Martyrium suprema sedes vacabat: Cyprianus vero per fugam, eadem sæviente persecutione, latebat: unde colligitur, Presbyterium non modo a Conciliis præsente Episcopo fuisse, sed ad ipsum quoque, vacua Episcopali sede, præfecturam & sollicitudinem Ecclesiarum pertinuisse: quemadmodum Capitulum viduatæ Cathedralis Ecclesiæ nunc quoque curam gerit, idque his verbis ibidem satis exprimit Romanus Clerus: *Et cum incumbat nobis qui videmur præpositi esse vice Pastoris, & custodire gregem*. Idemque alias ad Cyprianum Romana ex urbe litteras miserunt, quibus iste rescribit epistolam suam quartam. Cumque diuturnior esset Romanæ sedis vacatio, Cyprianus iterum Romanum Presbyterium interpellat epist. 23. & 29. cui a Romano Clero respondetur epist. 30. & 31. Presbyterii pariter idem meminit Cyprianus epist. 35. 46. & 49. Qui Fabianum martyrem exceperat Cornelius Papa, in eadem epist. 46. ad Cyprianum de Clero Romano in Concilium a se convocato, sic ait: *Omni igitur actu ad me perlato, placuit contrahi Presbyterium. Adfuerunt etiam Episcopi quinque, qui & hodie præsentes fuerunt, ut firmato concilio, quid circa personam eorum observari deberet, consensu omnium statueretur*. Siricius item Papa, epist. 2. *Facto igitur* (ait) *Presbyterio, constitit doctrinæ nostræ, id est legi Christianæ, esse contraria. Unde omnium nostrum tam Presbyterorum & Diaconorum, quam totius etiam Cleri una lata fuit sententia*.

III. Quod hic dicitur Presbyterium, Hieronymus ad Rusticum, Cleri Romani *Senatum* vocat, quia sine hujusmodi Consilio Romanus Episcopus nihil arduum aggredi solet. Senatus iste componitur etiam nunc ex Episcopis Romanæ provinciæ suffraganeis, & Presbyteris atque Diaconis titulorum seu Basilicarum Romanæ civitatis, qui jam vocantur Cardinales, quos etiam purpureo amictu decoravit Innocentius quartus in Concilio Lugdunensi generali anno 1250. Similiter Presbyteria seu Senatus cæterorum passim Episcoporum non fuerant a primævo canonici cho-

choro addicti, qui olim Cantorum nomine censebantur, ut neque nunc Romae Canonici praecipuarum Basilicarum Lateranae, aut Vaticanae; sed honoratiores Ecclesiae Cathedralis officiales Presbyteri, cum Parochis urbis. De hujusmodi Presbyteris sic decernit Gregorius Magnus lib. 11. epist. 49. ad Joannem Episcopum Panormitanum: *Tabellarium una cum consensu Seniorum, & Cleri memineris ordinandum, qui annis singulis, ad amputandam fraudis suspicionem, solemniter debeat rationes suas exponere*. Et subinde: *Siquid de quocumque clerico ad aures tuas pervenit, quod te juste possit offendere, facile non credas, nec te ad vindictam res accendat incognita: sed praesentibus senioribus Ecclesiae tuae diligenter est veritas perscrutanda; & tunc, si qualitas rei poposcerit, canonica districtio culpam feriat delinquentis*.

IV. Seniores illi conferri possunt ad Episcopum, quemadmodum olim, teste Hieronymo, judices illi septuaginta ad Moysem. Ait enim in comment. ac epist. ad Titum: *Episcopi meminerint in commune cum Presbyteris Ecclesiam regere, imitantes Moysem, qui cum haberet in potestate solus praeesse populo Israel, septuaginta elegit cum quibus populum judicaret*. Alexander Papa III. in c. novit, de his quae fiunt a praelat. sine cons. Capit. hoc statuit: *Novit tuae discretionis prudentia, qualiter tu, & fratres tui unum corpus sitis, ita quod tu caput & illi esse membra probentur. Unde non decet te, omissis membris, aliorum consilio in Ecclesiae tuae negotiis uti, cum id non sit dubium & honestati tuae, & Sanctorum Patrum institutionibus contraire*.

V. Temporum tamen successu Senatus Episcopalis jam non Parochis, & Ecclesiarum Auctoribus constat, sed Canonicorum coetu, qui sibi ex omnibus Ecclesiae functionibus, non Sacrificia, non Sacramentorum, non Doctrinae, non Catecheseon, non verbi Dei ministerium; sed munus sanctum quidem, his tamen longe inferius, Ecclesiasticum cantum asciverunt, qui cantus solis olim infimis Clericis reservabatur, adeo ut cantores a solo Presbytero, nullo Episcopi interventu, constituerentur: cum tamen Ordines etiam minores nemo conferre possit praeter Episcopum, ut liquet ex Concilii quarti Carthaginiensis can. 10. Concilium etiam Romanum praesidente Magno Gregorio Papa, cujus ipse meminit lib. 4. epist. 44. & refertur dist. 92. cap. in sancta Romana: vetat Presbyteris, & Diaconis in Ecclesia cantare, eo quod essent sanctioribus, & sublimioribus Officiis addicti. Huc etiam spectat inferius videndus Laodicenae Synodi canon. 15.

PARS TERTIA.

Ecclesia Christi in libertatem asserta.

AD tertiam operis hujus partem ordine perventum est, in qua Ecclesiæ mores, ex quo illa pace, & libertate frui cœpit, describendi sunt. Hoc videlicet tempus illud erat, inde a tribus sæculis expetitum; hanc sibi quisque veluti auream ætatem, statumque Fidelibus ad serviendum sine metu, & obstaculis Divinæ Majestati opportunissimum animo effingebat; verum experientia nimis quam clare docuit, longe utiliores Christianæ rei superiorum temporum persecutiones fuisse. Nihilo tamen minus iidem mores, quos superiori parte retuli, diu post incorrupti permansere; ut adeo nihil novi, quod isto loco afferam, reliquum sit, quam ut differentiam novi hujus Christianorum status describam, quæ ex fidei nostræ deinceps, ac publico exercitio nata fuit.

CAPUT I.

Prævium Examen, ceteraque ad Baptismum præparatio.

QUanquam singularis semper adhibita cura est in examinandis periclitandisque iis, qui sacri fontis gratiam expetebant; multo tamen majori hac in re circumspectione opus fuit, ex quo Christianum fieri impune licebat, prætereaque temporalis commodi aliorumque pravorum finium respectus ad profitendam hanc legem inducere mortales poterant. Ergo qui ad nostra sacra transiturus fieret sese, continuo de caussis hujus suæ voluntatis rogabatur, (*Constit. Apost. l.* 8. *c.* 32.) quæque item hominis conditio, liberane an servilis, qui mores, quæ vitæ anteactæ ratio esset. Quorum seu professio aperte flagitiosa, seu inveterata peccandi consuetudo deprehendebatur, ii nunquam inter Religionis Christianæ candidatos admittebantur, nisi re ipsa e cœno emersissent suo. Hujus generis erant prostibula, lenones, comœdi, gladiatores, quique seu in circo cursu decertabant, seu choreis, & cantu populum tenebant, verbo, qui spectaculis vel per se ipsi serviebant, vel certe iis palam addicti erant, quibus, ut circumforanei, præstigiatores, Divini, & qui characteribus, nescio quibus, populo traditis depellere se morbos, vel impedire posse jactabant, denique quisquis superstitionum qualecumque genus publice profitebatur. Procul isti omnes a Religione arcebantur Christiana, nisi prius pravam consuetudinem posuissent, ac ne tunc quidem, nisi aliquandiu diligenter probati essent, fidendum ipsis Christiani putabant.

Jam vero qui sacris nostris idoneus judicabatur, Catechumenis primum accensebatur impositione manuum vel ab Episcopo, vel a Sacerdote ex Episcopi commissione facta. Hic signo crucis tyronis fronti impresso, Deum orabat, ut bene precari Catechumeno vellet, quo fructum caperet ex instructionibus, dignumque se redderet baptismatis cælesti munere. Hoc in statu Catechumenus longo tempore, verbi gratia, trienni spatio, permanebat, quo tempore capitibus nostræ fidei scitu maxime necessariis imbuebatur. (*Constitut. Apostol. l.* 7. *c.* 10.) Primum Dei Unius ac Trini mysterium, universi creationem, seriem providentiæ, finemque rerum a Deo conditarum accurate docebatur; item quæ hominis natura, cur civis mundi constitutus, quibus & præmiis, & suppliciis ge-

neris humani gubernationem, Deus per omnia retro sæcula, temperarit; his articulis alii de incarnatione, ac reliquis vitæ, & operum Jesu Christi mysteriis subjungebantur.

D. Augústinus (*de Catechizand. Rud.*) luculentum Tractatum conscripsit, quo Catechistas edoceret modum rite instituendi novellos Christi milites, formamque ac veluti ideam adeo fructuosæ functionis ipse præberet. Tempus huic instructioni destinatum alias contrahi, alias produci solebat; pro eo ac tyrones progressum in discendo citius tardiusve facerent. Nec solum ad hujusmodi progressum in addiscendis fidei dogmatis, verum etiam ad morum, quos ex Paganismo attulerant, emendationem attendebatur, nec nisi perfecta Catechumenorum observata conversione, statu illo egredi licebat. Ea re factum est, ut complures Baptismi susceptionem ad mortem usque differrent. Nulli enim nisi ultro petenti Sacramentum hoc impertiebatur. Etsi non cessarent Pastores animarum, hujusmodi Catechumenos, ut eam gratiam flagitarent, frequenter adhortari.

Qui admitti ad Baptismum desiderabant, & favore illo digni judicabantur, nomina sua dabant, albo *Competentium*, sive *Illuminatorum* (*August. l. de fide & ep. c. 6.*) inscribenda; multo etiam diligentius, & instantius, quadragesimali tempore instruebantur, sæpiusque ad Ecclesiam jubebantur convenire, cum ad examen in rebus fidei subeundum, tum ad Exorcismos ac preces supra ipsos in corona Fidelium rite pronuntiandas. Ea functio *scrutinium*, & assignata illi tempora *scrutinii dies* appellabantur, ad quos Dominica proxime præcedente universa Fidelium congregatio invitari solebat bis fere verbis: (*Cod. Sacram. Edit. Rom. 680.*) *Scrutinii diem, dilectissimi Fratres, quo electi nostri divinitus instruuntur, imminere cognoscite, adeoque sollicita devotione sequenti quarta feria circa horam nonam convenire dignemini*, (1) Constanter mos iste, ac per plura sæcula tenuit, proque ipsis etiam parvulis observatus fuit; ejus vestigia quædam adhuc extant in officio Ecclesiastico. (*Ord. Rom. Miss. fer. 4. post Dom. 4. Quadrages. & Durand. ibid.*) Sub finem magni jejunii Symbolum Apostolorum iisdem exponebatur, cujus expositionis paradigmata habes in Catechesi Sancti Cyrilli Hierosolymitani, & in multis S. Augustini sermonibus. (2)

Post tot ac tantas prævias dispositiones sollemni demum ritu Catechumeni baptizabantur, (3) aut in pervigilio Paschatis, ut nempe cum Christo in novam vitam resurgerent; aut in Vigilia Pentecostes, ut cum Apostolis Spiritum Sanctum acciperent, nam statim a Baptismo Confirmationis Sacramento im-

(1) Edmundus Martenius plures hujusce Scrutinii ordines, seu formulas veteres exhibet. Consule etiam Chardonii *historiam Sacramentorum*, Trombellium *de Baptismo*, P. de Rubeis *de Sacr. Forojul. ritibus cap. 10.*

(2) De Symboli traditione præter citatos Martenium, Chardonium, & Trombellium, consule Thomam Milles ad S. Cyrilli Hierosolymitani Catecheses p. 75. Quarta Dominica Quadragesimæ inter alia, quibus appellabatur, nomina, *Dominica de traditione* dicebatur, quia ab hac die Catechumenis symbolum memoriter mandandum in pluribus Ecclesiis tradebatur. Vide Concilium Bracarense II. *can. 1.*

(3) Baptismi ritus Bellarminus, Martenius, Chardonius, Casalius, Josephus Vicecomes *Vol. I. Observ. Eccles.* Gallus ex Ord. S. Dominici auctor operis *de re Sacramentaria*, Jueninus in Comment. histor. *de Sacramentis*, Selvaggius *Antiq. Christian. lib. 3. cap. 1. ad 6.* Pelliccia *de Christ. Eccl. Politia Tom. I. lib. 1. Sect. 1. cap. 2.* Johannes Ciampinius in *explicatione duorum Sarcophagorum Baptismi ritum indicantium* illustrant. Vide etiam Binghamium, Vossium *de Baptismo*, Henricum Pontanum *de ritu mersionis in baptismo*, *Trajecti* 1705., Johannem Bartholinum *de baptismo per adspersionem legitime administrato*, *Hafniæ* 1697., Christianum Gottlieb Schwarzium *de ritibus quibusdam formulisque a manumissione ad Baptismum translatis*, *Altdorffii* 1738. Johannis Fæsii libros tres *de cereis baptismalibus veterum Christianorum*, *Helmstadii* 1712., Gerardum Radovium *de pecunia lustrica*, *Rostochii* 1671., Johannem Fridericum Joachimum *de donis baptismalibus*, *Halæ* 1736.

impertiebantur. Extra duo proxime commemorata per annum tempora Baptismus ordinario modo non conferebatur: si vero periculum in mora esset, nunquam non illius facta est copia. (1) Recens baptizati octo ipsos dies candidam vestem portabant in Baptismo acceptam, ad denotandum innocentiæ candorem, quem ad exitum vitæ suæ conservare incontaminatum quisque debeat; (2) Tum vero universis Ecclesiasticis officiis interesse licebat.

Dubitari neutiquam potest, fuisse per ea tempora publicæ pacis, & tranquillitatis solito plus assiduos ferventesque Christianos in publicis comprecationibus obeundis, in cœtibus majore frequentia habendis, ubi statis horis diurnis nocturnisque divinum officium peragebatur. Accedebat Ecclesiarum, & oratoriorum major opportunitas, utpote quæ passim tunc aut ædificabantur, aut majori magnificentia sumptuque ornabantur. Fortasse non abs re fuerit, unam aliquam ex antiquis Christianorum Ecclesiis hoc loco describere, quantum quidem partim ex idoneorum Scriptorum libris, partim ex Antiquiorum, quæ hodiedum supersunt ædificiorum structura in hanc rem colligere licebit.

CAPUT II.

Ecclesiarum Christianarum forma, & ornatus.

Christianorum Ecclesiæ, quoad fieri poterat, à profanis quibuscumque ædificiis separatæ erant, (*V. Euseb. hist. Eccl. lib.* 10. *c.* 4.) atque a strepitu, & concursatione hominum remotæ, atrils etiam, hortis aut ædificiis, ad Ecclesiam ipsam pertinentibus circumdatæ. Primo statim aditu peristylium erat, sive atrium quadratum, (*in vernac. lingua* Angiporto) porticibus undique inclusum, quos circumpositæ columnæ sustentabant, eo ferme modo ac forma, quam hodie in monasteriis claustrisque cœnobiis ambitus quadrati repræsentant. (*Idem de vita Constant. l.* 3. *cap.* 34. 35. *&c. l.* 4. *c.* 38.) Sub illis fornicibus mendiculorum greges morabantur, quibus licebat pro foribus Ecclesiæ stipem rogare. (3) Medio in atrio unus, aut plures prostabant fontes, manibus vultuique ante orationem abluendis idonei, (4) in quorum locum subinde vasa lustralis aquæ subrogata fuerunt. (*Paulin. Ep.* 12.) Duplex atrio vestibulum contiguum erat, ex quo per plures portas ingressus patebat in Basilicam, quæ totius sacræ ædis capacior pars, & veluti corpus erat. Dixi, *duplex fuisse vestibulum;* nam alterum eorum extra templum erat, alterum ad templum pertinebat proxime majorem Ecclesiæ portam existens, & a Græcis *Narthex* appellatur. Porro Basilicæ ipsi duo plerumque ædificia adjuncta erant; Baptisterium videlicet in ipso templi aditu extrinsecus situm, &, qua parte Ecclesia terminabatur Vestiarium sive Sacristia, ubi sacra Supellex asservabatur, qui locus *Secretarium*, vel *Diaconicum* alias dicebatur; non raro etiam juxta templum ædiculæ, sive cellulæ in longum procurrebant, privatim orantium, & meditantium commoditatibus exstructæ, quas nos Sacella vulgo *Capellas* nominaremus. Tota

(1) Confer Morinum *de Pœnitentia lib.* 10. *cap.* 8.

(2) Vide Martenium *lib.* 1. *c.* 1. *art.* 15. Chardonium *de Bapt. p.* 2. Johannem Schmidium *de usu vestium albarum, Lipsiæ* 1704. Godofridi Wegneri disputationem *de alba veste baptizatorum*. Regiomonte 1715. & 1734. De candidis baptizatorum stolis agit etiam Thomas Milles *ad S. Cyrill. Hierosol. p.* 34.

(3) *Ante* Ecclesias, & *Martyrum monumenta præ foribus pauperes sedent*, S. Joh. Chrysost. *hom.* 28. *ad pop. Antioch.* Heinc S. Gregorius Nazianzenus *de am. paup.* ajebat: *Petitionum gemitus internis Templi cantibus ex adverso respondet, atque adversus mysticas voces miserabilis luctus excitatur.*

(4) Lavabantur manus a Fidelibus templa ingredientibus, præsertim ob Eucharistiæ, quam diximus fuisse manibus exceptam, reverentiam. Ejusmodi labrum Veronæ exstare etiamnum memorat Cl. Maffejus *Veron. Illustr. T. III.* Vide Grancolasium operis inscripti *l'ancien Sacramentaire de l'Eglise p.* 1. *pag.* 17. *seq.*

Tota Basilica in tres partes secundum latitudinem suam divisa erat per duplicem columnarum ordinem, quibus ex utroque latere porticus incumbebant, inter quos medium interjectum spatium templi navis erat, quemadmodum in antiquis omnibus Ecclesiis hodiedum observare licet. In extrema templi parte Orientem versus altare se attollebat, & post altare Presbyterium, sive Sanctuarium, quæ secretior templi pars erat solis Sacrorum ministris pervia; quippe in qua divini officii tempore Presbyteri ex ordine assidebant, medium inter ipsos locum obtinente Episcopo, cujus exedra (1) in extremitate sacræ ædis collocata, intrantium per principem portam Fidelium obtutus veluti totius sacræ structuræ meta terminabat. Altari septum Clathratum, sive cancellis transluci-dum prætendebatur, quod chorum appellare liceat, (2) ad ejus ingressum, aut in medio illius pulpitum eminebat, alias *Ambo* nominatum, eo gradibus ex utraque parte ascendebatur ad sacras lectiones publice obeundas. (3) Nonnunquam duo id genus suggesta hinc, atque illinc disposita erant, ut spatio, quod intermedium erat, vacuo relicto, liber ad altare ipsum prospectus esset. (4) Unum ex hisce suggestis, quod ad dexteram Episcopi, & ad sinistram populi adversi stabat, legendo Evangelio, alterum e regione oppositum recitandæ Epistolæ serviebat. Porro spatium, quod inter Ambonem, sive pulpitum, & altare medium erat, Cantores occupabant, qui simplices Clerici erant, ad id muneris speciatim destinati.

Jam altare ipsum mensa erat ex materia pretiosa, ut argento aurove facta, gemmisque distincta; marmore ut minimum, aut porphyrite constabat, supra Martyris alicujus tumulum, quod per loci naturam liceret, erectum. (5) Cum enim ad Martyrum sepulchra cogi Fidelium cœtus solerent, ibidem etiam

(1) *Sit solium Episcopi in medio positum, secumque ejus latere sedeant Presbyteri, & adstent Diaconi succincti*. Constit. Apost. l. 2. c. 57. Quare Augustinus *de Civ. Dei l. 19. c. 19. quid aliud*, inquit, *interpretatur Episcopus, nisi superinspector, maxime quum solio in Ecclesia editiore resideat?* Confer Passerium *Diss. XII. de Throno Sacro Thesauri Goriani Gemm. Antiq. Astriferarum Vol.* 3.

(2) De hujusmodi cancellis extant plura Veterum testimonia, Eusebii *l.* 10. *histor. c.* 4., & *l.* 4. *de Vita Constant. c.* 59., Nazianzeni *Orat.* 150. Gregorii Turonensis &c. Turonense Concilium ann. 557. caussam reddit his verbis: *ut Laici secus altare, quo Sancta mysteria celebrantur, inter Clericos stare penitus non præsumant; sed pars illa, quæ a cancellis versus Altare dividitur, choris tantum psallentium pateat Clericorum*.

(3) Ex ambone clerici etiam Ordinum inferiorum psallebant. Heinc Laodicenum Concilium *can.* 15. statuit, *quod non oporteat amplius præter eos qui regulariter Cantores existunt, qui & de codice canunt, alios in pulpitum conscendere, & in Ecclesia psallere*. Alios ambonis usus percenset Catalanius *de Codice Sancti Evangelii lib.* 2. *cap.* 6. Vide & Diarium Italicum Montfauconii *p.* 134.

(4) Tres quandoque ambones erant, unus scilicet pro epistola legenda versus altare, unus pro legendis prophetis versus populum, tertius in sinistris, isque altior, & ornatior pro Evangelio, ut in Romana antiquissima S. Clementis Basilica, quemadmodum Martenius notavit *l.* 1. *c.* 4. *art.* 4. *n.* 3. Ubi tamen unus ambo extabat, ad eum duplex patebat adscensus, inque illius superiori parte bini erant gradus, alter altior, in quo Evangelium, depressior alter, in quo legebatur epistola. Ordo Romanus: *Subdiaconus, qui lecturus est, adscendit in Ambonem, ut legat; non tamen in superiorem gradum, quem solet adscendere qui Evangelium lecturus est*.

(5) Lignea fuisse olim altaria Optatus Milevitanus l. 6., Augustinus l. 3. *contr. Crescon.* c. 43. Athanasius *ep. ad solit.* nos dubitare non sinunt. Lapidea quoque fuere, ut innuit Chrysostomus *hom.* 3. *in* 2. *Cor.* immo *nisi lapidea* essent, *infusione chrismatis sacrari* vetuit Epaonense Concilium a. 517. Erant & altaria argentea, cujusmodi illud fuit quod Sixtum III. Basilicæ S. Mariæ obtulisse Anastasius perhibet. Sed & auro, ac lapidibus pretiosis constabant

etiam Ecclesiæ exstruebantur, vel certe ad Ecclesias alibi exstructas Sanctorum Corpora transferebantur. (1) Hinc lex illa Ecclesiæ ortum habuit, prohibentis altare aliquod dedicari, (2) nisi inclusis in illud Sanctorum lipsanis. (3) Atque hæc Martyrum sepulchra, vulgo *Memoriæ*, aut *Confessiones* nominabantur. Ea subtus humum erant, ad quæ ante altare illis superædificatum descensus patebat. (4) Extra sacrificii tempus nihil omnino altari impositum erat, nihil quod illud proxime contingeret; quatuor solum columnis ad totidem angulos erectis ara circumdabatur, columnis vero quiddam quasi tabernaculum imminebat, quo totum altare operiebatur, quod proinde *Ciborium* veteres nominabant, a forma videlicet sua, quæ craterii inversi similis erat. (5)

Post

bant altaria; uti quod Pulcheria Sozomeno teste *lib. 9. hist. Eccl. cap. 1.* dedicavit. Quatuor columnis sustentabantur, quas in Constantinopolitana S. Sophiæ Basilica *aureas* fuisse Paulus Silentiarius narrat. Heinc *ep. 15.* Vigilius Papa *quum*, inquit, *in eadem Ecclesia ad sancto ejus Altari tracti pedibus traheremur, columnas tenuimus, & super nos Altaris mensa ceciderat, nisi Clericorum nostrorum fuisset manibus sustentata*. Unum olim altare in plerisque Ecclesiis erat, quemadmodum in Tyria Ecclesia, quam Eusebius describit *l. 10. histor. c. 4.* Deinceps altaria magno numero in Ecclesiis posita sunt; septem certe in Romanis Ecclesiis erant quo tempore Johannes Diaconus epistolam scripsit ad *Senatorium Virum illustrem* a Cl. Mabillonio in *Itinere Italico* divulgatam. Immo cavendum fuit, ne nimium Altarium numerus augeretur. Quare Concilium apud Theodonis villam ann. 804. celebratum statuit: *de Altaribus ut non superabundent in Ecclesia*.

(1) *Tumulos eorum* (Martyrum) *arbitrabatur Christi altaria*; scribebat hunc morem spectans adversus Vigilantium S. Hieronymus.

(2) Dei cultu consecrabantur Altaria, ut ait S. Gregorius Nyssenus. Mos tamen fuit peculiari ritu illa sacrare, nempe *non solum unctione Chrismatis, sed etiam sacerdotali benedictione*, ut *can.* 14. a Concilio Agathensi fuit constitutum.

(3) Reddo egregia in hanc rem S. Ambrosii verba *ep. 52. Quum ego Basilicam dedicare vellem, multi interpellare cœperunt, dicentes: sicut in Romano, sic Basilicam dedices. Respondi, faciam, si Martyrum Reliquias invenero.* Vide etiam Gregorium Turonensem *de vitis PP.* c. 17.

(4) Hæc disciplina ad octavum usque sæculum servata fuit; nono enim sæculo Leo IV. permisit, ut Reliquiæ super altare collocarentur. Ceterum etiam post hæc tempora mos perduravit, infra altaria condendi Sanctorum corpora; immo S. Oddo Cluniacensis refert l. 2. *collat.* c. 28., S. Walburgem cuidam infirmo quum se se visendam præbuisset, dixisse: *idcirco non sanamini, quia Reliquiæ meæ sunt super Altare Domini, ubi Majestas divini mysterii debet solummodo celebrari*.

(5) Huius generis ciboria passim Veteres memorant. Sic in Leone IV. ait Anastasius: *sacrum desuper construxit Altare, & Ciborium cum Cruce*. Sic etiam de S. Gregorio Magno liber Pontificalis refert: *hic fecit ad B. Petrum Apostolum super altare ciborium ex argento purissimo cum columnis IV. pensans libras centum*. Unum hujusmodi ciborium Neapoli hodieque servari in vetere Ecclesia S. Mariæ ad *Capellam*, quam Canonici Regulares possident, scribit doctissimus Mazochius in *Diss. de Cathedrali Ecclesia Neapolitana p. 16.*, tum addit: *deinde ubi palam Eucharistia asservari cœpit, ea in columba aurea, aut argentea condebatur, eaque columba ex eodem ciborio suspensa dependebat. At deinde præter ciborium majus structile, minus alterum, ac plerumque constatile repertum fuit, majori subjiciendum, quod* Peristerium *vocabatur, ex quo eadem illa columba dependebat. Et istud quoque Peristerium in morem majoris undique patens erat.*

Ceterum de Christianorum Altaribus agunt Johannes Baptista Thiers in Dissertationibus Ecclesiasticis Gallice editis *Parisiis 1688. sur les principaux Autels des Eglises, les Jubes des Eglises, la Cloture du Choeur des Eglises*, Grancolasius in lib. cit. *adnot.* 2. a *pag.* 33.,

Bona

Post Altare, uti supra dicere institui, Presbyterorum locus ac regio erat propria, reliqua aede sacra aliquanto humilior, & superne in angulatum fornicem desinens; pars ista Ecclesiae *Concha* appellabatur; eo quod superius conchae in modum clauderetur; *Absis* etiam propter figurae suae cum conchyliis, & arcu similitudinem dici solebat: (1) Denique haec ipsa templi postrema pars *Tribunal* etiam nominabatur, propterea quod in Basilicis profanis, id est, in Principum, & Judicum palatiis hujusmodi locum magistratus occuparet, a ministris publicis stipatus. (*Ord. Rom.*) Editiore etiam loco Basilicae ista pars sita erat, ut adeo altari appropinquaturum Episcopum per gradus ex ea descendere oporteret.

Universa moles hactenus (*Anast. in Sylvest. & in Leon. III. &c.*) descripta ad omnem magnificentiam exornata erat. Ciborium, sive tegmen, & umbraculum altaris, una cum quatuor columnis, quibus innitebatur, saepe solido ex argento conflatum erat; erantque eorum nonnulla, quae ter mille marcas pondere aequarent, columnis (*idem in Steph. IV.*) siparia ex tela magni pretii interserta erant, ad altare omni ex parte cingendum. Ciborium imaginibus illustratum splendebat, cujus supremam partem crux, aut alia quaedam pia imago solido ex auro facta terminabat; idem ornatus erat sacrae pixidis, in qua divinissima Eucharistia aegrotorum in usus asservabatur, eam nos hodie *Ciborium* vulgo appellamus. Suspensas item ex altaribus videre erat columbas aureas argenteasve, Sancti (*Concil. Constantin. ann. 536. Act. 5.*) videlicet Spiritus symbolum, in quibus ipsum adeo altaris Augustissimum Sacramentum interdum reponebatur. (2) Nonnunquam tota Absis argento convestita erat, marmore quidem certe cum Absis, tum Concha nunquam non obducta erant. Columnae etiam, quae duplici ordine dispositae Basilicam intersecabant, marmoreae erant cum capitellis aeneis inauratis; denique marmore stratum erat ipsum pavimentum, & non raro elegalti opere incrustatum. Musivum illud opus vocant, cujus ad ornanda templa frequens usus fuit posterioribus praesertim saeculis; genus id est tessellati, seu vermiculati operis ex frustis vitri diversicoloribus, ex quibus omnis generis figurae, & imagines concinnantur, quae aetatem ita ferunt, nulla ut temporum injuria deleantur. (3) Sed neque aliae picturae in Ecclesiis desiderabantur, quibus Ecclesiarum parietes maximam partem ornatae erant. (*Vid. Rom. subterran. l. 4. c. 6. 7. &c.*) Vidisses ibidem coloribus expressas Veteris Testamenti complures historias, eas in primis, quae mysteriorum Novae Legis umbrae erant, ut Arca Noemi, Abrahami sacrificium, transitus maris rubri, Jonas

---

Bona *Rer. Liturg. l. 1. c. 20. §. 1.*, Sala *in eum* Bonae locum, Martenius *in Indice Tom. III. de ant. Eccles. ritibus v. Altaria*, Zechius *Tom. I. de jure Rerum Ecclesiasticarum Sect. 1. Tit. 4.*: quibus adde ex Protestantibus Balthasaris Bebelii exercitationem *de aris, & mensis Eucharisticis Veterum*, Joh. Fabricium *de aris veterum Christianorum*, & Godfridi Voigtii *Thysiasteriologiam*, sive librum posthumum *de aris veterum Christianorum*, *Hamburgi* 1709.

(1) Longe alius hujus vocis etymon habes apud Isidorum *Orig. lib. 15. c. 8. Absida Graeco sermone Latine interpretatur Lucida, eo quod lumine accepto per arcum resplendeat.* Vide Cangium in Glossario V. *Absida*.

(2) Perpetuum Turonensem Archiepiscopum, refert Turonensis Gregorius legasse Amalario Presbytero *peristerium, & columbam argenteam ad repositorium*. Turriculis praeterea quibusdam Eucharistia includebatur. *Diaconus*, inquit Gregorius *de gloria Martyrum l. 1. c. 86.*, *accepta turre, in qua mysterium Dominici Corporis habebatur*. Hugo Flaviniacensis *Pixidem* memorat, *in qua servaretur Corpus Dominicum dependens super altare*: Confer Thiersium in Dissertatione Gallica *de principibus aris Ecclesiarum* cap. 24., Grancolasium T. I. operis praenotati *l'ancien Sacramentaire de l'Eglise p. 192. seqq.* Martenium *l. 1. c. 5. art. 3. n. 6. seqq.*

(3) Consule de hisce musivis Ciampinium.

nas in altum dejectus, & Daniel. in lacu leonum conclusus. (1) Pluribus in locis Servatoris nostri, aut miraculorum ab ipso patratorum imago quædam se offerebat, qualia sunt multiplicatio panum, & Lazari ad vitam suscitatio. (2) Demum qualibet in Ecclesia repræsentabantur Martyris illius, cujus reliquiæ ibidem positæ erant, res pro Christo fortiter gestæ, & exantlatæ. (3) Duo in hanc rem illustria sane exempla Prudentius (*Peristeph.*) nobis suppeditat in hymnis de SS. Cassiano, & Hippolyto Martyribus. Picturæ istæ eo præcipue spectabant, ut rudium hominum ingeniis librorum loco servirent, quemadmodum Gregorius II. Pontifex in Epistola secunda ad Imperatorem Leonem Iconoclastarum auctorem scribit: (*Greg. II. Ep. 2. in Conc. Nicæn. II. Oecum. VII.*) *Viri ac mulieres*, inquit, *pueros parvulos nuper baptizatos in ulnis tenentes, itemque florentes ætate juvenes, & ex gentibus diversis profectos, indicatis digito historiis, eos ædificant, eorumque mentes, & corda sursum ad Deum erigunt.* (*Anastas. in Leon. III.*) Neque portis Ecclesiarum sua deerant ex ebore, argento auroque ornamenta; semper vero templi foribus cortinæ prætensæ erant.

Diaconicum, sive Sacristia insignis structura erat ipsi Ecclesiæ contigua. (4) Hic sacra vasa, hic libri, & vestimenta Sacerdotum, hic cetera Ecclesiæ sacra, & pretiosa supellex custodiebantur, Fidelium quoque oblationes, ipsaque interdum Eucharistia ibidem reponebatur. Eodem ad caussas Ecclesiasticas secreto tractandas Clerum suum Episcopus convocabat; idem eo se referebat interdum, ut ad rem divinam rite faciendam sese compararet: quemadmodum de S. Martino Severus (*in Vita ipsius*) auctor est, qui tres ipsas horas in Sacristia abditus orationi ante Missam vacare solitus erat. Inde est, cur ei loco *Secretarii* nomen inditum fuerit, cujus spatium nonnunquam adeo capax erat, ut Conciliis ibidem celebrandis sufficeret. In nonnullis Ecclesiis geminæ ad supradictos (*Paul. ep. 12.*) usus aulæ erant, quarum altera sacro instrumento asservando, altera meditationi, & consultationi attribuebatur.

Calicum & patenarum vis ingens erat; illi sub prima Ecclesiæ sæcula sæpe quidem vitrei solum erant, sæpe tamen persecutionum etiam durante tempore argentei aureique adhibiti sunt. Calices isti pocula erant, quibus Romani ad bibendum fere utebantur; (*Lib. Pont. & Mar. & alibi passim*) patenæ autem lances, sive catini erant, quibus escæ mensis inferebantur. Calices templorum maximam partem pondus trium marcarum habebant; patenæ vero utpote prægrandes pelves sive pollubra, non raro quinque, & quadraginta, semper vero triginta marcas graves erant. (4) Jam inde ab iis temporibus (*Hieronym. in Vigilant. c. 3.*) cereorum in Ecclesiis usus receptissimus erat, quorum bene multi quamlibet adulta die accendi solebant, interlucentibus magno numero lampadibus. Luminum hic tam creber usus tum temporis multoque ante publicæ lætitiæ, & ve-

(1) *Novi ac veteris Testamenti historiis hinc inde parietes Templi repleri doctissimi pictoris opera velim*, ajebat Nilus *ep.* ad *Olimpiodorum*, *quo scilicet hi, qui litteras norunt, contemplatione picturæ in memoriam reducent*. Confer Mamachium *T. III. Orig. p. 27.*

(2) Vide Mamachium *l. c. p. 46.*

(3) *In omnibus Ecclesiis Nostris*, inquit S. Basilius contra Julianum, *Sanctorum historias erigimus*. Consule Grancolasium *T. I. p. 67. seq.* Trombellium *de cultu Sanctorum diss. 9. cap. 68.*

(4) Vocabatur etiam *Pastophorium*, *Vestiarium*, atque adeo a S. Greg. M. *l. 4. ep. 54. Salutatorium*, quod illic Clerus ante Missam conveniret Episcopo salutem dicturus. Concicilium Altissiodorense *can. 37.* feminas ab ingressu in Diaconicum prohibet.

(5) De calicibus, & patenis consule Bonam *l. 1. c. 25. §. 1. & 2.*, Salam *in Bonam*, Mabillonium *Comm. in Ord. Rom.* Martenium (vide Indicem T. III. V. *Calix*, *Patena*) Grancolasium *T. I. p. 93. & 728.* P. Sebastianum Pauli in Diss. *de patena Foro-corneliensi*, Joh. Doughteum *de Calicibus Eucharisticis*, *Bremæ 1694.* Martinum Gerbertum *Veter. Liturg. Alemann. P. I. disquis. 3.* & Franc. Xaver. Holl in *Statistica Eccl. German. P. 1. §. 302.*

& venerationis significatio habebatur. Nam Magistratibus Romanis ignis, seu potius prunæ in foculis præferri solebant, ad odores nimirum incendendos; id quod Horatius adnotavit, vanitatem, & insaniam exagitans Prætoris cujusdam, vel potius (*Lib. 1. Satyra 5. v. 34. &c.*) Scribæ, qui *Fundis* in parvo, & ignobili oppido magnos honores sibi sumebat, hujus enim

Prætextam, & latum clavum prunæque batillum

salse Poeta irridet. Præterea in *Notitia Imperii* præter ceteras notas symbolaque plurimorum Magnatum, & Procerum mensa proponitur, in qua liber pulvinari impositus est, alias omnibus conspicuus, alias oblongo velo coopertus, candelis duabus supra candelabra ardentibus, quæ figura nostris altaribus admodum affinis est. (*Anast. in Sylvest.*) Inventa fuere candelabra ex auro, Ecclesiis sub prima Christianismi tempora dono data, quæ septem supra triginta marcas adæquabant; argenteorum vero pondus ad quadraginta quinque ascendit. Usus item cereorum odoratorum ad suffitum videlicet faciendum in aliis etiam extra Italiam Provinciis deprehenditur, (*Gregor. Turon. l. 2.*) quemadmodum in baptismo Clodovæi observatum fuisse accepimus. (1)

Baptisterium figuræ plerumque rotundæ erat, aditumque habebat, ex quo per aliquot gradus descendebant immergendi in aquam; nam locus iste re ipsa balneum quoddam erat. Consecutis post temporibus satis visum fuit, ingens aliquod labrum balnearium ex candido rubrove marmore huic mysterio destinare; ad extremum vero tota baptisterii ratio ad pelvim, sive pollubrum redacta est, uti nostra adhuc ætate fontes baptismales extant. Jam baptisterium suis quoque huic Sacramento (*Paulin. Epist. 12. Lib. Pontif. in Innoc. I. & alibi*) maxime consentaneis picturis illustratum, vasisque aureis, & argenteis compluribus ad sacrum Oleum asservandum, & aquam superfundendam locupletatum erat. Vasa hæc modo agnelli, modo cervi referebant figuram, illa sanguinem Agni Divini, (*Psalm. 41. v. 1.*) quo a sordibus peccatorum lavamur, ista animarum desideria repræsentabant, Deum & Cælestia sitientium. Interdum etiam S. Joannis Baptistæ imaginem videre erat, cum columba aurea, vel argentea sacro fonti imminente, quo sic eo luculentius exprimeretur universa Christi in Jordane baptizati historia, & virtus Spiritus Sancti super aquas baptismales descendentis; (*Concil. Constantinop. ann. 535.*) quæ etiam ratio fuit, cur nonnulli aquam ipsam, seu fontem baptismalem *Jordanem* appellarent. (2)

Hunc ferme in modum exstructæ erant veteres Ecclesiæ, & ædificia illis adjuncta; (3) cetera enim, quæ huc referri deberent, prætereo, hujusmodi sunt Episcopale palatium, & Clericorum habitatio, ex quibus progressu tem-

(1) Antiquissimum candelabrorum, & luminum in rebus Liturgicis usum plura demonstrant, quæ bona *l. 1. c. 25. §. 7.*, & Sala *in eum locum* congessit. Adde Grancolasium *T. I. p. 717. seqq.*, Georgium *de Liturg. Rom. Pont. lib. 3. c. 2. n. 9.* & *cap. 18.*, ac Thiersium *diss. cit. cap. 19.*

(2) De Baptisteriis Tomo superiore aliqua adnotavi. Confer dissertationem Chardonii in fine hujus partis, & quæ ad cap. 1. diximus in *Bibliographia*.

(3) Age, de Templis Christianorum quos consulas, hi sunt; Bellarminus *de Templis*, Bulengerus *de Templis libro tertio*, Leo Allatius *lib. de Templis Græcorum recentiorum*, *& de Narthece*, Pompejus Sarnellius in libro inscripto: *Antica Basilicografia* Neapoli 1684., Johannes Ciampinius *de Sacris ædificiis a Constantino M. constructis*, Bona *l. 1. Rer. Liturg. c. 19.*, & Sala *in eumdem*, Mabillonius *Comment. in Ordinem Romanum* §. 3. Grancolasius *T. I. Antiqui Sacramentarii Ecclesiæ pag. 2.* Zechius *T. I. de jure rerum Ecclesiast. Sect. 1. Tit. 1.* Hildebrandus *de priscæ, & primitivæ Ecclesiæ Sacris publicis, templis, & diebus festis*, *Helmestadii* 1652., Urb. Godofr. Siberus *de templorum condendorum, & dedicandorum ritibus*, *Lipsiæ* 1726., Binghamus, aliique apud Fabricium *Bibliogr. antiq. p. 414. seqq.* Adde & Mazochium V. Cl. in Diss. *de Cathedrali Ecclesia Neapolitanæ*.

temporis Canonicorum septa, & monasteria exorta sunt; item hospitales domus diversi generis, quæ maxima ex parte prope sacram, & principem ædem exstructæ erant.

Et tamen Gentiles eorum temporum Fidelibus exprobrabant, quod neque templa, neque altaria, neque statuas, neque sacrificia festaque ulla haberent; quibus Christiani, ut objecta diluerent, non aliud fere respondebant, quam fana illa, & aras cruentaque Sacrificia nimium quantum indigna esse Dei Majestate. Deum non aliam habere sui imaginem, quam Filium Unigenitum suum, & animas rationales, quæ filii Dei imitatione Patri ipsi efficiantur similes; nec deesse sibi ullo aut loco aut tempore altaria & sacrificia, laudes nimirum divinas, quas ex animis charitate inflammatis, veluti fumantibus aris identidem offerant; denique veros ac genuinos Christianos nullam diem non habere festum, perpetuumque gaudium gaudere propter caducarum rerum despicientiam, propter securæ conscientiæ tranquillitatem, ac cælestium bonorum exspectationem limpidissimæ voluptatis plenam. Hæc aliaque his similia ad Gentilium obtundendas criminationes Christiani reponebant; quin præterea disertius responderent, dicerentque, esse sibi omnino templa, & altaria etiam materialia perinde atque Ethnici habeant, licet figura ab illis diversa.

Aliud nimirum Gentiles, aliud Christiani cogitabant, cum templa aut altaria nominarentur. Gentilibus enim altare nihil aliud erat, quam focus quidam e lapidibus in foro aliquo ante templum aut idolum, & quidem sub dio exstructus, in quo victimarum carnes cremari, vinumque, lac, mel & alia libationum genera effundi mos erat. Iidem templum accipiebant pro ædificio singulari figuræ alias rotundæ, alias oblongæ, in cujus structura proportio, certaque ornamenta pro diversitate divinitatum diversa etiam ipsa erant; quemadmodum apud Vitruvium legere est. Generatim tamen id genus templa maximam partem angusta erant, fenestris aut plane destituta, aut modica luce per illas admissa subobscura; nec quidquam aliud in iis præter Deorum simulacra, & donaria illis facta visebatur; populus enim intro succedere non solebat, sed pro templi foribus altare ipsum circumstabat. Contra vero Christianorum Ecclesiæ aulis quam fanis similiores erant, cujusmodi videlicet (*Vitruv. L. 4. c. 1. Baron. ad Martyrolog.*) Basilicæ fuerunt a Vitruvio descriptæ, aut scholæ publicis usibus apertæ. Eminebat in illis tribunal cum suggestu sive cathedra, quam totius conventus Præses occupabat; præterea offerebant sese pulpitum pro lectoribus, scamna pro auditoribus, libri, armaria, lampades, candelabra, mensa denique, cujus quis usus esset, Gentiles ignorabant, nisi quod scirent epulas interdum Christianos inter se communes habere. Accedit, quod cœtus suos & loca, ubi cœtus cogebant, Christiani frequentius translatis vocabulis efferre solebant, nominando illos Ecclesiam, *Basilicam*, *Oratorium*, *Domum Dei*, *Dominicum* (1) sive quod idem ex Græco sonat *Kyriacum*, ex quibus ultimis vocabulis voces Germanicæ *Dom* & *Kirch* ortum duxere, raro ea loca templum, nunquam vero, quod legere meminerim, delubra aut fana appellabant; sæpe etiam altaris loco *sacram mensam* dicebant. Progrediente tamen die ipsa Gentilium fana ad veri Numinis cultum adhibita fuerunt, siquidem ad Religionis nostræ functiones idonea haberentur. Quemadmodum Romæ Pantheon, (2) Minervæ, Fortunæ, aliaque Deorum Dearumque Fana in Ecclesias Christianas conversæ sunt.

Non amplæ solum ornatæque erant Christianorum Ecclesiæ, verum etiam, ut mundæ essent ac probe custoditæ, sollicite curabatur; S. Hieronymus Nepotianum Presbyterum laudat, cujus cura diligentiaque factum fuit

(1) Vetus inscriptio apud Pignorium *de* servis *Dominicu* (sic) *Clementis* memorat, nempe Basilicam Romanam S. Clementis. Vide Eusebium *Orat. de Laud. Const. c. 17.*, S. Cyprianum *de opere & eleem.*, S. Pachomium *Reg. c. 54. Martyria* quoque, & *Memoriæ Martyrum* vocabantur. Confer Augustinum *l. 22. de Civit. Dei cap. 10.*

(2) Si tamen Pantheon templum fuit, nec potius balneum; de quo vide eruditam P. Lazeri Dissertationem.

fuit, ut Ecclesiæ ipsius altare perpolitum, muri a fuligine, pavimentum a pulvere, & sordibus defensum, sacristia nitida, vasa pellucida conservarentur, assiduusque ad Ecclesiæ fores janitor excubaret. Hujus generis ministeriis inferioris ordinis in Ecclesia ministri deputati erant, quocunque demum nomine illos appellare libeat; nam Janitores, Mansionarii, Cubicularii, Æditui vocabantur, ingensque semper in majoribus Ecclesiis numerus eorum erat. (*Baron. Anno 58. n. 102.*) Ex formula ordinationis colligitur officium Janitorum fuisse, ut dato signo statis horis Fideles ad comprecationem advocarent, sive campanarum pulsatione, ex quo earum usus receptus fuit, quod sæculo sexto exeunte contigisse creditur, sive alia quadam ratione id fieret; præterea portam Ecclesiæ reserare, ad eamdem excubare, infideles atque excommunicatos inde prohibere, claves perpetuo asservare, denique ne quid per negligentiam deperiret, cavere ostiarii debebant. (*Dial. 1. c. 5. & 3. c. 24*) Ex dialogis S. Gregorii discimus, lampadum curam Mansionariis demandatam fuisse; hi ipsi ex inferiore Clero ministri festis ac solemnibus per annum diebus Ecclesias pro suo munere exornabant, alias peristromatis ex serico aliove pretioso opere contextis, alias floribus, & virentibus ramis sacros parietes scite vestiendo; verbo, in adornando curandoque sancto loco nihil ab ipsis prætermittebatur, quod ad ingenerandam hominibus Domus Dei reverentiam, & pietatem necessarium esset. Porro id genus functiones tanti fiebant, ut Laicis eas obire non permitteretur; eamque ob caussam consultius visum fuit, ad Diaconorum sublevandos labores novos Clericorum ordines, qui muneribus illis præficerentur, constituere.

CAPUT III.

Religionis exterior apparatus, ejusque necessitas.

Etsi Christiana Religio tota spiritualis sit, atque ad interiorem hominem præcipue spectet; nihilo tamen minus Christiani homines utique sunt cæteris mortalibus similes, perindeque ac reliqui sensuum, & phantasiæ objectis affici ac moveri solent. Immo dicere ausim, quam plurimos ipsorum in omni actione sua vitæque totius ratione sensibilium rerum ductum ac veluti magisterium unice sequi. Quotus enim quisque est, qui animali hominis parte prorsus superior totus sit in operationibus mere internis, & intellectivis? Immo qui tales sunt, quoties ab iis distrahi, & avocari non solent? Igitur rerum externarum adminiculis fulciri pietatem nostram, & adjuvari omnino necesse est. Si, quæ Angelorum natura est, puri spiritus essemus ab omni corporum concretione semoti, perinde in uno atque in alio loco animum per orationem ad Deum erigere nullo negotio possemus; nec fori aut compitorum strepitus, nec militarium tumultus stationum, nec popinarum nidor, & helluonum in illis temulentæ voces, nec ullius denique cloacæ sordes ac fœtor ab orando Deo animum avocarent nostrum. Cur autem omnia hæc loca nimium quantum ad colligendum animum inepta evitamus; nisi ut sensuum nostrorum ac phantasiæ lubricitati, & naturali ad exteriora effusioni utcunque occurramus? Nobis profecto, non Deo, templis & oratoriis opus est. Is enim locis omnibus ex æquo præsens adest, semperque ad nos audiendos paratus; nos vero ad colloquendum cum ipso haud perinde quovis tempore ac loco expediti sumus. Frustra igitur certa quædam loca divino cultui sacramus, nisi eadem a nobis ita curentur, exornenturque, ut ad ingenerandam pietatem opportuna sint. Nos ipsi nonne in dies experimur, quam difficile sit orationi vacare in Ecclesia loco tam incommodo sita, ut vicini fori aut frequentatæ ab hominibus plateæ strepitus e propinquo exaudiatur, tam pulverulenta insuper maleque perpurgata, vix ut invenias, ubi pedem figere, ubi considere, aut ponere genua commode liceat; in Ecclesia denique, ubi unda populi ultro citroque commeantis nunc in latera, nunc in pedes orantium incurrat, ubi infantium ejulatu, exactorum pro stipe corroganda, omnisque generis mendicabulorum clamoribus perpetuo interpelleris? Jam si ad hæc aurium tormenta oculorum etiam, quod sæpe fit, offensiones accedant, ut cum præter architecturæ, quam Gothicam vocant, obsoletam formam, tum di cætera quoque ornamenta, & sacra supellex ingratum oculis spectaculum præbent, cum picturæ aut fumo pulvereque squalentes, aut a solis incidente lumi-

himine averſæ obſcuroque loco poſitæ, ſtatuæ item rudi opere elaboratæ, turpiterve mutilatæ paſſim extant: cum peripetaſmata hiſtorias profanas, immo nonnunquam parum ædificationi conſentaneas repræſentant, aut cum æditui imperitia contra ordinatæ ſtructuræ modum ad regulam perperam diſpoſita videntur; ſi denique dum res divina ſolemniter peragitur, plures ex omni parte Miſſæ privatæ celebrentur, aliis interim in odeo concinentibus, aliis privatim preces ſacras perſolventibus, aliis ad confabulandum, aliis ad dormiendum converſis, qui tandem inter tot ac tanta ſenſuum avocamenta animus ſibi conſtabit? E contrario Eccleſiam cogita a turba, & tumultu ſemotam, ſtructuræ inſuper elegantia, & ſacri inſtrumenti apparatu ac nitore præſtantem, in qua bene coordinatus Clericorum chorus divini officii partes omnes ingenti cum modeſtia ac dignitate obeat, ſane ad aſſiſtendum tali in loco rei divinæ, & ad preces non tantum lingua, ſed intimo animi affectu, (*1. Cor. 1. v. 15*) quod Apoſtolus monet, fundendas, nullum efficacius afferri poſſet invitamentum.

Probe iſta animadverterant primorum Eccleſiæ ſæculorum ſapientiſſimi Præſules. Erant iſti partim Græci, partim Romani, ſæpe quidem philoſophicis Diſciplinis, ſemper vero urbanitatis, & decentiæ præceptis egregie imbuti; intelligebant, ad excitanda in hominum animis præclara ſenſa honeſtiſſimaque de rebus ſacris ac divinis judicia momenti plurimum habere ordinem, dignitatem & munditiam rerum, quæ ſenſibus objiciuntur; neceſſario etiam ex hac rerum æſtimatione voluntatem tenere commoveri, & colliqueſcere; ſed neque illud eos latebat, ægre admodum fieri poſſe, ut ad ſublimia ſeſeque digna hominis animus aſſurgat, quamdiu corpus ipſum impeditur, & phantaſia externarum rerum imaginibus veluti ſauciata languet. Interim tamen pietatem tanti æſtimabant, ut eam, quoquo modo poſſent, ad juvandam curarent. Quare illud in primis agebant, ut tota publici Divinique Officii ratio, præcipue vero auguſtum Altaris Sacrificium, quanta maxima fieri poſſet, majeſtate & ſplendore perageretur, utque populus eidem quam commodiſſime intereſſet, quo ſic ſuus domui Dei amor, debitaque veneratio conſtaret. Procul tamen a Sacris Ædibus faſtum omnem profanum, procul effeminatum luxum, & quidquid denique lenocinari animis, & ſenſus externos ferire poterat, proſcribebant; neque enim ad permulcendos molliter ſenſus, ſed ad eoſdem, ut divinis vacare poſſent, ſublevandos exterior in templis pompa ſpectabat. Clarius iſta percipientur, ubi totam antiquorum Liturgiam ordine enarravero.

CAPUT IV.

Liturgiæ Ordo.

Singulis Dominicis Feſtiſque Sanctorum Martyrum, & jejunio dicatis diebus, denique ſæpius per annum pro diverſa cujuſcunque peculiaris Eccleſiæ conſuetudine divinum ſacrificium offerebatur; (1) votivæ etiam Miſſæ pro publicis, & privatis neceſſitatibus fiebant. (2) Dominicis ac feſtis diebus res divina peragebatur finita Tertia; (*Cod. Sacram. Edit. Rom. 1680.*) diebus vero jejunii tardius pro eo, ac refectio corporum nunc poſt Nonam, nunc a Veſperis præſcripta erat. (3) Ubi primum hora rei ſacræ deſtinata illuxit, Fidelium multitudo ad ædem principem confluebat, indeque una cum Epiſcopo, & Clero univerſo ad locum, in quo ſtatio illius diei indicta erat, ſe conferebat; hunc enim in

(1) Variam Eccleſiarum diſciplinam quod ad Miſſarum celebrationem adtinet, paucis complectitur S. Auguſtinus *ep. ad Januar. Alibi*, inquit, *nullus dies omittitur: quo non offeratur; alibi Sabbato tantum, & Dominico; alibi tantum Dominico*. Confer Bonam l. 1. *Rer. Liturg.* c. 18. Grancolaſium *T. I. p.* 360. *ſeqq.* Leslaeum *in Miſſale Mozarabum p.* 505. *ſeq. T. II.*

(2) De Miſſis votivis, quæ A'cuinum auctorem habere dicuntur, conſule Grancolaſium T. I. p. 433., & Martenium *de ant. Monach. ritib. l. 2. c. 6. n.* 41.

(3) Vide Card. Thomaſii opuſcula varia *T. VII. oper. noviſſ. edit. p.* 10. & Grancolaſium *T. I. p.* 658.

in modum Episcopus Ecclesias omnes suæ curæ creditas per se ipse obiens lustrabat, atque ex hujusmodi visitationibus, (*Ord. Rom.*) cum collectus in unum corpus omnis populus ordinatim procederet, Processionum ut vocant, sive supplicationum apud Christianos mos, & nomen fluxit. (1) Interea temporis intrante populo, singulisque locum occupantibus, a choro psalmus aliquis cum Antiphona sua decantabatur, cui proinde Introitus nomen in Ecclesia inditum hodieque manet. (2) Diaconi & qui his juvandis subrogati erant, Subdiaconi videlicet, atque Ostiarii certum singulis, ut quisque templum ingrediebatur, locum assignabant; ut adeo in tanta multitudine confusionis esset omnino nihil. Hoc ordine collocati, ac veluti in stationes suas distributi Fideles, preces aliquamdiu taciti fundebant: tum Episcopus toto cœtu salutato, clara & elata voce comprecationem illam oratione quadam concludebat, quæ Collectæ nomen ea re sortita est.

Secundum hæc in solio suo Episcopus assidebat, (2. *Petr.* 5. *v.* 3.) quod in extrema, & eminentiori Basilicæ parte collocatum veluti centrum ac scopus erat, in quem conversi totius multitudinis obtutus collinearent. (3) Hac ratione (1. *Cor.* 11. *v.* 1.) Pastorum quilibet visibilis quædam Dei imago, & ut sacræ paginæ loquuntur, forma gregis suæ erat, perinde ac Christus ipse splendor est, & imago Dei Patris. (*ad Tit.* 2. *v.* 7.) Episcopum presbyteri ad dexteram, & sinistram medium in orbem, quæ absidis figura erat, ipsi quoque sedentes circumdabant, Diaconis in pedes erectis. Ecclesiæ ista facies paradisi referebat imaginem a S. Joanne in Apocalypsi descriptam. (*Apoc.* 4.) Episcopus cum volumine in manu, quo modo Ecclesiæ Patres depingi solent, throno insidens vicem ac personam sustinebat ipsius Dei sub habitu, & specie humana in throno sedentis, librumque manu tenentis intus, & foris scriptum. Porro Presbyteri viginti quatuor Seniorum augustum Senatum repræsentabant; Diaconi cum reliquis Sacrorum ministris Angelos exprimabant, administratorios videlicet Spiritus, ad Dei capessenda jussa perpetuo expeditos. Ante solium Episcopale septem candelabra (4) cum altari posita erant, in qoo primum incensa multa, quæ sunt orationes Sanctorum, tum vero Agnus sine macula offerebatur, etsi aliis ac peregrinis speciebus panis propositus. Denique turmæ Fidelium, quibus Basilica tota replebatur, non ineleganter turbam illam magnam referebant, quam dinumerare nemo potest, Beatorum inquam Cælitum, (*Apoc.* 7. *v.* 9. *&c.*) *qui stant ante thronum, & in conspectu Agni amicti stolis albis: & palmæ in manibus eorum: & clamant voce magna dicentes: Salus Deo nostro, qui sedet super thronum, & Agno.* Hæc ferme cœtuum in Ecclesiis agi solitorum forma erat.

Ubi quisque certo loco constitit, Lectorum unus aliquis ambone conscenso e Vetere primum, subinde e Novo Testamento partem aliquam recitabat, nimirum ex Actis aut Epistolis Apostolorum; nam Evangelii lectio Sacerdotibus aut Diaconis reservata erat. Quo suavior auditu sacra hæc lectio esset, otiumque & opportunitas daretur tum audientibus, attentius lecta meditandi, tum Lectoribus, a contentione vocis sese colligendi, Psal-

(1) Confer Mabillonii commentarium *in ordinem Romanum p. xxxi. seqq.* Georgium *de Liturg. Rom. Pont. lib.* 3. *cap. I. ad VI.*, & Grancolasium *T. I. p.* 726.

(2) De introitu, quem S. Cælestino alii, alii S. Gregorio Magno tribuunt, consule Bonam *lib.* 2. *c.* 3. §. 1. Salam in eumdem, Thomasium *disquisit. antiquiorum rituum cantuum Missæ T. V. oper. p. VI.*, Grancolasium *T. I. ant. Sacram. p.* 761. *& in antiquis Liturgiis p.* 459., Georgium *de Liturg. R. P. Lib.* 3. *cap.* 7., & Benedictum XIV. *de Sacr. Miss. l.* 2. *c.* 3. Vide etiam quæ T. III. *Bibl. Ritual.* ad MALDONATI tractatum *de Cæremoniis* adnotavimus.

(3) Præter Auct. *cap.* 2. citatos *adnot.* 3. consule de Episcopali solio Bonam *l.* 1. *c.* 20. §. 7. & Salam in eumdem; Eliam Vejelium insuper *de variis OEconomiæ Sacræ generibus, nec non de thronis & cathedris Pontificialibus. Ulmæ* 1688.

(4) Non tamen in ipso altari collocabantur, sed post cantatum *Kyrie* in pavimento presbyterii, & *ante altare*, seu in inferiori gradu, ac parte prope cancellos, quæ populum respicit, collocabantur. Vide Georgium *de Liturg. Rom. Pont. lib.* 3. *c.* 2. *n.* 11.

Psalmorum, Antiphonarum, & festivo vocis Alleluja interposito concentu lectio ipsa condiebatur. (1) Omnes hujusmodi lectiones peragebantur in lingua vulgari, id est, in ea, qua honestiores illius provinciæ homines utebantur. (2) Etsi enim Augustini ætate lingua Punica apud plebejos in Africa homines in usu erat, nullibi tamen legitur, ad Ecclesiasticum officium adhibitam fuisse. Contra vero in Thebaide lectiones sacras Ægyptiaco sermone obitas fuisse necesse est, quandoquidem (*Vid. S. Ant. c.* 1.) S. Antonius, qui præter hanc linguam nullam aliam callebat, audita Evangelii lectione ad Deum conversus fuit. In Syria superiore Episcoporum pauci admodum Græce docti erant, (*Conc. Eph. Conc. Chalced. Act.* 10.) nec alio, quam Syriaco, sermone ipsi utebantur, id quod ex Conciliis, quibus interfuere, comprobatur, ubi interprete indigebant.

CAPUT V.

Conciones.

Lectionem sacram concio excipiebat. (3) Antistes Evangelium aut aliam Divinæ Scripturæ partem explanabat, ex qua librum persæpe integrum a capite ad calcem sumebat exponendum; argumenta quidem certe talia inde seligebat, quæ plus in vulgus utilitatis, & momenti haberent; exempla hujusmodi expositionum continuarum in homiliis bene multis Chrysostomi, & in Tractatibus S. Augustini in Psalmos, in Joannem, & Epistolas Paulinas occurrunt. Selectiora vero e libris sacris decerpta argumenta in operibus Divi Ambrosii sese offerunt, qui Sanctum Basilium imitatus, primum quidem de opere sex dierum, tum vero de Noemi, Abrahæ aliorumque in sacra historia sanctitate insignium Virorum rebus gestis tractat. Dissertationes istæ Patrum, & Commentarii in sacras litteras maxima ex parte, nihil aliud fere sunt, quam conciones vel ab ipsis Patribus subinde litteris mandatæ, vel ab aliis, qui concionibus intererant, notis compendiariis, de quibus supra egi, calamo exceptæ. Nimirum non erant Patres illi de genere male feriatorum sophistarum aut declamatorum, qui prava contradicendi mutuo æmulatione, aut alios superandi studio incensi, (*v. Aug. de opere Monach. c.* 29. *& Ep. ad Diosc.*) nunc in scholis publice disputabant, nunc ad eruditionis suæ præstantisque ingenii ostentationem in Musæis abditi, volumina per otium conscribebant. Sed Pastores animarum erant infinitis negotiis distenti, quæ proximi charitas exigebat, maxime vero subditorum componendis litibus occupati; (*vid. Synes.*

(1) De his adi præter AA. a Fabricio citatos *Bibliogr. antiq. p.* 376. Bonam *l.* 2. *cap.* 6. *seqq.* Georgium *de Liturg. Rom. Pont. l.* 3. *c.* 16. 17. & 18. Benedictum XIV. *de Sacr. Missæ l.* 2. *c.* 5. & 6. Grancolasium *antiq. Liturg. p.* 494. *seqq.*

(2) Confer Martenium *l.* 1. *de ant. Eccl. ritib. c.* 3. *art.* 2., & Honoratum a S. Maria T. III. *Animadv. in Art. Crit. l.* 5. *diss. IV. part.* 2. *art.* 1. *seq.* Atque heinc fortassis mos ille dimanavit, quem ab aliquot sæculis in Ecclesia Romana vigere novimus (vide Georgium *lib.* 3. *de Lit. Rom. Pont. cap.* 16. *num.* 5.) epistolam, & Evangelium Græce & Latine canendi.

(3) Concio nunc epistolæ, nunc Evangelii Lectionem excipiebat; interdum etiam Symboli cantum, de quo præter Bonam & Martenium confer Grancolasium *Antiq. Liturg. p.* 530., Mabillonium *Comment. in Ord. Rom. p. XLII. seq.*, Georgium *de Liturg. Rom. Pont. l.* 3. *c.* 20., Madrisium *ad S. Paullinum Aquilejensem diss.* 5. Benedictum XIV. *de Sacr. Miss. l.* 2. *c.* 6., *P. de Rubeis de Sacr. Forojul. ritib. c.* 6.

Ad Concionum ritus quod adtinet, uberem dabimus suo loco de illis dissertationem. Interea consule Ferrarii de hoc argumento libros tres, Hildebrandi exercitationem, Fabricii *Bibliographiam antiquariam* p. 377., Grancolasium *Antiq. Liturg. p.* 524., Benedictum XIV. *de Sacr. Miss. l.* 2. *c.* 6., Georgium *de Liturg. Rom. Pont. l.* 3. *c.* 19. & meam Italicam dissertationem *delle antiche Concioni Ecclesiastiche* T. 11. operis mei prænotati *dissertazioni varie Italiane a Storia Ecclesiastica appartenenti, diss.* 1.

Synes. *Ep*. 57.) qui tamen non omittebant quam frequentiſſime ad populum verba facere, ut muneris ſui partem illam explerent, quam miniſterio ſuo maxime omnium propriam eſſe ac neceſſariam judicabant. Etenim ſub prima Eccleſiæ ſæcula Epiſcopi omnes, extraque illos ferme nulli concionabantur. In Oriente primo acciri ad habendas conciones nonnulli ex Presbyteris cœperunt, qui ad id genus functionis ſingularibus naturæ, & gratiæ præſidiis inſtructi erant, qualem S. Joannem Chryſoſtomum fuiſſe conſtat; in Occidente vero inter primos, qui ex ordine Presbyterorum ad populum de ſuggeſtu agerent, S. Auguſtinus fuit.

Atque hæc cauſa eſt, cur noſtri ævi concionatoribus Patrum ſermones uſque adeo alieni videantur ab idea & methodo concionandi, quam ſibi hac ætate ſequendam propoſuerunt. Sunt illi nimirum plano ſimplicique ſtylo conſcripti, in quibus neque artificium, neque partitiones oratorias deprehendas: abſunt ſubtiliores ratiocinationes, abſunt curioſarum pigmenta eruditionum: ſine motu vehementiore affectuum nonnulli, plerique autem oppido breves ſunt. Fateor equidem, non id ſpectaſſe ſanctos illos Epiſcopos, ut clari perfectique oratores aut concionatores haberentur; ſed illud ſpectabant unice, ut familiariter cum ſuis, quemadmodum magiſtri cum diſcipulis, cum liberis patres, agerent. Eamdem ob cauſam exhortationes ipſorum homilias græce, latine ſermones nominamus, id eſt, familiaria colloquia. Docere populum cupiebant exponendo Scripturas Sacras, non per criticas curioſaſque rerum indagationes ac quæſtiunculas, uti Homerum, & Virgilium Grammatici in ſcholis explicabant, ſed per traditiones Patrum antiquas, ut tam fidem ſtabilirent, quam morum efficerent emendationem. Commovere quidem, & flectere Auditorum animos ſtudebant; hoc ipſum vero non tam eloquentiæ vi, adhibitaque in declamando contentione, quam veritatum, quas proponebant, magnitudine, proprii muneris majeſtate, vitæ totius ſanctimonia, promptaque in omnes charitate conſequi adlaborabant.

Dicendi genus Auditorum captui accommodatum erat. Inter omnia Auguſtini opera ipſius ad populum ſermones omnium ſimpliciſſimi humillimique ſunt, atque adeo breviore facilioreque ſtylo, quam ejuſdem Epiſtolæ, conſcripti; hos enim ſermones in oppido anguſto atque obſcuro ad inſtitores, ad ruſticam nauticamque turbam habuit. Cæterum idem S. Doctor in Polemicis libris, iis præſertim, quos contra Julianum edidit, luculenter demonſtrat, nequaquam ſe Rhetoricæ artis, quam olim publice ac longo tempore docuerat, oblitum fuiſſe. Contra vero Sanctorum Cypriani, Ambroſii & Leonis conciones, utpote in civitatibus peramplis habitæ, longe elegantiores atque ad regulas oratorias magis exactæ ſunt, diverſo tamen ſtylo exaratæ, pro cujuſque Patrum privata indole, temporumque, in quæ quiſque inciderat, varia conſuetudine. Neque enim rerum piarum, quæ a Patribus tractabantur, argumentis adſcribi poſſunt, quæ humaniorum litterarum periti in voluminibus Patrum cenſorio ſtylo configunt, cum modo latini ſermonis puritatem in iis deſiderant, modo probationum baud ſatis firma momenta, & exornationum juveniles floſculos, allegorias inquam longius arceſſitas, verborum argutias, & locutionum ac vocum veluti rhythmicos concentus reprehendunt. Temporum iſta non perſonarum aut materiarum vitia erant, nec dubium eſt, quin Patres, ſi Ciceronis aut Terentii ætate viverent, cum Cicerone etiam, & Terentio locuti fuiſſent.

Minor eſt Patrum Græcorum ab antiquis optimiſque ſuæ nationis Scriptoribus in ſtylo differentia; minus enim Orientis lingua mutationi, & corruptelæ obnoxia fuit, ſtudiis litterarum in ea orbis parte majori cura diligentiaque conſervatis. Patrum iſtorum opera maximam partem ſolide conſcripta, lectuque in paucis amœna ſunt. Chryſoſtomus ante alios omnes concionatoris omnibus numeris abſoluti exemplum mihi ſemper viſus fuit. Is homilias ſuas orditur ab expoſitione Divinæ Scripturæ, dilucidando verſus alios ex aliis, eo ordine ac numero, quo prius a Lectore fuerant recitati, in iiſque explicandis ſenſum inveſtigat maxime genuinum, & formandis moribus aptiorem; ad extremum Perorationis loco adhortationem ſub nectit moralem, quæ ſæpe non tam argumento præmiſſæ expoſitionis, quam Auditorum præſenti neceſſitati convenit, quippe quam vigilantiſſimus juxta, & ſa-

sapientissimus Pastor probe perspectam habebat. Illud etiam in ejusdem sermonibus animadvertas, vitia ipsum speciatim insectari, & ut ita dicam, singulari cum unoquoque illorum congredi certamine, nec ante finem facere unum aliquod oppugnandi, quam illud vel plane exterminatum, vel certe potissima ex parte compressum ac domitum videret. Digna sancto viro sententia est, quam is in homilia sexta in 1. Ep. ad Timotheum pronunciavit; postquam enim maledicendi, & convitiandi pravam consuetudinem graviter in ea reprehenderat, ita demum concludit: *Millies jam hujusmodi monita dedimus, neque ea repetere unquam desistemus, modo aliquis profectus eveniat:* & post pauca: *nunquam eadem vobis repetere desinemus, donec penitus insinuentur cordibus vestris, atque in opus erumpant*.

Sancti isti, & Apostolici Prædicatores, quos ad dicendum nec propriæ laudis, nec privatæ utilitatis cupiditas, sed divinæ gloriæ, & animarum lucra exstimulabant, id unum propositum habebant, eo ingenii, & eloquentiæ nervos contendebant omnes, ut animas ad Creatorem suum adducerent, neque incredibili suo zelo factum satis putabant, quamdiu ipsis oculis non cernerent animorum commutationem minime dubiam aut vulgarem. Sic D. Augustinum constat negotium sibi sumpsisse abolendi morem celebrandorum conviviorum, quo die Martyrum anniversaria agebatur memoria, propterea quod ejusmodi convivia in commessationes denique, & intemperantiam abirent; morem hunc quantumvis inveteratum S. Doctor abrogavit, proponendo luculentas Divinæ Scripturæ sententias, gulæ vitia damnantes, duosque continuos dies etiam cum lacrymis populum cohortando, donec demum Auditorum videret expugnatos animos. Non erat tunc temporis metuendum, ne eadem in Ecclesia pugnantes inter se doctrinæ traderentur; neque enim præter Episcopum alius sive Concionator sive Doctor erat, nisi forte Sacerdos aliquis ab Episcopo delectus, qui jubente ipso, atque ut plurimum præsente, ex superiore loco verba faceret.

Concionis tempore omnibus ac singulis, quamvis Ethnici essent, aditus ad templum patebat; atque hinc erat illa Patrum in occultandis fidei arcanis dogmatibus circumspectio, ut de illis aut nihil admodum, aut subobscure tantum loquerentur. Eadem causa fuit, cur sermonem non raro Patres instituerent, qui ad Paganos ab errore ad sanam fidem adducendos spectaret, cujusmodi sermones inter opera ipsorum multi extant. (*Const. Apost. l. 2. c. 57.*) Quo tempore lectio sacra instructioque habebatur, Auditores ordine considebant, viris unum latus, alterum feminis occupantibus, utque magis istæ ab illis remotæ essent, porticus templi, siquidem tales Ecclesia haberet, conscendebant. Principem in sedendo locum provectioris ætatis homines obtinebant; Parentes ante se tenebant liberos suos, nam hunc quoque tenellum gregem ad Ecclesiam admittebant, dummodo Baptismo initiatus esset; juniores natu, ubi scamna & sedes occupata jam erant, pedibus innitebantur. Diaconorum erat perpetuo invigilare, ut ordo hujusmodi diligenter observetur, item cavere, (*Constit. Apost. l. 8. c. 11.*) ne quis strepitus excitaretur, ne dormitare quidam inciperent, aut vicino arridere levius, aut in aurem inutilia insusurrare, aliterve oculis, & digitis annuere auderent; verbo, ut omnia modeste, & in silentio fierent, Diaconi curabant. In Africanis Ecclesiis populus omnis in pedes erectus instructiones publicas excipiebat, quemadmodum (*Aug. de Catech. Rud. c. 13.*) S. Augustinus auctor est, qui tamen consuetudinem sedendi in Ecclesiis, quas ipse transmarinas vocat, receptam commendat.

Ut dicendi finis est factus, facessere ex Ecclesia jubebantur, quibus assistere sacrificio non licebat, *Audientes* (1) in primis, & Gentiles. Subinde orationibus pro Catechumenis reci-

(1) *Audientes*: isto nomine generatim interdum accipiebantur Energumeni pœnitentes, & qui jam catechesi prævia instructi Baptismum expetebant; siquidem omnibus istis audire Verbum Dei permissum erat. Alias vero, & hoc maxime loco per *Audientes* intelliguntur ii, qui in peccatis hærent impœnitentes, quos Auctor Ecclesiasticæ Hierarchiæ Cap. de Communione, impurissimum genus Energumenorum vocat, utpote qui a vitæ pristina dilapsi sancti-ta-

recitatis, isti quoque, simili modo Energumeni precibus antea Deo commendati, templo exire jubebantur; idem *Competentibus*, (1) ac denique Pœnitentibus fiebat. (2) Hunc in modum perpurgato (*Const. Apost. l. 8. c. 6. &c. & Laodic. c. 19.*) Fidelium cœtu, ac veluti zizaniis liberato tritico, preces ordine fundi cœperunt pro universa Ecclesia, pro singulis Clericorum, & populi gradibus, pro omnis generis afflictis hominibus, denique pro inimicis, & persecutoribus. Diaconus pro quonam orandum esset, prius admonebat populum, tum Episcopus orationem recitabat eo plane modo, qui hodiedum in die Parasceves sollemnis est. Nam in aliis per annum Missæ Sacrificiis preces illæ nostro ævo supplentur orationibus ante, & post concionem usitatis. Secundum ista Episcopus altera vice salutem, & pacem omnibus impertiebatur, populo respondente: *Et cum spiritu tuo*. (*Cyprian. Apolog. l. cit. c. 11. & 12.*) Tum Diaconus elata voce exclamabat: *Ne quis contra quempiam. Ne quis in hypocrisi. Osculamini vos mutuo osculo sancto*. (3) Nec mora: ut quisque alteri vicinus erat, in signum perfectæ charitatis, qua præsentes inter se jungebantur, osculum pacis eidem dabat, rursumque ab eo accipiebat: Clerici quidem separatim, inter Laicos autem viri viris, & feminis feminæ, (4) singuli singulis in suo ordine, ac sexu publicam hanc pacis, & concordiæ significationem mutuo sibi impendebant.

CAPUT VI.

Sacrificium, & Sacrificantium Vestes.

PRæmissis omnibus, quas hactenus exposui, dispositionibus, sacrificium denique initium sumpsit. (5) Diaconi a Subdiaconis adjuti mappam unam supra altare, alteram supra abacum explicabant altari vicinum, quem vulgo credentiam ex Italico idiomate nominamus; (6) iidem vasa omnia sacra præparabant, interque illa patenas præcipue, & calices, quæ omnia, ut mundiora conservarentur, velo superimposito cooperiebant. Rebus ita ordinatis Episcopus altari appropinquabat *splendidam vestem indutus*, (*Lib. 8. c. 12.*) uti loquitur Auctor Constitutionum Apostolicarum, quæ res argumento est, jam tum temporis peculiares habitus ad altaris obeunda ministeria in usu fuisse; etsi figura a profanis indumentis nihil differrent. (*August. de Civ. Dei lib. 22. c. 8.*) *Casula* enim ætate Augustini vestimentum erat vulgare, & passim apud Laicos usitatum. *Dalmatica* in-

---

ftitate, mores & studia Dæmonum induerunt; quos proinde, etsi olim baptizatos, ante Catechumenos, & Energumenos, quorum videlicet corpora solum obsidebat dæmon, templo ejici a Diacono, moris erat, neque ad ullam rem divinam admitti, præterquam ad audiendarum Sacrarum explanationem, quo tandem converterentur.

(1) *Competentes*, alio nomine φωτιζόμενοι, hoc est *illuminati* appellabantur; eo quod fidei doctrina jam satis eruditi baptismi gratiam simul expetebant, quemadmodum ex S. Augustino B. Isidorus vocem hanc explicat. L. 2. de Eccl. officiis Cap. 21.

(2) Vide Bonam, Georgium *l. 3. de Lit. Rom. Pont. c. 19. n. 14. seq.*, Lesleum *ad Miss. Mozarab. T. II. p. 506.*, Martenium, aliosque passim Liturgicos Scriptores.

(3) De osculo pacis dixi tomo superiore. Vide etiam Cotelerium *not. ad l. 2. Constitut. Apostol. c. 57.*

(4) Nempe separatum in Ecclesiis locum viri habebant a feminis. Vide Grancolasium *T. I. ant. Sacram. p. 19. seq.* & Cotelerium *not. ad l. 2. Const. Apost. c. 57.*

(5) Quod *Missa fidelium* nuncupabatur. De hac Bona, Grancolasius, Maldonatus, aliique; hos inter recentissimos tres nominabo, Selvaggium *Ant. Christ. l. 2. cap. 1. seqq.*, Pellicciam *de Christ. Eccl. politia T. I. lib. 2. sect. 2. cap. 5. seqq.* & Mannhart *Antiq. Christ. n. 51. seqq.*

(6) Græci non abacho utuntur, sed duabus ædiculis, seu aris parvis ad utrumque principis altaris latus constitutis. Abachi quoque nullus olim apud Latinos usus, ut ostendit Thiersius *Diss. de principibus Ecclesiarum altaribus cap. ult.*

inde a temporibus Valeriani Imperatoris adhibebatur; *Stola* nihil aliud erat, quam pallium talare ipsis adeo feminis familiare : hanc Stolam nos cum Orario confundere cœpimus; erat autem (*Thomass. discip. p.* 1. *l.* 2. *c.* 34.) *Orarium*, quo nomine Stola Sacerdotalis exprimenda esset, fascia quædam linea, urbanitatis caussa ab hominibus decori ante alios studiosis gestari solita ad sudorem a collo vultuque detergendum. Denique *Manipulus* aliud non erat, quam linteum, sive mantile brachio injectum, quo sic majore cum munditia sacræ mensæ inserviretur. *Alba* etiam, id est, tunica ex lino, vel lana candidi coloris, initio quidem Clericorum non erat proprius habitus, sed aliis etiam communis; nam Vopisco (*in Aurel.*) Auctore Aurelianus Imperator donavit populo Romano *tunicas albas manicatas*, uti & Oraria, quibus narium pituita exciperetur. (*Homil. Leon. Pap. IV. tom.* 8. *Conc. p.* 34.) Sicuti autem, ex quo Clerici Albam ejusmodi perpetuo gestandi consuetudinem invexerunt, Sacerdotibus commendatum fuit, ut aliam ipsi consimilem vestem in promptu haberent, eaque, ut nimirum candidior servaretur, nonnisi ad ministerium altaris uterentur, ita credere juvat, eosdem, cum Casula, & Dalmatica nunquam non induerentur, alias præterea ejusdem formæ vestes habuisse, (*Conc. Brac. IV. cap.* 3. *An.* 675.) uni sacrificio rite peragendo destinatas, quæ tamen, & materia, & coloris splendore aliis id genus in populo usitatis vestibus essent superiores. (1) Illud ante omnia sacri Canones Presbyteris, ac Diaconis commendatum volebant, ne quis eorum ministrare, aut operari sacris absque Orario auderet, (*Conc. Laod. c.* 22. 23.) cujus tamen usus inferioris ordinis Clericis interdictus erat.

Id nimirum Ecclesia spectabat, ut sacrorum ministri exteriore etiam corporis cultu habituque præclaram Laicis honestissimamque opinionem functionum suarum imprimerent; ut oris, manuum, ac vestimentorum nitor veluti radii quidam essent sublucentis ex animo internæ puritatis, & innocentiæ; ut denique Clerici omnes modestia sua, gravitate & in sermone, incessu atque obtutu moderatione reverentiam, & pietatem in plebe conciliarent. Profecto in exterioribus hisce exigendis tanta erat, tamque delicata Episcoporum vigilantia, ut S. Ambrosius certum hominem, etsi ceteroquin a sedulis officiis commendatum, inter Clericos cooptare noluerit ea solum caussa, quod *gestus ejus nimium dedeceret*. Alterum quoque cum in Clero jam reperisset, nunquam in sacris assistere sibi, ac ministrare passus est, eoquod *insolentiore incessu oculos feriret*. Et comprobavit sane eventus, non fefellisse S. Præsulem sententiam suam; nam ut ipsemet eodem loco narrat, uterque illorum ab Ecclesia recessit. Meminerint, qui illa legunt, Patres istos partim Græcos, partim Romanos fuisse in summa suorum elegantia educatos, scitæque urbanitatis sapientissimis præceptis a puero imbutos.

Episcopus ubi ad aram venit, (*Ord. Rom.*) ex manibus Diaconorum oblationes, quas isti viritim collegerant, excipiebat. (2) In aliquibus tamen Ecclesiis usu receptum erat, ut Episcopus ipsemet a personis spectatioribus oblationes hujusmodi acciperet, tales (*Can. Apost.* 3. 4.) Romæ erant senatorii ordinis utriusque sexus homines. Nam Christiani ad unum omnes, summi infimique, Magistratus, atque adeo Principes ipsi divino officio interferant. Nihil altari, præter panem, & vinum, sacrificii videlicet materiam, imponebatur; ceteram sive annonam, sive supellectilem sacram, ac denique quidquid ad Ecclesiam

(1) De vestibus Sacerdotalibus adi præter Bonam, Martenium, Georgium, Grancolasium T. I. *ant. Sacram. Eccles. p.* 132. *seqq.* Bulengerum *l.* 1. *de Pontif. Episcop. & Sacerd. Christi cultu, & vestitu*, Benedictum XIV. *de Sacrif. Miss. l.* 1. *c.* 7. *seqq.* Pellicciam *lib. cit. sect.* 1. *cap.* 8. & Fabric. *Bibliogr. antiq. p.* 562.

(2) Confer de Oblationibus Bonam, Sarnellium *antiquæ Basilicographiæ cap.* 27. Georgium *lib.* 3. *c.* 22. Lesleum *ad Missale Mozarab. p.* 508. *seq.*, cum primis vero eruditissimum P. Berlendis Theatini *de oblationibus* commentarium. Adde & Grancolasium *Antiq. Liturg. p.* 537.

clesiarum usus a Fidelibus offerebatur, Diaconi in separatis armariis asservabant. Primitiæ tamen frugum altari imponebantur, sub finem Sacrificii benedicendæ.

Ad conficiendam Eucharistiam panis alius non adhibebatur, quam qui a Fidelibus oblatus, & ab Episcopo benedictus esset; (1) ex hoc pane benedicto quidem, at non consecrato nonnihil absentibus mitti solebat, in signum videlicet mutuæ concordiæ, & communionis. (2) Volebant Pastores, ut Christiani, quotquot aderant, vel certe ii omnes, qui communicaturi erant, nemine excepto, oblationem suam facerent; nimisque indignum videbatur, velle divites de pauperum oblationibus communionem suam accipere. Ipse etiam Episcopus pro se panem offerebat, eratque Romæ Subdiaconus, qui hanc ob rem (*Ord. Rom. Orat. secret. in Nativ. S. Joan.*) *Oblationarius* dictus fuit. (3) Itaque panum oblatorum tanta vis erat, ut merito in nonnullis Ecclesiæ Collectis, sive orationibus altaria muneribus cumulata dicantur. Corporale autem, ut vocant, oblonga mappa erat, a duobus Subdiaconis ad altaris utrumque latus protensa. (4) Archidiaconi erat, altare veluti sacram mensam recte componere, panibus ordine collocatis, caliceque apposito, in quo vinum rite consecrandum erat; quoque certius constaret, purum ac defæcatum illud vinum esse, argenteo in vase cribri adinstar terebrato, percolabatur.

Pane, & vino rite oblatis, Episcopus incensum (5) quoque offerebat, symbolum videlicet orationum, quas Fideles fundebant, id quod in Apocalypsi (*c. 8. v. 3. &c.*) expressum legimus, ubi Angelum videre est, aureo thuribulo instructum, hoc genus sacrorum aromatum Divinæ Majestati adolere. Incensabantur tunc, quemadmodum hodiedum fieri solet, altare, oblata, Clerici, ac denique populus. Ceterum incensa tum temporis adhiberi solita, non qualiacumque erant, sed ex pretiosissimis, quæ per ea tempora haberi poterant, aromatis confecta, & quidem tanto sumptu, atque magnificentia, ut Romana Ecclesia, & in Syria, & in aliis Orientalibus provinciis certos fundos possideret, qui nonnisi ad suppeditandos aromatum annuos proventus destinati erant. Offertorii durante tempore psalmus aliquis decantabatur, ex quo præter versiculum unum, qui psalmi illius antiphona esset, nihil aliud ad nos pervenit. (6)

CAPUT VII.

Consecratio, & Communio.

Offertorio finito Ecclesiæ fores claudebantur, tantaque cura a Diaconis, aut ab Ostiariis intra Ecclesiam excubantibus clausæ tenebantur, ut ne (*Const. Apost. l. 8. c. 11.*) Fidelibus quidem, siqui serius adventarent, nisi post sacram Communionem aperirentur. Alii

(1) Panis hic fermentatus erat apud Græcos; azymus apud latinos. Utrum autem in Ecclesia latina perpetuus fuerit azymi panis usus, gravis controversia est; de qua confer Sirmondum, Mabillonium, Bonam cum Salæ animadversionibus, aliosque citatos cum a Fabricio *Bibliogr. ant. p.* 401. *seq.*, tum a Jo: Gottfr. Hermanno in *historia concertationum de pane azymo, & fermentato in Cœna Domini, Lipsiæ* 1737.

(2) *Eulogiæ* dicebantur, de quibus vide Bonam *l.* 1. *Rer. Lit. c.* 23. §. 12. *& l.* 2. *c.* 19. §. 7., Grancolasium *Ant. Liturg. p.* 575., Berlendis *de oblationibus p.* 32. *seqq.* Lesleum *ad Miss. Mozarab. p.* 538.

(3) Etiam *Diaconi oblationarii* mentio Sæculo X. occurrit. Vide Georgium *T. II. Liturg. Rom. Pont. Diss.* 1. *c.* 3. *n.* 10.

(4) Confer Thiersium *Diss. de principibus Ecclesiæ Altaribus cap.* 21.

(5) Vide Georgium in Indicibus *Liturgiæ Rom. Pont. V. thuribulum, thurificatio &c.*, Bonam *l.* 1. *Rer. Liturg. c.* 25. Grancolasium *Antiq. Liturg. p.* 581., Lesleum *ad Miss. Mozarab. p.* 535.

(6) Quod si populi Oblatio brevior esset, bis saltem cantabatur a choro Offertorium versu interposito. Thomasius *T. V. p.* 30.

(1) Alii ex Diaconis templum ipsum leni, ac suspenso gradu obeuntes cavebant, ne quis minimo etiam seu strepitu, seu gestu publicam pietatem interpellaret. Erat etiam inter ipsos, qui deditam operam puerorum gregi proxime Episcopale solium consistenti advigilaret; porro matres admonebantur, ut infantes suos in brachia sublatos apud sese tenerent. Hunc in modum tranquilla, & altum conticescens Fidelium multitudo non sine sacro quodam plenoque reverentiæ, & religionis horrore audiebat Præfationem, (2) & huic subnexam *Actionem*, quam nos *Canonem* (3) appellamus; Episcopus enim preces elata voce recitabat, (4) populo ad eas, quemadmodum ad ceteras omnes respondente: *Amen*. (5) (*Constit. Apost. l.* 8. *c.* 12.) Admodum prolixæ illæ orationes erant, & hodiedum sunt in pluribus Orientalibus Ecclesiis; ex quibus Ecclesia Romana illas retinuit, quæ Sacrificio maxime propriæ, atque essentiales sunt. In aliquibus adjungebatur brevis narratio præcipuorum capitum, ad historiam Religionis universam pertinentium, ut nimirum grates Deo agerentur de universi creatione, de mundi post diluvium instauratione, de vocatione Abrahæ, de beneficiis in populum Israeliticum collatis, de Incarnatione demum Verbi Divini, & humani generis per ipsum reparatione.

Secundum Consecrationem Episcopus (*Ibid. c.* 13.) pro se primum divinam Synaxin sumebat, tum eam Presbyteris, Diaconis, & reliquo Clero ex ordine impertiebatur; hos proxime consequebantur Ascetæ, aut Monasticæ vitæ cultores; subinde Diaconissæ, Virgines, aliæque religiosæ feminæ, pueri ac demum universus populus Sacris communicabant. (6) Ad temporis faciendum compendium in functione ceteroquin satis diuturna Presbyteri complures simul, & semel divinam Eucharistiam distribuebant, & Diaconi itidem complures sacrum Calicem præbebant libandum. Utrique ad evitandam in tanta multitudine confusionem sacram Communionem Laicis eodem ordine dabant, quo prius ab ipsis Oblationes collegerant, ut adeo neminem loco se commovere necesse esset. Viri sacram hostiam suismet manibus, feminæ linteolis ad id destinatis illam excipiebant; quod ex sacris speciebus superabat, parvulis distribuebatur; quiqui vero non communicarant, iis reliquiæ panis benedicti, qui tamen consecratus non esset, dabantur, indeque panis benedictus originem sumpsit. (*Ord. Rom.*) Durante sacra Communione Psalmus cantabatur, ex quo sola ad posteros Antiphona pervenit. Jam a quarto Christi sæculo infrequentior esse cœpit Eucharistiæ usus; & Sanctus Chrysostomus de multis conqueritur, qui sacris ita assistebant, ut sacrorum per Communionem participes non fierent. (7) Ceterum nono sæculo satis habuere Ecclesiæ Antistites, ut quatuor saltem per annum vicibus, nimirum festo Nativitatis Christi, Die Jovis sancto, & in sollemnitate Paschatis, atque Pentecostes divinæ mensæ Christiani accumberent. (8) Ex quibus omnibus pronum

(1) Vide Berlendis *de oblationibus p.* 103.

(2) Hanc Gotho-Hispani *inlationem*, *contestationem*, aut *immolationem Missæ* appellant. Vide Georgium *de Lit. Rom. Pontif. T. III. Diss.* 2., & Lesleum ad Missale Mozarabum p. 531. ut Bonam omittam, & Mabillonium.

(3) De Canone, de quo Liturgici omnes Scriptores, exstat Georgii singularis dissertatio, quæ tertia est tertii *de Liturg. Rom. Pont.* voluminis.

(4) Vide Bonam *l.* 2. *c.* 13. §. 1., & Salam ad eumdem *p.* 278. *seq.*

(5) De vocula *Amen* nonnulla superiore volumine adnotata sunt. Consule etiam Bonam *l.* 2. *c.* 5. 7. 13. & 17., & Grancolasium *Ant. Liturg. p.* 593.

(6) Vide Grancolasium *Ant. Litur. p.* 692. Mabillonium *Comm. in Ord. Rom.* §. 8. & 9., Georgium *de Lit. Rom. Pont. lib.* 4. *c.* 17. *seqq.*

(7) Confer Grancolasium *T. I. Ant. Sacram. Eccles. p.* 294. *seqq.* & Martenium *l.* 1. *de ant. Eccles. ritib. c.* 4. *art.* 10.

(8) Ratherius Veronensis quatuor hos dies Communionis recenset in *epist. Synodica ad Presbyteros* a Dacherio edita, & Leo IV. *in homil. de Cura Pastorali*. Plerique ter in anno Com-

num est conficere, bene longum fuisse Liturgiæ ordinem. Enimvero Christiani illorum temporum existimabant, aliud se Dominicis diebus non habere negotium, quam ut Deo rite famularentur. (*Lib. 8. Epist. 35.*) Divus Gregorius probaturus, quam afflicta valetudine uteretur, in una Epistolarum suarum asserit ægre se tres horas continuas pedibus posse insistere, quo Divino Officio intersit. Nihilominus Canon Missæ idem prorsus tum temporis fuit, qui modo est, & sermones de eo non adeo prolixi inveniuntur. (1)

CAPUT VIII.

Cantus Ecclesiasticus, & Magnificentia Divini officii.

Totum officium Divinum cum cantu nunquam non peragebatur; de hoc sub prima jam Ecclesiæ tempora mentio fit; sed tamen credere fas est, progressu temporis, cum solutiora omnia habere inciperet Ecclesia in libertatem asserta, sacræ Psalmodiæ consuetudinem multo magis invaluisse; hanc in Occidentem a S. Ambrosio, Ecclesiarum Orientalium imitatione, introductam fuisse, S. Augustinus (*l. 9. Conf. c. 7.*) commemorat; & in libro Pontificali legimus, sub idem tempus morem hunc a S. Damaso Papa præscriptum fuisse. (2) Jam vero cum antiquæ musicæ peritia, & ars per ea tempora floreret, in qua pro diversitate argumentorum diversa item cantus genera adhibebantur, (*Platon. 3. de Republ.*) nunc leniora, nunc magis concitata, nunc læta, nunc tristia, alias ad gravitatem, alias ad dissolutionem animique leviores, atque immoderatos affectus excitandos apposita; merito existimandum est, illud symphoniæ genus a Patribus ad Ecclesiasticum usum traductum fuisse, quod Majestati, & Sanctitati nostræ Religionis, quam maxime congruebat, diligenterque ipsos providisse, ne qua ad Dei laudes, & divina mysteria celebranda modulatio adhiberetur, quæ effeminato mollique sono plus justo demulcere animos, & pectora pravis affectionibus pertentare posset. (*Lib. 10. Confess. cap. 33.*) Non negaverim tamen, S. Augustinum nescio quid nimis tenerum, & suave in cantu Occidentalium Ecclesiarum notasse, eamque ob rem tutiorem, magisque ad pietatem idoneum duxisse morem, a S. Athanasio invectum, qui psalmos a lectore proferri curabat tam modica vocis inflexione, ut recitare magis illos, quam cantare videretur. Dijudicent Musices periti, num aliquod vestigium antiqui illius concentus in Chorali, ut dicimus, seu pleno cantu, qui nostro ævo in usu est, deprehendant; nam, quæ vulgo figuralis musica a nobis appellatur, nimis quam certum est, eam & a vetere plurimum distare, & novitium plane inventum esse. Deni-

Communionem præscribunt cum Concilio Agathensi, cujus hic est Canon 18. *Seculares, qui Natale Domini, Pascha, & Pentecoste non communicaverint, Catholici non credantur, nec inter Catholicos habeantur.* In Anglia teste Beda in *epist. ad Egbertum, nonnisi in Natali Domini, & Epiphania, & Pascha* Fideles communicabant. Consule Martenium l. 1. & Grancolasium *T. I. p. 294. seqq.*

(1) Quæ hactenus dicta sunt, Romanam præsertim, eamque publicam Liturgiam spectant. Alia fuit ratio Orientalium Liturgiarum, de quibus vide Renaudotium, & Assemani *Codicem Liturgicum*. Immo in ipso occidente non idem fuit ubique Liturgiæ ordo. Alius fuit apud Gallos (consule Mabillonii *Liturgiam Gallicanam*); alius in Hispaniis (adi P. Joh. Pinii Tractatum de *Liturgia Mozarabica*, & Alexandri Leslei Præfationem in Missale Mozarabicum Romæ editum); immo in ipsa Italia præter Romanum alii duo Liturgiæ ritus servabantur, *Aquilejensis*, de quo P. de Rubeis in diss. de Ritibus Forojuliensis Ecclesiæ, & *Ambrosianus*, de quo Josephus Vicecomes *de antiquis Missæ ritibus*, & Muratorius in *Antiquitatibus Italicis medii ævi*.

(2) Plura de cantu Ecclesiastico dabimus in Dissertationibus. Confer interea Martenium *de ant. Monach. ritib. l. 1. c. 2. n. 41. seqq.* Bonam *de div. Psalm.*, ac Thomasium *Præf.* ad *Responsoralia*, & *Antiphonaria Eccl. Rom. T. IV. operum*.

nique quod attinet ad modum cantandi orationes, & lectiones, facile quivis perspiciet, paucissimis illum tonis contineri, eo maxime fine adhiberi solitis, ut pronunciantis vox firmior sustineatur, & periodorum insuper notetur diversitas.

Satis, opinor, quæ hucusque in medium allata sunt, perspicuum reddunt, Sanctissimos illos primorum sæculorum Episcopos admirabili judicio, & sapientia in mores Ecclesiæ invexisse quidquid intelligerent ad excitandos Fidelium sensus aptum esse, ut hac veluti via in animos hominum quantumvis incultos, & rudes præclara de religione sensa introducerent. Age enim ob oculos tibi pone Fideles Romæ olim in Ecclesia Lateranensi congregatos ad celebrandum pervigilium Paschatis, quo tempore S. Leo Papa Ecclesiæ præfuit; quid, amabo te, in illa sacratissima nocte non usquequaque splendidum, quid ad conciliandam devotionem non accommodum videas? Post novi ignis benedictionem continuo cereorum, & lampadum numerus innumerabilis ita resplendebat, ut nox illa cum die quamlibet sereno certaret; discussis momento tenebris, tanquam summoto sipario, locus ille augustissimus magnifici instar theatri sese offerebat: omnia marmore, & picturis collucebant: aderat Fidelium infinita propemodum vis, miro silentio pulcherrimoque ordine in certas classes pro ætatis, sexus, & sacrorum ordinum varietate discreta. Inter ceteros jucundum oculis piumque spectaculum præbebat Candidatorum baptismi novellus grex, ea ipsa nocte sacro latice tingendus; visebantur præterea, qui Ecclesiasticis pœnis rite perfuncti, biduo ante cum Deo, & Ecclesia in gratiam redierant. Quid dicam de sacræ supellectilis magnifico apparatu, de argenti fulgore ex omni parte renitentis, de luce auri ac gemmarum, quibus sacra vasa, maxime quæ ed altaris ministerium propius spectabant, distinguebantur, ut ista omnia oculos præsentium non tam ad sese convertebant, quam intuentium perstringebant aciem? Adde noctis silentium, non alio sonitu, quam prophetiarum accurata prælectione, & versiculorum interposito cantu interpolatum, quæ ipsæ canendi, ac legendi vices novam audientibus voluptatem afferebant? quid inter hæc animus faceret, tam præclaris, ac venustis rerum imaginibus blande perstrictus? quam solidum præsentemque fructum percepisse ipsum putamus, tot mediis ad novam attentionem arrectum, qui jam antea sacrarum litterarum assidua commentatione ad excipiendam verbi Dei sementem optime comparatus erat? quantam credimus fuisse Diaconorum, ac reliquorum altari ministrantium modestiam, quam decentem hominis exterioris confirmationem, utpote qui omnes a tali tantoque Episcopo selecti, sacrisque Ordinibus initiati, in ipsius atque adeo Dei Optimi Maximi præsentia functiones suas obibant, quem pro sua singulari pietate propemodum oculis aspectabilem habebant? quis vero cogitatione assequatur, quanta ipsius Summi Pontificis majestas fuerit, cui excellens doctrina, mira facundia, zelus divinæ gloriæ, animi magnitudo, omnium denique virtutum decora tantam ubique nominis celebritatem, tantam venerationem conciliabant? quam pleno pietatis, ac reverentiæ sensu existimamus Sanctissimum Præsulem orationes supra sacrum fontem pronuntiasse, quas ipse composuerat, & successores ipsius tanti facere; ut earum exempla per duodecim sæculorum spatia usque conservata ad nos pervenerint? Sane mirari tunc tandem desino, qui fieri potuerit, ut inter eas functiones Christiani corporum suorum necessitates plane obliviscerentur, & post solidæ diei jejunium, noctem, quæ festum Resurrectionis præcedebat, in Vigiliis, & precibus exigerent, cura & cogitatione sumendi cibi in crastinum penitus rejecta.

CAPUT IX.

Sollemnitas Festorum, & sacræ Peregrinationes.

Ubi primum magno jejunio (1) ad finem perducto Paschatis sollemnissima dies il-

(1) Præter AA. citatos *ad cap. 7. part. 2. adnot.* 1. de magno Quadragesimæ jejunio confer Jo: Joachimum Homborgium *de quadragesima Veterum Christianorum, & ritibus in ea quon-*

illuxit, non modo non prohibitum, sed præscriptum insuper a sanctissimis quibusque Viris erat, ut corpora Fideles curarent sua. Quantumvis enim opportuna sint jejunia ad mentem in cælestia deligendam, & orationis, cui festi per annum dies præcipue destinati erant, exercitia reddenda expeditiora; cautum tamen erat, ne quis dominicis festisque diebus, neu per totam quinquagesimam jejuniis vacaret. Quinquagesimæ nomine, secus ac nos solemus, non intelligebantur quinquaginta dies, qui Pascha proxime præcedunt; sed totidem alii, qui a Paschate ad Pentecosten usque fluunt. (*Cassian. collat. 21. de Remiss. quinq.*) Monachi quidem in Ægypto magna cautela utebantur, ne forte modico illo consuetæ severitatis laxamento privarentur fructu meritorum, longa in cibis abstinentia prius collecto; iidem tamen discrimen aliquod inter utriusque generis festos nimirum, & esuriales dies faciebant. (*Vit. S. Pachom. cap. 8.*) Nam S. Pachomius Divi Palæmonis Magistri sui præcepta secutus, in die festo Paschatis herbas oleo conditas apparavit, quæ arido pani, familiari alias Anachoretis cibo, interponerentur. (*S. Greg. Dialog. 2. c. 1.*) Alius quidam S. Sacerdos divino admonitu festo item Paschatis die prandiolum Sancto Patri Benedicto attulit solito lautius; & S. Antonius, ut aliud quoque lætitiæ signum ederet, in die Paschatis, & Pentecostes tunicam gestabat ex palmæ foliis contextam, quam a Divo Paulo Eremitarum Principe hæreditariam acceperat; Sanctus porro Athanasius pallium humeris circumponebat ab Antonio sibi relictum. In more nimirum Christiani tum temporis positum habebant, & constanter observabant, (*S. Leo serm. 3. de quadrag.*) ut festis quibusque diebus, & vestibus uterentur magis splendidis, & in victu naturæ plusculum indulgerent. (1)

Suus etiam honos proportione servata Martyribus habitus fuit, redeunte quotannis ipsorum memoria; his enim diebus convivia celebrabantur, quæ, quia in profanam hilaritatem ad extremum degenerabant, sæculo quarto aboleri necesse fuit. Magnus erat populi ad ejusmodi festa rite agenda concursus. Nam cum alias privati quique pastori suo conjuncti dominicos, ac festos dies omnibus Ecclesiis communes celebrarent; in Martyrum anniversaria memoria ad pulvinaria ipsorum frequentes, omnique ex parte Religionis caussa confluebant, qua opportunitate persæpe factum est, plures ut Episcopi uno in loco simul convenirent. S. Paulinus, ut ex hoc unico exemplo de ceteris judices, plures quam viginti partim civitates, partim provincias Italiæ recenset, ex quibus habitatores viri una cum uxoribus, ac liberis suis catervatim singulis annis adventabant, ad festum S. Felicis quarto decimo Januarii celebrandum, nulla frigidissimæ tempestatis habita ratione; atque hoc in unius dumtaxat honorem Confessoris in sola civitate Nolana factum fuit. Quid nunc de reliquis Christiani orbis partibus dicemus? quid Romæ in festis SS. Hippolyti, Laurentii, & Apostolorum? quid Turone in festo S. Martini accidisse existimamus? (2) ad quæ loca etiam ex longe dissitis regionibus, nulloque non per annum tempore Fidelium pietas adibat; ex quo piarum peregrinationum consuetudo nata est. (3)

Et erat sane hoc unum ex præcipuis admi-

---

quondam usitatis, *Helmstadii* 1677. Huc etiam spectant Joh. Casparis Zeuneri *de Dominica lætare*, *Jenæ* 1701., God. Ludovici *de septimana magna*, *Lipsiæ* 1692., Joh. Frid. Mayeri *de hebdomada magna*, ejusdem *de dominica Palmarum*, *Gryphiswaldiæ* 1706. dissertationes.

(1) De Pentecoste, aliisque Christianorum festis diebus præter Thomassinum, Bailletum, Gretserum, Benedictum XIV. consule AA. citatos a Fabricio *Bibliogr. ant. pag.* 452. *seqq.*, & a Gottlob Friderico Gudio *in Bibliothecæ disputationum, & observationum de selectis historiæ Ecclesiasticæ capitibus specimine p.* 17. & 196.

(2) Vide Trombellium *de cultu Sanctorum diss.* 6. *a cap.* 1. *ad* 43.

(3) De peregrinationibus ad Sanctorum monumenta institutis plures agunt apud Fabricium *Bibliogr. Antiquar. vet. edit. p.* 408., ut Bellarminus *de cultu Sanctorum lib.* 3. *c.* 8., Fron-

miniculis adjuvandæ sensuum externorum opera internæ devotionis. Etenim sacrorum cinerum insignis cujusdam Sancti, sepulchri, ipsius carceris, catenarum ac ceterorum Martyrii instrumentorum conspectus multo vehementius animum commovebat, quam si hujusmodi res ab absentibus sola auditione acciperentur. His accedebant prodigia magno numero ad sepulchra Sanctorum patrata, ad quæ proinde visitanda ipsi adeo infideles vitæ, & sanitatis naturali amore ducebantur. Constat, inter primos libertatis Christianismo donatæ fructus illum extitisse, ut S. Helena curam in se ipsa susciperet, loca Herosolymis, atque in universa Palæstina sanctitate celebria meritis honoribus illustrandi. Ex quo tempore frequentissimæ ad illas partes fuere peregrinationes, nec eæ admodum difficiles, cum propter Imperii Romani summam amplitudinem, situmque percommodum, alluente illud omni ex parte mari Mediterraneo, tum propter vias spatiosissimas, quæ ad militum itinera, & vecturarum, atque commerciorum opportunitatem quaquaversus patebant. (1) Neque adeo operosum tunc erat, ex Hispania, Galliave in Ægyptum, in Palæstinam, aut in Asiam proficisci.

Honorandi erant Martyres in eo ipso loco, in quo cruciatus, & necem pro Christo perpessi fuerant; nondum enim per ea tempora mos ille invaluerat, dividendi Sanctorum Corporum, & alio transferendi Reliquias. (2) Narrat S. Gregorius Papa, (*Ep.* 30.) ad suam usque ætatem non alias Apostolorum Reliquias in extera loca missas fuisse, quam linteola sepulchris ipsorum prius applicata; (3) immo nostro etiam ævo S. Petri, & primorum Successorum Corpora altissime adhuc recondita jacent. Mira erat cujusque populi in conservandis Sanctorum suorum cineribus religio, & vigilantia; (*Prud. Periesteph. passim*) utpote in quibus certum singuli pignus tenebant tutelæ illius Sancti, & singularium de cælo donorum, quæ in gratiam tam Sancti Depositi quælibet civitas, ac provincia sibi promittebat. (4)

Sub idem tempus, quo Ecclesia tranquillitate fruebatur publica, videtur primum accurate ordinatus fuisse anni Ecclesiastici cursus. Celebris illa quæstio, quonam die celebrandum Paschæ festum esset, non ante terminata fuit, quam generalis Nicææ Synodus haberetur: neque ullum ante hoc tempus Œcumenicum coactum fuit Concilium, aut cogi sub Imperatoribus ethnicis tanta Episcoporum frequentia potuit, quantam in Nicæna Synodo videre erat. (5) Religiose tunc servabantur stata per annum tempora impertiendi Catechumenis baptismi in Paschate solum, & Pentecoste; (*Epist.* 4.) in quod ex Epistola S. Leonis Papæ perspicere licet, condemnantis Episcoporum Siciliæ consuetudinem, qui die Epiphaniæ festo baptizare non dubitabant; in eadem Epistola S. Pontifex docet, quo spiritu acta Ecclesia Dei varia per annum festa, diversasque anni Ecclesiastici partes instituerit, quo sic diversa vitæ Redemptoris nostri mysteria certo ordine, ac modo honorarentur.

Ad eamdem Ecclesiæ ætatem referri debent pu-

to Ducæus *ad Chrysost. T. I. pag. 6.*, Baluzius *ad hom. 3. Cæsarii Arelat.*, Gretserus *de religiosis peregrinationibus*. Adde Trombellium, qui omni eruditionis genere idem argumentum pertractavit *de cultu Sanctorum diss. 6. a cap. 44. ad cap. 57.*

(1) Peregrinationes in Palæstinam susceptas nuperrime vindicavit P. Mamachius *T. II. Orig. & Ant. Christ. p. 27. seqq.*

(2) Nempe hujusmodi mos non adeo frequens erat; at non plane a veteri disciplina alienus, quemadmodum non adversus Protestantes solum, sed etiam contra Fontaninium, aliosque Orthodoxos Scriptores ostendit Trombellius *de cultu Sanctorum differt. 7. a cap. 8. ad 23.*

(3) De hoc S. Gregorii loco vide *cit.* Trombellium *cap. 17.*

(4) Exempla habes apud Trombellium *diss. cit. cap. 23. & 24.*

(5) Vide Natalem Alexandrum *histor. Eccles. Sæc. IV.* Binerum *in appar. ad Jurisprud. Eccles.* P. Schwarz *Collegior. historic. T. II.* P. Danielis dissertationem *de Quartadecimanis*, Clavii Calendarium Romanum, Bettazzii epitomen Operis Paschalis &c.

publicæ illæ ceremoniæ, quibus sollemnia apud Fideles jejunia celebrabantur. Vacabatur iis diebus ab omnibus negotiis: civitates quantumvis hominibus frequentes solitudinum adinstar pacatæ, & silentes erant: pars diei maxima a congregatis in templo Fidelibus precationi verbique Dei auscultationi dabatur; ex quo factum est, ut Officium Ecclesiasticum in feriis, quibus jejunatur, nunquam non aliorum dierum Officio productius esset. Per illas ferias neque Martyrum sollemnes memoriæ, neque nuptialia festa celebrabantur; tenuitque usque ad sæculum Christi nonum consuetudo, diebus jejunio sacratis cessandi ab infesta armorum tractatione, quam cessationem Veteres *Treugam Dei* vocabant; immo ne arma quidem gestare, aut itineri, nisi præsens necessitas id postularet, se dare licebat.

CAPUT X.

Ecclesiasticæ Pœnitentiæ ritus.

Pietatis illa exercitia, de quibus superiore capite actum fuit, fructus quidam erant pœnitentiæ, cui dies jejuniorum dicati erant; atque hæc caussa est, cur pœnitentia, siquam forte aliqui promeriti essent, ad quadragesimam differri soleret. Ad hanc rite præparaturi sese Christiani post læta Natalis Christi, & Epiphaniæ festa a Septuagesima ducebant exordium, tunc enim, quemadmodum hodieque fit, preces fundere incipiebant ad veniam peccatorum a Deo impetrandam, & ad hunc unice scopum tam Septuagesimæ, quam Sexagesimæ universum Officium dirigitur. Sacra lectio e libro Genesis petita Dei universorum procreatoris potentiam, justitiam & severitatem ob oculos ponit. Videre illic est Adamum paradiso terrestri exturbatum, orbem terrarum propter fœdissimos mores aquis consepultum, quatuor nefarias civitates cælesti igne consumptas. Qui talibus propositis exemplis, atque Episcoporum insuper incensis cohortationibus commovebantur, ad Episcopum ipsum, aut ad Presbyteros huic ministerio destinatos, conferebant sese, & criminibus suis magno candore animi patefactis, quid ad ea expianda facto opus esset, ex pastoribus animarum suarum discebant. Istorum enim erat dispicere, num, qui se reos ultro fatebantur, ad pœnitentiam obeundam admitti mererentur, quis item pœnarum modus, quod tempus præscribenda essent; denique an clam aliis, an publice agenda pœnitentia; an e re communi Ecclesiæ foret, pœnitentem peccata sua palam confiteri?

Multi pœnitentiam publice peragebant, quorum tamen peccata in vulgus non constabant; plures etiam propter crimina alioqui atrocia, & nefanda secreto solum pœnitentiam agebant; ut feminæ propter adulteria maritis ignota, aliique, quorum si evulgarentur patrata facinora, cum periculo capitalis pœnæ conjuncta erant. Ceterum adeo familiaria tum temporis Fidelibus erant jejunia, preces, vigiliæ, ceteræque corporis divexationes, etiam solius pietatis instinctu suscepta, ut nemini valde metuendum esset, ne alii forte, cum pœnitentiam agi a quopiam viderent, in ejus agendæ caussam curiosius inquirerent. Pœnitentiæ tempus pro diversa Ecclesiarum consuetudine alias longiori, alias breviori spatio definitum erat, magnaque in Canonibus pœnitentialibus, qui ad nos pervenere, hac in re diversitas deprehenditur; plerumque tamen, ut quisque Canon antiquissimus est, ita maxime severus esse dignoscitur. S. Basilius (*Epist. 3. canonica ad Amphiloch. c. 56. 58. 59. 61. 64. 73.*) duos annos furto, septem fornicationi, undecim perjurio, quindecim adulterio, homicidio viginti, totam denique vitam apostasiæ expiandæ præscriptos fuisse notavit.

Quibus pœnitentia publica indicta erat, (*Pontif. Rom.*) ii se Archi-Presbytero, aut Presbytero Pœnitentiario sistebant, a quo nomine pœnitentium scripto mandabantur. (*v. Tom. 1. p. 2. c. 14.*) Subinde prima die ineuntis quadragesimæ ad Ecclesiæ portam comparebant pannosi, sordidati, vestibusque scissis, qui antiquorum, quamdiu in luctu versarentur, habitus erat. Iidem Ecclesiam ingressi ex manibus Episcopi cinerem, quo caput, & cilicinam vestem, qua corpus tegerent, accipiebant; tum in terram prostrati tamdiu morabantur, quod ab Episcopo, Clero, populoque universo preces pro iis de genibus persolutæ essent. His finitis Episcopus apposita exhortatione admonebat pœnitentes, ejectum se ipsos ab Ecclesia esse, quemadmodum Deus ipse e paradiso Adamum pro-

pter

pter prævaricationem exegit; caverent nihilominus despondere animum, sed potius ingenti in Dei misericordia collocata fiducia magnoque animo pœnas sibi dictatas accurate subirent. (*Lib. Sacrament.*) Ad extremum etiam extra templum eliminabantur, clausis continuo templi foribus; hoc in statu, qui versabantur pœnitentes, domi fere se tenebant precibus, & suspiriis vacantes. Diebus festis, & stationariis ad Ecclesiam veniebant initio quidem ante fores, deinde intra ipsam Ecclesiam consistentes, ut lectionibus sacris, & exhortationibus interessent; quibus absolutis ante preces sacrificio præmissas exeundum erat; progressu temporis ad orationem cum ceteris Fidelibus communiter faciendam in templo remanebant, sed tamen humi abjecti, quamdiu sacra precatio durabat; hoc etiam exacto tempore, in pedes erectis more ceterorum orationi operam dare permissum erat. (*S. Eligius hom. 8.*) Alius item modus erat, pœnitentes a reliqua Fidelium multitudine secernendi, sinistro nimirum latere, quod in Ecclesia occuparent, ipsis assignato. Erant igitur pœnitentium quatuor classes: prima *Plorantium*, secunda *Audientium*, tertia *Prostratorum*, extrema *Consistentium*; quadruplici hoc statu totum pœnitentiæ curriculum includebatur. (*S. Basil. ubi sup. c. 56. Epist. S. Greg. Thaum. cap. 1.*) Sic exempli gratia, qui voluntarii homicidii reus erat, quadriennio inter *Plorantes* versabatur: quo nomine ii intelligebantur, qui pro Ecclesiæ foribus non sub atrii porticu, sed sub dio aeris inclementiæ expositi, orationis tempore stabant. Hic ille sacco indutus, cineremque capiti inspersio, barbaque & capillis promissis introeuntes in templum Fideles supplex rogabat, ut peccatoris miserti, Deum deprecarentur, veniamque peccati, quod ultro manifestabat, sibi obtinerent. Quinquennio subsequente idem pœnitens homicida, ad *Audientium* ordinem gradu facto, Ecclesiam intrabat, instructionis audiendæ caussa, intra vestibulum tamen cum Catechumenis remanebat, unde ante publicarum precum initia exeundum erat. Postmodum tertiæ pœnitentium classi additus, una cum Fidelibus ceteris preces quidem persolvebat, sed eodem, quo ante, loco proxime portam occupato, & corpore in terram prono, iterumque cum Catechumenis templo exibat. Septem annis in hoc statu expletis, ad quartum, & ultimum ordinem ascendebat, in quo quadriennii spatio durare jubebatur; toto hoc tempore non modo comprecationi, ut antea, intererat, sed arrecto etiam corpore eodem, quo reliqui Fideles, situ adstabat; ceterum oblationem pro more facere, aut Communionem sacram sumere, adhuc prohibitum erat. Denique viginti annorum exacta pœnitentia, sacrorum, id est, Eucharistiæ Communioni pœnitens restituebatur.

Eadem quindecim annorum cum proportione distributio iis observanda erat, a quibus commissum adulterium publica pœnitentia expiari oportebat: quatuor anni inter Plorantes; quinque inter Audientes; quatuor inter Prostratos; duo denique inter Consistentes exigi debebant; ex his duobus exemplis in promptu est de ceteris arbitrari. Non tamen solius decursu temporis tota pœnitentiæ ratio limitabatur; quin potius Episcopi in profectum pœnitentium sollicite excubabant, ut temporis aliquid ceteroquin præscripti vel imminuere, vel addere possent. Præcipua nempe, & sollemnis, quam hac in re sequebantur, ea erat regula, ut quanta possent maxima vigilantia in proximorum procuranda salute elaborarent; nequaquam vero in contumacibus, quorum desperata erat emendatio, tempus atque operam luderent. Nemo itaque pœnitentium ex uno gradu ad alterum, nisi de Superioris voluntate, procedebat. Is, ubi finiendum pœnitentiæ tempus judicabat, exeunte quadragesima id facere solebat, ut nimirum pœnitens festo Paschatis die divinis mysteriis frui inciperet.

Ergo feria quinta (*Pontif. Rom.*) sanctioris hebdomadæ ad fores Ecclesiæ sistebant se pœnitentes. Episcopus, multa prece ad Deum præmissa, ingrediendi templum copiam ipsis denique faciebat. Archi-Diaconi præsertim rogatu, proponentis Antistiti, esse hoc maxime tempus clementiæ in omnes expromendæ opportunum, planeque æquum videri, ut, quo tempore Ecclesia gregem suum recens baptizatorum novello fœtu multiplicat, eodem quoque errantes, ac prope deperditas oviculas intra septa sua recipiat. Idem Archi-Presbyter flagitabat, conformans testimonio suo, ita se gessisse pœnitentes, ut venia, & admissione digni sint; Archi-Presbyteri enim munus erat, hujusmodi homines, quam-

quamdiu in facro luctu verſabantur, diligenter examinare. His precibus inductus Præſul, verba primum ad pœnitentes faciebat de miſericordia divina, morumque emendatione palam omnibus in poſterum demonſtranda, jubens præterea illos ad fidem ſuæ promiſſionis faciendam manus in ſublime erigere. (*S. Elig. hom.* 8. & 11.) Ad extremum idem Epiſcopus ſpe bona de ipſorum integra converſione plenus, ſolemnem iis abſolutionem impertiebatur; qua accepta continuo barbam, & caput attondere, ſaccum, & cineres ponere, vitamque more cæterorum Fidelium rurſum inire pœnitentes incipiebant. Sine dubio multa in ejuſmodi exterioribus ceremoniis pro locorum ac temporum modo diverſitas fuit; univerſæ tamen ad eumdem finem collimabant, erantque ſane illuſtre argumentum, quo ipſi adeo innocentes bonique Chriſtiani edocerentur, quanta peccati enormitas, quantaque ab eodem ſeſe expediendi difficultas eſſet. (1)

CAPUT XI.

Principes Chriſtiani.

HIs pœnitentiæ legibus nemo unus eximebatur, quantumvis illuſtri ſummoque in loco poſitus ſupra Vulgus emineret. Principes Viri perinde ac privati homines iiſdem obnoxii erant; qua de re Theodoſii Imperatoris inſigne eſt ad omnem poſteritatis memoriam exemplum. Primis quidem tribus Eccleſiæ ſæculis nemo fere credebat fieri poſſe, ut Magnates ſummique in ſæculo Viri ſeveræ Chriſtianiſmi Diſciplinæ ac jugo colla aliquando ſubderent: difficileque erat, animo aſſequi, qua tandem ratione Chriſtiana humilitas ſuique abnegatio cum ſummo imperio inimiciſque opibus ſtare aut conciliari poſſet. (*Apolog. c.* 21. *cont. Celſ. C.* 8.) Atque hæc cauſa erat, cur Tertullianus olim affirmarit, longe citius Chriſto nomen daturos fuiſſe Cæſares, ſi Cæſares, ſimul, & Chriſtiani eſſe noliènt; eundem prope in modum Origenes loquitur. Sed enim hoc quoque prodigium univerſo inſpectante orbe terrarum patrare Deus voluit; eaque tam admirabili rerum converſione præcipuum ſecundi Eccleſiæ ſtatus a primo diſcrimen continetur, utpote quæ baſis ac fundamentum erat publicæ libertatis in Eccleſia tunc ſtabilitæ, de qua hoc loco agimus.

Initio ſtatim converſionis Magni Conſtantini videre erat Jeſu Chriſti nomen & crucis ipſius ſacroſanctum ſignum in Labaro, & ſignis Romanorum militaribus luculenter expreſſa; quodque ad eam diem ſupplicii maxime omnium infamis inſtrumentum fuerat, derepente exornandis Regum diadematis adhibitum fuit. Quis porro ejuſdem Imperatoris adverſus Patres Concilii Nicæni magnificam pietatem, quis honores illis habitos ignorat? Ille commeatum, ut ex longiſſime diſſitis immenſi Imperii partibus ad Synodum venirent, ſuis impenſis comparavit; (*Euſeb. vita Conſtant. c.* 6. 7. *&c. Sacrates Hiſt.* 1. *c.* 1. 5. & 8.) Ille toto Concilii durantis tempore ſumptus ad eorum ſuſtentationem neceſſarios ſuppeditavit; Ille ad ſuas ſedes reverſuros regiis plane muneribus cumulatos ab ſe dimiſit. Libellos ſupplices, quibus Epiſcoporum aliquot accuſabantur, idem flammis cremari juſſit, & Confeſſorum cicatrices, veluti prætetitarum perſecutionum glorioſa in Chriſti militibus veſtigia exoſculatus eſt. Jam in ipſo Concilio frequentando quanta non edidit pientiſſimus Imperator Religionis, & reverentiæ ſpecimina? Nullo milite prætoriano ſtipatus in Senatum Patrum ſe inſinuavit, nec niſi annuentibus Patribus ſedem occupavit ſuam. Denique ſoluto cœtu eoſdem in palatio ſuo magnifico convivio excepit, cui ipſe quoque accumbere non dubitavit. Sane tunc temporis, ſi quando alias, ipſis quodammodo oculis ſpectare licuit

(1) Auctores quos de pœnitentia potiſſimum conſules, præter Theologos, ſunt Johannes Morinus in erudito opere *de pœnit.*, Sirmondus in *hiſtoria pœnit. publicæ*, Martenius *de ant. Eccl. ritib.* Chardonius *in hiſtoria Sacramentorum*, ut alios mittam, de quibus vide Fabricium *Bibliogr. antiq. pag.* 573. *ſeqq.*, Grancolaſius *T. II. Antiqui Sacramentarii Eccleſiæ p.* 209. *ſeqq.*, Zechius *T.* 1. *de jure rerum Eccleſiaſticarum Sect.* 2. *tit.* 6.

cuit Christum Regem reges in ipsos imperium suum exercentem. (1)

Plus etiam honoris, & ornamenti Religioni nostræ Theodosius attulit insignibus virtutum suarum exemplis. Sæpe is, & familiariter cum Deo per orationem agere, hujus Numen in gravissimis negotiis implorare, secundos armorum cursus illi uni in acceptis referre. Præcipiti aliquando ira in populum Thessalonicensem accensus, atrocius æquo supplicium de iisdem sumpsit; palmare fuit Imperatoris hac in re peccatum, palmaris etiam de peccato acta publice pœnitentia.

Utrumque factum, (*Ex Theodoreto Hist. Eccles. c. 16. 17. & 18.*) ut Theodoreti, qui illud litteris consignavit, verbis utar, dignum sane est, quod eorum, qui hæc legent, utilitatis gratia narretur. Thessalonicæ coorta seditione quidam civitatis primarii viri partim lapidibus obruti, partim contumeliose a populo accepti fuerunt. Qua re intellecta, Imperator usque adeo præsenti iracundia exarsit, ut in universos temere, & crudeliter animadverti juberet promiscua Innocentum ac Reorum cæde. Hoc allato nuncio, Ambrosius ingressum Mediolanum Imperatorem, volentemque more solito in divinum intrare templum, ante Vestibulum occurrens, gravi, & Apostolica oratione procedere ulterius vetuit .... Imperator ea re permotus, utpote qui in sacra educatus doctrina sciret, quæ Sacerdotum, quæque Imperatorum essent officia, cum gemitu, & lacrymis in Regiam revertitur. Ibi mensibus octo in luctu & pœnitentia consumptis, in Natalitio Servatoris nostri festo iterum se Ambrosio sistit, utque vinculis se exsolvat, obtestatur, paratus pœnas omnes, quas medicinæ loco Sanctissimus Præsul imperaturus erat, opere ipso exequi. Tum Divus Ambrosius Legem ab Imperatore ferri jubet frangendis iracundiæ motibus apprime accommodam, atque a Theodosio manus suæ subscriptione illico firmatam. Ea lege irrita primum declarantur suffragia judiciave, quæ in iracundia lata essent; tum a pronunciata sententia sive capitis, sive publicationis bonorum triginta dierum intervallum statuitur, quibus elapsis animoque ipsa temporis mora ad æquitatem revocato, sententiæ illæ novo examini subjicerentur. His a Theodosio prompte gestis, Ambrosius ipsum vinculis injecti prius anathematis exemit, templumque intrare demum ausus Imperator humi prostratus Davidicum illud ingeminabat: *agglutinata est pavimento anima mea, vivifica me secundum verbum tuum*: manibus insuper capillos vellens, & frontem percutiens, ac guttis lacrymarum rigans pavimentum, dari veniam sibi petebat. Hactenus Theodoretus, qui post alia, quæ ibidem refert, cum Apostolicæ libertatis ab Ambrosio, tum Christianæ modestiæ ac submissionis a Theodosio edita exempla, in hæc verba narrationem concludit: *tali tantaque virtute & Pontifex & Imperator erant illustres. Nam utrumque ego admiror, illius quidem libertatem, hujus vero obedientiam: itemque fervoris flammas illius, & hujus fidei puritatem.* Tantumque abfuit, ut Imperator istam Ambrosii magnanimitatem subiniquo ferret animo, ut ipsum solum pluris quam cæteros omnes Episcopos faceret, dicereque auditus fuerit: *solum novi Ambrosium dignum Episcopi nomine*. Nihilo minus Augusta Theodosii conjux a pietate mirificaque in pauperes beneficentia commendatur. Tam Religiosi mores & spiritus Christianis Principibus dignus in universa quidem Theodosii familia perseveravit, nullibi tamen illustrius, quam in sancta Pulcheria ipsius nepte promicuit. Ista annum ætatis agens quintum supra decimum una cum duabus sororibus suis voto Virginitatis rite emisso totam se Deo dicavit, &, quod magis mirere, in ipsa palatii luce ac frequentia Imperatoriæ aulæ persistens, adeo sese solitudini, pietati, sanctorumque operum assiduæ exercitationi dedit, ut Scriptores illorum temporum palatium illud monasterio, loco nimirum, quo sanctiorem nullum sciebant, conferre non dubitaverint. (2)

In

(1) De Constantino M. plura vide apud Bollandianos *ad d. XXI. Maji*, Tillemontium *in Monumentis Impp.*, Lupium in *Thesibus de vita Constantini Magni*.

(2) S. Pulcheriæ vitam nuper ediderunt Bollandiani; Italice illam quoque perscripsit P. Contuccius Contuccius Soc. olim nostræ.

In hac Schola Virtutum Pulcheria fratrem suum Theodosium institui curavit, qui eadem pietatis a sorore impressa vestigia sectatus, summo mane lectulo sese proripiebat, divinas laudes in consortio sororum sacro cantu celebraturus; assiduus erat in orando Deo, in visitandis Ecclesiis frequens: in iisdem locupletandis mirum in modum munificus. Sæpe is inedia corpus suum, quarta præsertim, & sexta feriis, affligabat: bibliothecam habebat sacris libris instructissimam, divinæ Scripturæ libros memoriter complectebatur omnes: cum Episcopis sic, quasi unus ex eorum numero foret, agebat; veneratione tamen insigni eosdem, atque adeo Christianos omnes virtute conspicuos, prosequebatur. Multorum Sanctorum Reliquias insigni Pompa transferri curavit, multorum nosocomiorum & monasteriorum fundator ac parens. Neque solum officiis Christianæ pietatis, verum etiam cæteris omnibus, quæ Imperatorem ornare solent, instituendum fratrem suum Pulcheria curavit. Excellentissimi Magistri liberalibus disciplinis, equestribus etiam ac militaribus exercitiis ipsum imbuebant: ad frigoris, & caloris, ad famis ac sitis ferenda incommoda inde a teneris annis assuefiebat. Præcepta porro urbanitatis, & decori, quæ in vestitu, in actione & incessu teneret, eadem Pulcheria Theodosio tradebat; hac Magistra didicit modum in risu tenere, nunc facilem & amabilem sese, nunc terribilem in loco præbere, denique sui copiam mira animi moderatione omnibus facere. Hac tam accurata cultura Theodosius affectionum suarum iræ præsertim dominus evasit, affabilis erga omnes, humanus & ad commiserationis tenerum sensum proclivis.

Talis tantusque Imperator junior fuit, etsi in purpura natus, & in Oriente vivens, sæculo fœdum in modum corrupto. Marcianus Imperator, qui de ipso Theodosio præclare meritus, multoque rerum usu edoctus eidem successit, similia edidit pietatis ac zeli in Religionem documenta, & quidem majori efficacia, & habilitate; neque alio opus est ad ipsius comprobandam virtutem argumento, quam quod Pulcheriam sibi sponsam delegerit; ea tamen conditione, ut virginitatem in conjugio ambo colerent.

CAPUT XII.

Mores Clericorum.

DUm Principum sæcularium vita adeo insigni sanctitate florebat; pronum est judicare, longe integerrimos sanctissimosque fuisse Episcoporum, & Cleri totius mores. Sed operæ tamen pretium erit, observare hoc loco mutationem nonnullis in rebus, quæ ad vitæ normam pertinent, in hoc secundo tranquilloque statu inductam. Itaque per id tempus cœpere Clerici exteriora quædam suæ professionis signa gestare; etsi re ipsa habitus ista diversitas, quo a Laicis secernabantur, non prius admodum apparuit, quam Barbari in Occidente rerum potiti sunt; (*Thomass. Tom. 1. lib. 2. c. 46. n. VII.*) tunc enim Sagis & breviore vestitu non minus quam lingua Barbarorum a Laicis assumpta, soli Clerici vestitum Romanum, togam nimirum talarem perinde ac linguam & leges Romanorum retinuere.

Complures ipsorum vitam in communi ducebant, Ecclesiæ Hierosolymitanæ imitatione, vitæ hujusmodi rationem tanquam perfectiorem complexi. Hi eodem tecto & triclinio, quoad ejus fieri poterat, communiter utebantur, proprium quidem certe possidebant nihil, non aliis quam ab Ecclesiæ liberalitate subministratis reditibus victitantes; ut adeo Clericorum talis cœtus unica quædam familia esset, cui Episcopus capitis, & patris loco præesset. Hujus instituti erant Clerici Sancti Eusebii Vercellensis, (*Thomass. Tom. 1. lib. 3. c. 9.*) S. Martini, & S. Augustini, qui *Clerici Canonici* nominabantur, ad distinctionem ab aliis Clericis, qui etsi non tanta religione ad canonum normam vitam instituerent, nihilominus non desinebant ab Ecclesia utiliter adhiberi.

Qui in ejusmodi numerosa communitate non vivebant, non omnino tamen solitarii degebant, sed uno saltem aut duobus sociis stipati. Presbyteri, quos animarum cura ruri tenebat, juniores Clericos apud se tenebant, ut morum ac scientiarum præceptis ipsos informarent, simulque idoneos vitæ suæ testes haberent. Quid? Episcopus ipse nunquam sine Sacerdote quopiam aut Diacono erat, qui noctu etiam in Antistitis conclavi so-

somnum capiebat; quem proinde Græci *Syncellum*, Latini *Cellulanium*, id est, in eadem cella cum Episcopo vel Patriarcha habitantem nominarunt; alio nomine *oculus Patriarchæ* appellabatur. Progressu temporis Syncelli nomen ac munus in dignitatem Ecclesiasticam abiit uni Patriarchæ aut Episcopo secundam. De aula S. Gregorii Magni Pontificis constat, eam non nisi Clericis, & Monachis compositam fuisse, duratque in hunc diem servata consuetudo, ut domestici officiales Pontificum Clerici omnes sint.

Cæterum sive in communi, sive privatim Clerici viverent, nunquam tamen fas ipsis erat, iisdem in ædibus feminas apud se habere. (*v. Baron. ad Ann. 272. Concil. Antiochen.*) Sane inter capita accusationum adversus Paulum Samosatenum illud etiam erat, quod secum haberet, comitesque sibi, quo quo iret, adjungeret duas personas sequioris sexus, ætate & forma florentes, quodque Presbyteris ac Diaconis suis permittat, nonnullas ex eo genere feminarum domi suæ tenere, quas græce συνεισάκτους, id est, *subintroductas*, velut Ruffinus vertit, *extraneas* vocabant. (1) Abusus iste late vulgari cœpit, ex quo pax Ecclesiæ donata est, cum prius ex innocentissima quadam consuetudine ortum habuisset suum. Constat ex Evangeliorum sacro codice, fuisse olim mulieres vitæ sanctimonia illustres, quæ Redemptorem nostrum, (*Matth. 27. v. 55. Marci 15. v. 41.*) quocunque iter faceret, sequebantur, inservientes Ipsi, & de facultatibus suis necessaria ad vitam subsidia suppeditantes. Porro S. Paulus testatur, cum cæteris Apostolis, tum Apostolorum principi Petro in more positum fuisse, quasdam ut feminas Christianas peregrinationum suarum haberent comites. Tanta vero Apostolorum, & primorum discipulorum, quos Apostoli instituerant, sanctitas, tam insignis omnibusque explorata vitæ ipsorum innocentia erat, nullus ut sinistræ suspicioni locus relinqueretur; tanta etiam circumspectione hac in re iidem utebantur, ut ne Ethnicorum quidem ulli feminarum illa societas scandalo esset; quod eo etiam facilius factu erat, si mulieres illæ, (*Clem. Alexandr. 3. strom. prope med.*) uti Sancto Clementi Alexandrino visum fuit, Apostolorum & ipsorum discipulorum uxores fuerint, quas isti deinceps sororum loco habebant.

At ubi Christianæ disciplinæ rigor mitescere sensim & laxari cœpit, nihil proclivius erat, quam ut charitatis obtentu licentia & voluptas sese insinuarent; cumque Clericorum prisca vitæ severitas aliquantulum remisisset, horum vita sinistris hominum judiciis magis obnoxia esse cœpit. Sane Concilii Antiocheni Patres, ubi de duabus feminis agunt, quas Paulus Samosatensis apud se tenebat, diserte addunt, ipsum delicate vivere, & gulæ intemperantius indulgere. Quare faciendum omnino Patres existimarunt, ut mali occasio omnis præcidatur, lege in omnes Clericos constituta, ut qui conjugio ante illigati non essent, *Extraneas* domi suæ ne retinerent. Extranearum vero nomine mulieres omnes intelligebantur, quæ Clericis non essent sanguine conjunctissimæ; (*Concil. Nicæn. Can. 3. & Eliberit. Can. 27. S. Hieronym. Ep. 22. ad Eustoch.*) has Nicænum Concilium declaravit esse Matres, Sorores & Amitas. (2) Quamplurima in hanc rem a Conciliis & Sanctis Patribus edita decreta scriptique tractatus extant, quo abusus iste, & ut S. Hieronymus loquitur, *pestis Agapetarum* nimium quantum inveterata stirpitus evelleretur. Immo si vel abesset suspicio omnis pravæ conversationis, non videbatur tamen consultum esse, ut Ecclesia-

(1) Alias specioso magis, quam vero nomine (*d*) *Agapetæ* dicebantur, quasi spirituali solum charitate dilectæ; ajebant enim, qui ejusmodi feminas in suis ædibus alebant, id facere se, ut suus virginibus patronus esset, cum maritos aut tutores non habeant, sæpe etiam parentibus & fratribus destitutæ. Vide Dissertationes.

(2) Nicæni Canon tertius ita habet: *Nec alicui omnino, qui in Clero est, licere subintroductam habere mulierem* συνείσακτον, *nisi forte aut Matrem, aut Sororem, aut Amitam, vel eas tantum personas, quæ suspicionem effugiunt.*

Eliberitani Canon 27. est: *Episcopus vel quilibet Clericus alius aut Sororem, aut Filiam Virginem dicatam Deo tantum secum habeat, Extraneam vero nequaquam.*

clesiasticis viris cum altero sexu multum consuetudinis & familiaritatis esset, ne pietatis quidem ac devotionis prætensa specie; nec probabatur, ut munuscula & bellaria iidem reciperent severæ masculæque virtuti inimica, atque ad mollitiem animis invehendam nimis quam efficacia. *Crebra munuscula*; inquit Hieronymus, (*Epist. ad Nepot.*) *& sudariola, & fasciolas, & vestes ori applicatas, ac degustatos cibos, blandasque & dulces litterulas sanctus amor non habet*.

In universum tamen sua Ecclesiasticis per id tempus, eaque excellens vitæ integritas & sanctimonia constabat; qui, ut homines essent, infirmitate etiam ipsi circumdati, neque affectionibus inordinatis omnino vacui, vitam nihilominus maxima ex parte continentissimam ad cæterorum ædificationem agebant, quos proinde æquissimi quique rerum æstimatores insigni passim reverentia & honore colebant. Quamvis Episcopi tunc certum dignitatis gradum inter sæculares magistratus non obtinerent, propterea quod privatorum hominum instar nihil pompæ exterioris affectarent, non desinebant tamen pro sublimissimi status sui excellentia apud Magnates ipsosque Principes in honore esse. Supra jam demonstratum est, quantus a Constantino Magno (*Plura exempla vid. ap. Thomass. Tom. 2. lib. 3. c. 50. n. 7. & c. 58.*) Patribus Nicææ congregatis exhibitus fuerit honos. De Maximo Imperatore memoriæ proditum est, adhibitum ab ipso ad mensam fuisse Sanctum Martinum cum uno ex Presbyteris Sancti Episcopi, Imperatrice interea suismet manibus ad mensam ministrante.

Cum solerent ea ætate Romani viros in dignitate constitutos diversis titulis honoris causa condecorare, nunc *Illustres*, nunc *Gloriosos*, alias *Spectatos* aut *Clarissimos* compellando, pro graduum, & dignitatis, qua quisque effulgebat, diversa ratione; (1) Episcoporum ordini *Sancti*, aut *Beati* prænomen inditum fuit; cui interdum *pii*, *religiosi*, *Deo chari*, aliave similis honorifica vox accessit. Tituli hujusmodi adeo Episcoporum erant proprii, ut in Judiciis etiam, ubi accusari quempiam ipsorum & condemnari contingeret, honorifica illa præfatione nominarentur, id quod in Concilio Ephesino contra Nestorium, & in Chalcedonensi contra Dioscorum coacto videre licuit. Etiam in hæresim lapsis tituli illi non denegabantur. S. Augustinus in Colloquio Carthaginiensi non dubitavit dicere: *Sanctissimus Emeritus*, & *Sanctissimus Petilianus*, etsi ambo Donatistarum errores tuerentur, nimirum offensione non vacasset, id genus titulis viros illos privare. (2)

Papæ nomen (*Vid. Baron. in notis ad Mar. 10. Joan.*) quod patrem significat, cum testificatione tamen teneriorís cujusdam affectus, diu admodum Episcopis omnibus in Ecclesia latina commune erat, & hodiedum omnibus Ecclesiæ græcæ Presbyteris tribuitur. Iidem Episcopi passim pro Dominis colebantur; neque ulla frequentior sæculis Christi quarto, & quinto Litterarum inscriptio occurrit, quam hujusmodi: *Domino Sanctissimo, piissimo, summeque venerando N. Episcopo*. Usitatum etiam erat, uti supra ostendi, prostrato ante eos humi corpore, pedes ipsorum deosculari. Et mirabimur adhuc, si honorum, qui adeo splendidi nobis videntur, ista significatio, Summo Pontifici Episcoporum Episcopo delata fuerit, quem Fidelium multitudo singulari semper, ac præcipuo quodam cultu venerata est, quemque Episcopi ipsi parentis, & Papæ, id est, dulcissimi parentis loco habebant, perinde ac Pontifex ipsos tanquam fratres tractare solet? (*Vide Epist. Innoc. I. inter Epist. August.*) Habet enim hoc Ecclesia Romana, ut plus quam cæteræ omnes Ecclesiæ veterum consuetudinum apprime retinens, & studiosa sit.

Multum sane ista sæcularium Potestatum adversus Episcopos reverentia ad conciliandam ipsis magnam auctoritatem valuit, qua instructi Viduarum, Orphanorum & quorumcunque calamitosorum hominum patrocinia susciperent; præcipue vero usi auctoritate illa sunt Episcopi ad vitæ gratiam capitalium criminum reis impetrandam; (*V. Ep. 54. Aug. ad Macedon.*) non quasi zelo justitiæ minus præditi essent; sed quia probe norant, hujusmo-

(1) Vide cantelium in historia Metropolitanarum Urbium P. I. diss. II. cap. I.
(2) De his titulis confer Bibliogr. hanc nostram *P. II. cap. 22. n. 6.*

jusmodi zelum, quantum satis est ad coercendos facinorosos, in sæcularibus Dominis minime desiderari; cum illi interea animas omnium, sive Christiani essent, sive a nostris sacris adhuc remoti, Deo lucrifacere studerent. Procul dubio enim efficax, & blandum ad pœnitentiam aut baptismi susceptionem incitamentum erat tanta Episcoporum erga miseros charitas; idemque studium clementiæ, & mansuetudinis Ecclesiam Christi ipsis adeo Paganis mirifice commendabat.

In tanta luce honorum, publicæque ac honestissimæ existimationis constituti Episcopi Clericique omnes paupertatem tamen sibi quam maxime commendatam habebant. In Africa jubebantur Clerici, quantumvis Sacrarum Litterarum cognitione præstantes, (*Concil. IV. Carth. can. 51. & 52. v. Thomass. Tom. 3. l. 3. c. 8. n. 2. 3. &c.*) aut ruri opus facere, aut opificium aliquod domi exercere, quo victum sibi & vestitum, sine præjudicio tamen functionum suarum, compararent. Quæ lex ad Clericos inferiorum ordinum potius, quam ad Diaconos, & Sacerdotes satis alioquin occupatos spectare videtur. Suppetunt nihilominus exempla quorumdam Episcoporum, qui Apostoli hac in re consilium longissimis etiam retro temporibus opere ipso impleverunt. Sed undecunque demum Clerici vitam sustentarent suam, illud tamen curare debebant, ut frugalitatem semper ac modestiam christianam ostenderent. Hinc est illa Canonum Ecclesiæ Africanæ lex, ut Episcopi victum mediocrem, & cæteram rem familiarem tenuem haberent. Accurate hoc ab Augustino observatum fuit, Possidio teste, qui, cum affirmet, Augustinum præter legumina & herbas interdum carnium & vini aliquid hospitum gratia mensæ inferri curasse, non obscure nos docet, quam vilis parabilisque ut plurimum fuerit Sanctissimi Præsulis victus. Sub eadem tempora D. Paulinus, (*Paulin. Epist. 1. in fine*) opibus prope immensis ultro abjectis, ad quotidianos usus ligneas scutellas & fictilia vasa adhibebat. Sanctus Martinus asello insidens, & paupere lacerna indutus, Diœcesim suam lustrabat. Admirationi præterea erant propter insignem abstinentiam & producta jejunia S. Lupus Trecensis, S. Germanus Antissiodorensis, & S. Hilarius Arelatensis, Episcopi. De Sancto Epiphanio Ticinensi Scriptores notant, nunquam ipsum balneo uti, nunquam cœnare, nunquam aliis cibis præter olera & legumina vesci solitum fuisse. Inter Orientis Episcopos S. Basilius præter panem sale conditum comedebat nihil, frigida sitim levabat, unaque solum tunica vestiebatur. Idem ferme institutum S. Gregorius Nazianzenus tenuit. Divo Chrysostomo Adversarii sui exprobrabant, & accusationis contra virum sanctissimum præcipuum caput in eo reponebant, quod sine socio cibum caperet, vitamque agitaret admodum solitariam: ipseque Chrysostomus testatur reprehensionem apud se incursurum esse Antistitem, siquidem *sericis vestiri, multitudinem sequentium, & comitantium habere, circa forum arroganter incedere, equo vehi, domosque ædificare cerneret, si jam, ubi commoretur, habeat.* (*Homil. 9. in Epist. ad Philipp.*) Hujusmodi enim fuere, quæ sæculo uno ante Chrysostomi tempora Paulo Samosatensi vitio vertebantur; hominem ipsum ajebant esse, qui laute vivat, qui splendido amictu fulgeat, qui per urbem incedens, turba hominum præ se & a tergo euntium stipatus appareat, magisque ad fastum ac morem consularem, quam ad Episcopalem modestiam compositus sit. Et tamen Paulus iste Antiochiæ Episcopus erat, quæ urbs pro Metropoli Orientis & inter cæteras orbis terræ prærogativa tertia habebatur. Adeo vero jam insueverant hominum oculi tantæ Episcoporum modestiæ, ut quidam malevolorum aut imprudentium inique criminandi ansam inde arriperent, si forte nonnullos observarent hac in re aliis dissimiles, pauloque ornatiores. *Quodsi*, verba sunt ejusdem S. Chrysostomi, (*Homil. 1. in Epist. ad Titum. Similia his vide hom. 9. in Ep. ad Philipp.*) *modico ac sobrio fruatur cibo Episcopus . . . . si lavantem viderit quispiam, plurima in eum intorquentur convitiorum spicula, Indignus protinus judicatur, qui aspiciat solem: quandoquidem illa gerit, quæ ille. Atque ille lavat, inquit alius, ut ego, comedit, bibit, vestimentis operitur, domus curam gerit atque familiæ; cujus ergo rei gratia ille mihi prælatus est? sed & famulos habet, qui illi ministrent, & asello vehitur; cur præesse mihi debet? vide quæso, quanta rerum absurditas*: hactenus Chrysostomus. Et Ammianus Marcellinus, etsi Gentilis esset, isque antiquis superstitionibus suis mordicus addictus, discrimen tamen animadvertit, quo sub finem sæ-

culi

culi quarti Pontifex Romanus ab Episcopis reliquarum Provinciarum exteriore corporis habitu differebat. Quasi mirum & insolens foret Episcopum Urbis, quæ mundi Caput & Domina erat, vehiculo aut Carpento uti, quo expeditius amplissimæ Urbis diversas regiones adiret, vestimentis insuper melioribus indui, mensamque aliquanto lautius instruere, cui Summi quique Romani Imperii Proceres accumbere possent. Utcunque tamen ista se habeant, illud in comperto est, eo ipso tempore floruisse in Provinciis Episcopos tanta in victu parsimonia, tanta paupertate in vestitu, tanta vultus modestia conspicuos, ut merito iis virtutibus Deo juxta, & hominibus sese commendarent; id quod idem ille Scriptor quantumvis Ethnicus attestatur. Immo ex allatis supra exemplis perspicuum fit, etiam celeberrimarum urbium Antistites ea simplicitatis & moderationis laude insignes fuisse; ut alios prætercam, quorum res gestæ a nobis lectæ non sunt, & fortasse ne litteris quidem magna ex parte consignatæ.

CAPUT XIII.

Ecclesiæ opes.

Admirabiliorem hanc Episcoporom modestiam reddit magnitudo divitiarum, quibus Ecclesiæ circumfluebant, & quas inter præcipuos libertatis fructus numerare licet. Tantum non fidem superabunt, quæ hac de re dicere ingredior, etsi certis argumentis comprobata sint. Vitæ omnes Romanorum Pontificum ab exordio sæculi quarti, & Pontificatu S. Sylvestri usque ad finem noni sæculi plenæ sunt largitionibus, quibus Ecclesias Romæ existentes non modo Pontifices atque Imperatores, verum etiam privati quidam homines dotarunt, nec vasa solum aurea argenteaque donata fuere, sed integræ etiam domus in Urbe, & extra illam prædia & possessiones, partim in finibus Italiæ, partim in aliis Romani Imperii provinciis adjectæ sunt. Satis hic loci abundeque fecero, si, quæ unus Constantinus magnifica pietate in Ecclesias profudit, dona ac munera, ex Anastasio Bibliothecario referam, qui ea ex antiquis documentis, sua ætate adhuc extantibus, congesta ab injuria temporis vindicavit. (1)

Affirmat is, Constantinum complures Basilicas partim ædificasse, partim dotasse. Principem inter eas locum sibi vendicat Basilica Lateranensis, a suo Fundatore *Constantiniana* dicta; in hanc hujusmodi dona Imperator contulit.. Tabernaculum ex argento ductili bis mille & viginti quinque librarum; in ejus anteriore parte figura extabat Salvatoris sellæ insidentis, alta quinque pedes & viginti supra centum libras gravis. Circumpositæ visebantur duodecim Apostolorum Statuæ, quarum singulæ quinque item pedum altitudinem, & gravitatem librarum nonaginta habebant, cum coronis argenti purissimi. In aversa tabernaculi parte alia Salvatoris imago erat in throno sedentis, alta quinque pedes, & librarum quadraginta supra centum, quam circumstabant Angeli quatuor ejusdem altitudinis, singuli centum & quindecim librarum, ex argento conflati, & pretiosis distincti lapidibus. Additæ præterea coronæ quatuor cum Delphinis viginti ex auro purissimo, quarum quælibet quindecim pondo gravis erat. Coronarum nomine hic intelliguntur totidem circuli, qui candelabra in orbem disposita sustinebant; Delphini vero ab Anastasio aliisque medii ævi Scriptoribus nominantur ornamenta majorum Lychnuchorum, qui lychnos sive lucernas portabant. His accessere altaria septem ex argento, singula ducentarum librarum; Patenæ aureæ septem, singulæ librarum triginta; Calices aurei quadraginta unilibres, quingenti vero argentei bilibres: Candelabra sive lampades (Anastasius Phara vel Pharoncantharos nominat) universim centum & sexaginta, quorum quadraginta quinque libras triginta, reliqua viginti pondo singula habebant; plura ejusmodi vasa libens hic prætereo. In Baptisterio fons ipse sacer, sive La-

(1) Hæc ego accurate expendi in dissertatione, quæ Fulginei sub prælo est cum aliis Latinis meis dissertationibus T. II., *de antiquis S. R. E. patrimoniis*. Vide etiam Muratorii Antiquitates Italicas *diss.* 69.

Labrum Babptiſmale ex lapide porphyretico factum, & argento undique coopertum erat, cujus pondus ad ter mille & octo libras aſcendebat. Fonti lampas imminebat ex auro puriſſimo librarum triginta, in qua ducentæ libræ balſami in die Paſchatis conſumebantur. Pone fontem ſacrum Agnus aureus ſtabat triginta librarum, aquas fundens, ad dexteram Agni Salvatoris imago proſtabat ex argento puriſſimo quinque pedes alta, librarum centum & ſeptuaginta; ad ſiniſtram porro B. Joannes Baptiſta intento in Chriſtum digito titulum exhibebat: *Ecce Agnus Dei, ecce, qui tollit peccatum mundi*; Statua hæc ex argento centum pondo erat. Cervi quoque argentei ſeptem fundentes aquam, ſinguli octoginta librarum, denique thuribulum aureum decem librarum, gemmis pretioſis quadraginta & duabus illuſtratum. Quid multa? ſubductis accurate calculis omnium donorum, quæ cum Baſilicæ, tum Baptiſterio Conſtantinus obtulit, univerſa ad ſexcentas ſeptuaginta octo libras auri, argenti vero pondo novendecim millia, ſexcenta & ſeptuaginta tria aſcendunt. Cum vero libra Romana duodecim ſolum uncias contineat, pondus illud auri & argenti marcas auri mille & ſeptendecim, marcarum autem argenti undetriginta millia ſupra quingentas efficit; ut adeo, ſi marca auri in noſtrate moneta æſtimetur trecentis Francis, ſive libris Gallicis, marca vero argenti libris Gallicis triginta, univerſum pretium auri & argenti, quod vocant intrinſecum, non computata artis æſtimatione, complectatur circiter duodecies centena millia librarum Franciarum. Præter hæc dona (1) eidem Baſilicæ & Baptiſterio collata a Coſtantino fuere ædificia urbana, & prædia (Anaſtaſius *Maſſas* vocat, quæ & *Manſi* nominantur) ex quibus tredecies mille nongenti & triginta quatuor Solidi aurei pro annuis reditibus percipiebantur, qui, Solido aureo non pluris, quam ſex Libris Francicæ monetæ æſtimato, facile ſuperant ſummam octoginta millium Librarum Francicarum in annuos proventus attributarum. Atque hæc omnia in unam Lateranenſem Eccleſiam unius Beneficentiæ Imperatoris collata fuerunt.

Idem ſeptem alias Romæ exædificavit Eccleſias, S. Petri Principis Apoſtolorum, S. Pauli, S. Crucis Hieroſolymitanæ, S. Agnetis, S. Laurentii, SS. Petri, & Marcellini, alias vero a S. Silveſtro Papa exſtructas ampliſſimis donis locupletavit. Extra urbem etiam templa molitus eſt Oſtiæ, Albani, Capuæ & Neapoli. Univerſim autem, quæ ſacris hiſce ædibus dono dedit, vaſa aurea argenteaque, ea mille trecentas, & quinquaginta novem marcas auri, & uncias quatuor, argenti porro marcas duodecies mille quadringentas, & triginta ſeptem conficiunt, quarum intrinſecus valor, rationibus obiter ſubductis ſeptingenta ſupra octoginta millia marcarum pretium exæquat. Præterea annui proventus, quibus Eccleſias illas inſtruxit ad ſeptendecim millia ſeptingentos, & ſeptendecim ſolidos aureos, id eſt, ad ſummam centenis millibus librarum Franciarum majorem aſcendunt. Aromata vero diverſi generis, quæ ex poſſeſſionibus Eccleſiarum in Ægypto, & Oriente ad eas pertinentibus quotannis ſubmittenda erant, eorum pretio, quod illa ætate multo, quam nunc, majus erat, ad noſtri duntaxat ævi rationes computato, ſuperabant tamen ſummam viginti millium Francorum. Sic, exempli cauſa, Baſilica S. Petri in Urbe proprias Antiochiæ ædes, & in ejuſdem vicinia fundos ſuos habebat; Tharſi item in Cilicia, Alexandriæ totaque in Ægypto, atque adeo in Provincia Euphrathæa certa bona prædiaque poſſidebat, ex quibus nonnulla pro annuo canone certam menſuram olei Nardini, Balſami, Storacis, Cinnamomi, Croci, aliaque id genus odorifera, & pretioſa aromata ſuffimento In thuribulis, & flammæ in lampadibus nutriendæ ſuppeditare debent. Adde his Eccleſias ab eodem Conſtantino, & S. Helena matre ipſius Hieroſolymis, Bethlehemi, & alibi paſſim in terra ſancta ædificatas; (*Vid. Euſeb. de vita Conſt. l.* 3. *c.* 34. 35. *&c.*) adde Baſilicam duodecim Apoſtolorum, aliaſque Conſtantinopoli erectas, poſtquam Urbem iſtam, & ſecundam Romam a fundamentis extruxerat; adde regia plane dona, quibus Eccleſias per totum Imperium excitatas ditavit; adde ad extremum munera &

(1) Vide Bulengerum *de donariis &c.*

ra & bona, quæ Constantini in Imperio successores, quæ Provinciarum Præsides, aliique summi Viri ac Dynastæ Christum secuti, quæ sanctæ, & nobiles Matronæ, ut Paula, Melania, aliæque complures ex opulentissimis voluntarie pauperes factæ in ornandam Dei Domum, & familiam congesserunt, quæque ipsi quoque Episcopi mirifice auxerunt, quorum sancta erat æmulatio, ut suam quisque Ecclesiam quam splendidissime copiosissimeque instructam haberet. His omnibus veluti sub uno conspectu positis arbitrari per se ipse quivis potest, quantas necesse sit fuisse opes Ecclesiarum in celebrioribus, & primariis urbibus, quæ Metropoles erant tam insignium Romani Imperii Provinciarum, ut eædem nostra tempestate pro amplissimis Regnis haberentur. Profecto Alexandrinæ Ecclesiæ propemodum immensas constat fuisse divitias tempore S. Joannis cognomento eleemosynarii, qui reditus illius tam ingentes tanta fide, & sanctimonia erogavit. (*Vita S. Gregorii per Jo: Diac. l. 2. c. 55.*) Constat item ex Epistolis S. Gregorii, quantum negotii sanctissimo Pontifici facessiverit administratio patrimoniorum Ecclesiæ Romanæ quaquaversum per Siciliam, Hispaniam, Galliasque patentium; quam sollicite curandum fuerit, ut servi & mancipia possessionibus illis colendis addicti bene tractarentur, utque annui reditus in pauperum cujusvis provinciæ, unde ea bona suppetebant, levamentum & sustentationem adhiberentur. Nec ista cuiquam incredibilia videri possunt, nisi qui Romanæ Historiæ plane rudis sit, nesciatque, tantam temporis fuisse Romanæ Monarchiæ amplitudinem, tantas honorum etiam privatorum opes, ut familiare his esset, amicis suis integros pagos una cum habitatoribus testamento transcribere. (*ff. de Instr.*) Præterea maximi per idem illud tempus constituti reditus erant conservandis ornandisque falsorum Numinum delubris, singulis etiam annis pecuniæ vis ingens in sacrificia, ludos, aliosque impiæ Religionis ritus profundebatur; quare in promptu erat, partem aliquam redituum tam male collocatorum, in dotem atque ornamenta Ecclesiarum derivare, sed tamen inter præcipuos, ut loqui solemus, fundos, quibus Ecclesiæ tunc locupletabantur, bona illa numerari debent, quæ persecutionum olim sæviente æstu Christianis per summam injuriam erepta, & Fisco addicta fuerant. (1)

Bonorum Ecclesiæ tam ingentium (2) dominium ac procuratio tota penes Episcopos erat; ita enim diserte Concilium Antiochenum statuit: (*Can. 25.*) *Episcopus habeat rerum Ecclesiæ potestatem, ut eas in omnes egentes dispenset, cum multa cautione, & timore*. Sed enim tantum aberat, ut ea potestate, multum afficerentur Ss. illi Antistites, ut permolestam sibi potius accidere significarent, nihilque magis haberent in optatis, quam ut redirent aurea illa, & beata tempora, quibus Fidelium charitas tantum in dies singulos stipis, & oblationum afferebat, quantum levandis pauperum, Clericorum & Ecclesiarum necessitatibus sufficiebat. Hinc sæpe Augustinus fundos Ecclesiæ suæ omnes civibus Hipponensibus ultro offerebat, ea solum lege ac conditione, ut cum illis curam etiam susciperent sustentandi egenos, & Ecclesiis harumque Ministris prospiciendi, (*in vit. S. Aug. c. 23.*) *sed nunquam id Laici suscipere voluerunt*, inquit Possidius. D. Chrysostomus Christianis exprobrabat, ipsorum sordibus, & inclementia coactos fuisse Antistites, ad providendum Ecclesiis de certis stabilibusque bonis, ne forte Virgines, Viduæ, & Pauperculorum greges fame contabescerent, si, quod in primitiva Ecclesia in usu erat, solis oblationibus, & eleemosynis pro cujusque libitu factis victitandum ipsis esset: *Nunc agros*, verba sunt Chrysostomi, *domus, locationes ædificiorum, vehicula, equos, mulos, multaque alia hujusmodi propter vos, & vestram crudelitatem Ecclesia possidet. Oportebat etiam hunc Ecclesiæ thesaurum vos retinere, ac Ecclesiam non parvos ex vestra devotione consequi fructus: Modo autem duo quædam mala committuntur. Nam vos, quasi nihil dare debeatis, nihil confertis, & Dei Sacerdotes a* Sacer-

(1) De Ecclesiæ opibus medio ævo consule Muratorii Antiquitates Italicas *dissert. 67. 68. & 71.*

(2) Huc spectant Beneficia Ecclesiastica, de quibus eruditissime præter Auctores alios a Fabricio laudatos *Bibliogr. ant. p. 689.* agit Thomassinus.

Sacerdotio aliena pertractant. Et post pauca: *Non libenter ad hanc se deformitatem* (curandi sæcularia, & terrena) *immiserunt Episcopi, qui desiderabant fructus ex vestra devotione sic acquirere, ut orationibus solum possent attendere. Nunc vero coegistis eos illorum, qui sæcularia gerunt negotia, curam, & administrationes imitari: unde & universa commiscentur, atque turbantur*. Denique ait: *non audistis, quia nequidem has pecunias, quæ absque labore fuerunt collectæ, distribuendas putaverunt Apostoli. Modo autem Procuratores, Dispensatores . . . redacti sunt Episcopi ob istarum rerum curam, & sollicitudinem. Cumque oporteat, eos animarum curam vestrarum habere, hoc prætermisso, illa sollicite curant, quæ publicanis, quæstoribus, atque villicis curanda sunt*. Nihilominus viam aliquam, & rationem inivere SS. Præsules, expediendi se tam molesta rerum terrenarum procuratione. Initio quidem Archi-Diaconis, tum Œconomis ad hanc unice functionem destinatis provinciam illam imposuere; utque negotia etiam illa, quæ ad pietatem pertinent, levius ferrent, a Principibus Christianis Defensores Advocatos obtinuerunt, qui stabili sede in quavis urbe commorantes, rem Ecclesiæ pauperumque patrocinia magna charitate, ac fide tuerentur. (1)

CAPUT XIV.

Hospitalia.

Bonorum Ecclesiæ pars bene magna fundandis, & conservandis Hospitalibus Domibus insumpta fuit; nam sub illud tempus exstrui hujusmodi ædes cœperunt. Græci quidem & Romani Politicen suam usque eo elimaverant, ut otiosos homines beneque valentes, ac robustos Mendicos a finibus suis exigerent; nusquam tamen legere est, publica quadam sanctione pauperibus illis prospectum fuisse, aut subventum, qui ad publica servitia per corporis, & membrorum infirmitatem inhabiles erant. Immo passim existimabatur præstare, ut miserabiles hujusmodi personæ vitam potius cito finirent, quam ut eam longius producendo, sibi juxta, & aliis oneri essent; qua re factum est, ut, qui inter pauperes ceteris animosiores erant, sibimet ipsis violentas manus inferrent. Longe aliter ac melius hac de re Christiani sentiebant. Hi animarum præprimis salutem sitientes, nullam istarum, quantumvis miserabili in corpore habitaret, negligendam putabant; & ut quisque mendicorum humana ope maxime destitutus erat; ita præ ceteris singulari cura & charitate dignus habebatur. Jam vero juvandi illos nulla expeditior erat via, quam ut communi omnes hospitio, & victu exciperentur. Ergo ubi primum Ecclesiæ licuit esse a Tyrannis securæ, diversi generis domicilia misericordiæ fundari cœpta sunt. Ea nos universe *Hospitalia* dicimus, at Græci suis singula vocabulis efferebant.

Domus, in qua parvuli adhuc lactentes nutriebantur, sive Expositi essent, seu qua alia de caussa ibidem educarentur, *Brephotrophium* vocabatur: Domus, in qua pupilli degebant, *Orphanotrophium*. In qua ægroti curabantur, *Nosocomium*: In qua peregrini, & in itinere versantes refocillabantur, *Xenodochium* appellata fuit, atque hoc postremum ædium genus in Latino sermone proprie *Hospitale*, vel domus Hospitalitatis nominatur. *Gerontocomium* erat, ubi senibus: *Prochotrophium*, ubi omnis generis egenis receptus dabatur. Hujusmodi ædes charitatis in amplis lautisque urbibus excitari solebant, quas inter Alexandrinum Hospitale in Historiis præcipue celebratur. Domiciliorum istorum procuratio Diaconis commissa erat, (2) quibus tamen, ut plurimum Sacerdos aliquis præficiebatur. Sanctissimi quique Episcopi neque laboribus, neque impensis parcebant ullis, quo pia hæc ope-

(1) De his Advocatis Ecclesiarum vide Muratorium *in antiq. medii ævi diss.* 63.

(2) Confer librum diurnum Romanorum Pontificum a Garnerio editum. Hinc in veteri lapide apud Turrigium *Cryptar. Vatican. P. II. pag.* 517. DIACONITÆ dicuntur, qui sub Diacono Diaconiam in pauperum usus curabant.

opera tuerentur, atque proveherent: (1) Iisdem cordi erat pauperes sepelire, & captivos redimere a barbaris in servitutem abductos; horum enim sub occasum Romani Imperii frequentissimæ erant incursiones, & plagia. Gemino huic misericordiæ operi ita vacabant Episcopi, ut ipsa adeo Ecclesiarum sacra vasa vendere non dubitarent, quo litrum captivis, & demortuis loculum compararent, adeo duplici huic pietatis officio, tanquam privilegio speciali insignito, cetera posthabebant omnia. (*S. Hieronym. ad Rust.*) Ea de re illustre in paucis exstat S. Exuperii Episcopi Tolosatis exemplum, qui misericordiæ in defunctos, & captivos studio adeo sese, atque Ecclesiam suam spoliavit, ut Divinissimum Christi Corpus in canistro, Sanguinem vero Sacrosanctum in vitreo calice gestaret. (*S. Greg. in Dialog.*) De S. Paulino in vulgus notum est, ipsum rebus omnibus divenditis, ad extremum se ipsum servituti addixisse, ut viduæ cujusdam filium in libertatem assereret. (2) Hunc in modum Ecclesiarum ingentes thesauri, & pretiosa metalla, quibus sacræ ædes fulgebant, totidem veluti pia Deposita erant, quæ publica quadam ingruente calamitate, pestilentia inquam, fame, & his similibus, continuo tanquam oblata bene illa erogandi præclara opportunitate ad communium levamenta malorum impenderentur. Nimirum conservandis vivis templis S. Spiritus templa ipsa, & templorum opes præsto erant. Etiam illa mancipia, quæ intra fines (*Joan. Diac. in vita S. Greg. l.* 4. *c.* 43.) Romani Imperii servitutem serviebant, maxime si christiana essent, & Dominos haberent Gentiles, aut Judæos, Ecclesiarum bonis redimi solebant.

CAPUT XV.

Monasteria.

SUb hæc demum tempora, cum tranquilla Ecclesiæ, & stabilis affulsit libertas, monasteria exorta fuere. Quamdiu enim Tyrannorum vexationibus infesta erant omnia, nullibi Fideles, præterquam in desertis locis, tutum perfugium inveniebant, quare ad vastas solitudines, præcipue in finibus Ægypti sitas, multi secesserunt, quorum quidem nonnulli, quod reliquum erat vitæ, ibidem transegerunt, ut S. Paulus, qui primus Eremitarum habetur. S. Antonius, qui vitam initio Asceticam haud procul a patrio solo aliquamdiu egit, subinde in eremum abdidit sese, ubi remotus a periculis, ac tentationibus, quas ferere hominum consuetudo, & frequentia poterat, majori & libertate, & securitate ad pietatem se exerceret. Princeps is fuit, qui ejusdem vitæ sectatores in eremo congregatos ad vitæ communis societatem in solitudine colendam traduceret. Isti enimvero non amplius Ascetæ simpliciter nominabantur, etsi vitam revera Asceticam viverent, sed partim *Monachi*, quod solitarie agerent, partim *Eremitæ* a locis, quæ habitabant, vocari cœpere. Qui in communi vivebant, *Cœnobitæ* nominabantur: *Anachoretæ* autem, qui, posteaquam in communitate diu vixerant, ibique perdomare, & frangere appetitiones suas didicerant, in interiora denique solitudinis concedebant. Quanquam, & Cœnobitæ admodum solitarii erant; quippe qui præter alios ejusdem instituti socios mortalium videbant neminem, semoti multorum itinere dierum a locis cultis, & habitatis, ævumque transigentes in terra deserta, & invia, & inaquosa, ad quam proinde frigida aliis ex locis afferenda erat. Quid? hi ipsi nunquam interdiu, sed vespere dumtaxat noctuque, cum ad comprecationem conveniendum erat, inter se revisebant, diem, quam longa est, agere soliti intra Cellularum angustias, quas singuli, bivive incolebant, labori manuum intenti, silentiique religiosi custodes. Denique Cellulæ ipsæ satis magno intervallo sejunctæ erant; siquidem in vastissimis illis solitudinibus nunquam deesse spatium poterat, quamlibet multis interque sese longius dissitis tuguriolis excitandis.

Non

(1) Confer P. Zechium *T. I. de Jure rerum Eccles. Sect. 1. tit. 12.* & Muratorii *Antiquitates Italicas medii ævi diss.* 37.

(2) Vide Bollandianos, & P. Remondinium *in vita S. Paulini Nolani.*

Non erat Sanctis Antonio, Hilarioni, Pachomio, aliisque horum discipulis, & imitatoribus propositum, ut novum vitæ genus, illoque, quod Majores ipsorum sectati fuerant, perfectius instituerent. Id solum spectabant, ut Evangelicæ perfectionis disciplinam, quam de die in diem magis defluere animadvertebant, in ea puritate, qua ipsam a suis Patribus veluti sacrum Depositum traditam accepere, diligenter, ac fideliter conservatum irent. Eam ob caussam prototypi loco ante oculos sibi statuebant Ascetas Antecessores suos. (*Caff.* 2. *instit.* 5. 18. *coll.* 5.) Ita Cassiano teste, qui in Ægypto Monasticen excolebant, imitandos sibi sumebant Divi Marci Discipulos, qui intra suburbia Alexandriæ commorantes domi se tenebant, precibus, sacrarum litterarum commentationi, & manuum labori vacantes, neque nisi nocte appetente cibum capere soliti. Ad hæc primitivam Ecclesiam Hierosolymis quondam florentem, Apostolorum item, & Prophetarum exempla, quæ pro vitæ norma haberent, sibi proponebant. Non aucupabantur popularem admirationem vitæ insolitæ, ac præter modum austeræ ostentationem; quin potius id unice, ac serio agebant, ut vitam ducerent vere, & genuine christianam. Liquet hoc ex omnibus S. Basilii (*Reg. fus. N.* 22.) regulis, quæ aliud nihil sunt, quam compendium totius doctrinæ moralis Evangelicæ, cunctis Fidelibus a Christo Domino propositæ. Sic v. g. de habitu loquens, contentum, ait, vivere debere Christianum iis vestimentis, quæ ratio decori, & corporis a frigore, ceteraque aeris intemperie defendendi necessitas exigat, atque hoc ipsum, ut quam minima cura, & sollicitudine fiat, elaborandum; idem jubet unam tantum vestem a singulis adhiberi, quæ noctes, ac dies usui sit, quod sane in regione, ubi Sanctus degebat, factu proclive erat. Verbo, pauca in iis regulis continentur, quæ Monachis peculiaria plane sint.

Quædam nihilominus erant ipsis omnino propria, ut, quod matrimonio, & rerum terrenarum dominio renunciare, quod consuetudinem hominum etiam Christianorum, atque adeo consanguineorum vitare tenebantur. (*Caff. instit.* 5. *c.* 12. *&* 16. *&* 6. *cap.* 7. 1. *Cor.* 9. *v.* 25. 2. *Tim.* 2. *v.* 5.) De cetero erant hujusmodi monasticæ vitæ cultores boni, ac probi Laici, suo labore & industria victum quæritantes, silentii ac secessus perstudiosi, vitiis singillatim extirpandis attenti, ut, posteaquam veluti in agone contendentes legitime certassent, ad eam denique animi puritatem eniterentur, quæ ipsos Dei, & rerum divinarum aspectu dignos efficeret. His principiis omnes illorum piæ exercitationes tegebantur: Jejuniorum assiduitate primo, ac præcipuo loco gulæ vitium, & intemperantiam oppugnabant, tum ejus præsidio antevertere impuras tentationes, spiritumque suum veluti posita carnis mole sibi redditum, atque ad divina speculanda magis idoneum perficere laborabant. Modum tamen in jejunando sic tenebant, ut vires labori necessarias conservarent, somno item modico ita fruebantur, ut tamen valetudini ea res fraudi ne esset, sane hac vitæ methodo morbis, & adversa valetudine superiores, ad seram senectutem sani, ac vegeti perveniebant. Quam plurimos in Vitis Patrum invenias nonagenarios, plures centenariis proximos, & nonnullos centenariis majores. Inter Ægyptios præsertim temperantiæ in victu præclara exempla animadvertere licet; ex his sapientiæ fama præstantissimi quique post maturam deliberationem (*Caff. coll.* 2. *c.* 19.) longo rerum usu comprobatam victus sui rationem in eos veluti cancellos redegerant, ut singuli ipsorum quotidie post Nonam duobus panibus vescerentur, qui ambo duodecim unciarum pondus non excederent, frigida insuper sitim levantes. Præsens remedium ad luxuriæ, & avaritiæ tentationes solitudo erat, cujus ope ipsæ adeo rerum imagines, quibus exstimulari vitia illa solent, quantum quidem homini fas est, ex animis eliminabantur. Eidem avaritiæ bellum indicebant diligenti studio summæ paupertatis, fidelique & constanti animi inductione nihil unquam proprium possidendi, verum id modo, quod ad vitæ propriæ sustentationem necesse foret, retinendi, reliqua parte in egenos distributa. (*De Mor. Eccles.* 1. *c.* 67.) Tam ingentes porro erant hujusmodi eleemosynæ, ut, sancto Augustino referente, naves interdum integras eisdem onerari contigerit. Iracundiam, turbulentum, & familiare nimium hominibus malum, silentii fræno, & vitæ socialis usu coercebant; hæc enim vita singulos obligabat, ut alter alterius onera porta-

re

re assuesceret. Denique socordiam assiduo labore, tristitiam precibus, & psalmorum cantu, vanitatem & elationem, obedientia & mortificatione domabant.

Erant tunc inter Monachos, qui agriculturam exercerent, & operarum adinstar messis, aut vindemiæ tempore suos Dominis labores elocarent. (*Cass. Coll.* 24. *de Mortific. c.* 3. *&c.*) Verum perfectiores inter illos plus justo distrahi animum hoc genere laboris animadvertentes, delitescere in cellis suis malebant, & storeas, calathosque, sive canistra ex junco, & sparto contexere; propterea quod hac ratione animus a meditatione sacrarum Scripturarum non avocaretur, sed facultas relinqueretur mente ad cælum identidem emicandi. Nemo tamen unus erat, qui ab exercitiis, ut dicere solemus, corporalibus penitus vacaret, aut libris saltem describendis non occuparetur. Ceterum in studia litterarum pauci admodum incumbebant, multi ne legere quidem sciebant. Neque tamen ea res obstabat, quin virtutis splendore maximam sibi venerationem, non modo ad vulgus, sed ad summos quosque viros utriusque ordinis, & status, sive laicalis, sive Sacerdotalis, & Episcopalis conciliarent; ut adeo ex Monachis non raro sanctissimi quique, & Ecclesiasticis muneribus præ ceteris apti viri ad Ecclesiarum, & Episcopatuum gubernacula evocati fuerint. Tunc enim vero ex umbra in lucem prodibant, monasterium cum civitate commutantes, & in frequentia hominum more ceterorum Clericorum agentes. (*V. Cass. coll.* 17. 21.) Nondum quidem per ea tempora sollemnium votorum nuncupatio usitata invenitur; nihilo tamen minus grande etiam tum nefas putabatur, si Monachus seu animi levitate, seu qua alia caussa abstractus, solitariæ vitæ instituto, ac veluti portu relicto in sæculi pelagus sese referret. Huiusmodi transfuga pœnitentiæ Ecclesiasticæ subjiciebatur, in bonis vero caducis aliam pœnam non subibat præter notam labemque nomini suo ea status permutatione inustam.

Tanta vero (*V. Chrysost. hom.* 14. *in ep.* 1. *ad Timoth.*) Monasticæ vitæ erat, tamque late celebrata sanctitas, brevissimi ut spatio temporis per Orientem universum plura non solum Monachorum, verum etiam Monasteriorum millia effloruerint. (*S. Aug. de Mor. Eccl.* 1. *c.* 67.) Qui solam S. Pachomii regulam sectabantur, ad quinquaginta millia erant, per diversa quidem domicilia distributi, unius tamen Archi-Mandritæ imperio subjecti, & quotannis ad celebrandum Pascha convenire soliti. Facillimum porro erat ejusmodi Monasteria fundare. (*S. Hieron. præfat. in Reg. S. Pachom.*) Neque enim hominis ullius aut permissione, aut subsidio opus erat, ut liceret caduca omnia abjicere, in loca inhabita secedere, pauperculas casas ex ligno, & arundine ibidem repertis extruere, vitamque in silentio, & labore degere non modo sine ullius mortalium incommodo, sed etiam magno rei communis compendio; propter eleemosynarum, quæ ex desertis, uti supra demonstravi, submittebantur, (*Act. Conf.* 5. *can.* 535.) copiosam largitionem usque adeo Monasteriorum numerus crevit, ut ex desertis locis in cultas regiones, & confinia civitatum novæ, ac religiosæ coloniæ deducerentur. Et sane iniquum videbatur, fertilissimas mundi, ac lætissimas plagas, cujusmodi Italia, Sicilia, & Græcia sunt, tam piorum cœtuum fructu, atque exemplo privare. Ceterum instituti sui usque retinentes Monachi, his etiam in regionibus perinde, ac si in eremo degerent, clausuram & silentium studiose observabant. Jam qui viciniores urbi alicui vivebant, ad publicam Ecclesiam ipsi quoque recipiebant sese, Episcopalis instructionis, & divinorum mysteriorum futuri participes; locum tamen, quemadmodum virgines, ac viduæ in Ecclesia certum, atque a reliqua multitudine sejunctum habebant. Nihil tamen ea res impedivit, quo minus intra religiosa etiam septa Oratoria haberent, in quibus stato quoque tempore comprecationi operam darent. Qui vero longius ab urbibus aberant, nonnullos e suo numero Sacerdotes habebant, qui divinis rite operari, & Sacramenta impertiri ceteris possent; & progrediente tempore consultius visum fuit, ut in unoquoque Monasterio unus saltem Presbyter cum uno, aut duobus Diaconis versaretur, qui Abbatis insuper dignitate sæpe fulgebat. Hac ratione nulla foras prodeundi necessitate compulsi, in Monasteriis quasi mortui in sepulchris delitescebant, id quod splendidæ excusationis loco obtendebat va-

ferrimus Hæresiarcha Eutyches, cum Patrum Concilii Chalcedonensis ora reveritus, sistere se sacro Illi Senatui non auderet.

Monacharum etiam domicilia in eremis erant, ubi personæ sequioris sexus commorabantur, adeo vicinæ virorum Monasteriis, ut mutuum inde auxilium haberent, simulque adeo ab illis sejunctæ, nullus ut periculo, aut suspicioni relinqueretur locus. Monachi Sanctimonialibus ædiculas exstruebant, aliisque in operibus, quæ majorem afferebant defatigationem, præsto illis erant; vicissim Sanctimoniales Monachis vestes consuere, aliaque id genus obsequia exhibere solebant, quæ tamen commercia charitatis, nonnisi a senioribus quibusdam exercebantur, quibus solis ad hoc delectis Sanctimonialium habitationi appropinquare licebat. In urbibus etiam complures hujusmodi Parthenones fundabantur, in quibus consecratæ Deo Virgines, quæ in privatis antea ædibus vivebant, ad communis vitæ societatem colligebantur.

Episcopi, qui communis vitæ usum in Clerum suum invexerunt, exemplum ejus rei a vita Monastica sumpsere, ad ejusque normam, quantum per vitæ, ut vocant, activæ occupationes liceret, suorum disciplinam accommodarunt. Hinc est, quod istiusmodi Communitates non raro Monasteria nominatæ fuerint: immo processu temporis utrumque nomen confundi, ac permisceri cœpit. (*V. Thomass. V. Monast. Joann. Diac. l. 2. c. 11. & 12.*) Sæculo Christi quinto Episcoporum, & Presbyterorum in Galliis, & Occidente pars maxima vitæ monasticæ institutum juxta, & habitum amplexi erant. S. Gregorius Magnus posteaquam ex Monasterii latebris, in quas, sæculi pompa valere jussa, sese abdiderat, in lucem orbis terrarum eductus fuit, vitam nihilominus monasticam pro se ipse constanter coluit, & Monachis sanctimonia longe clarissimis palatium suum complevit, ex quibus Episcopos sane multos, magnique nominis, Augustinum præcipue, aliosque Angliæ Apostolos, creavit.

Vitæ monasticæ princeps usus is erat, ut ad majorem perfectionem ejus adminiculo eluctarentur, cum animæ primigenio innocentiæ flore adhuc candentes, tum reversi ad Deum peccatores, quibus propositum erat contractas sordes voluntariis pœnis eluere. Ea caussa fuit, cur in Monasteria cujuslibet conditionis, ac ætatis personæ admitterentur; Parvuli quidem, ultro a parentibus oblati, ut mundanis periculis lubrica ipsorum ætas mature eximeretur, senes item, qui vitæ finem, ac veluti extremum actum sancte obire desiderabant: denique matrimoniis illigati, quorum uxores in eamdem vitæ rationem sua ex parte ineundam conspirabant. Diversis hujusmodi classibus, diversæ item regulæ a S Fructuoso Bracarensi Archiepiscopo conscriptæ leguntur. Alii vero, quiper aliquot, aut plures annos ex Canonum formula pœnitentiam agere de suis criminibus debebant, multo sane commodius in Monasterio aliquo præstare id poterant, ubi & exempla communitatis novum stimulum, & seniorum blanda alloquia haud parum solatii afferre pœnitentibus possent, quam si iidem in turba hominum, aliisque Fidelibus permixti vitam austeram, & a communi consuetudine abhorrentem vivere vellent. Hunc in modum Monasteria alias carceris, alias exsilii loco esse cœperunt, quibus persæpe summi quidam Viri conclusi fuerunt, Pœnitentiæ caussa, quemadmodum in Gallia sub Regibus primæ, & secundæ stirpis, (Merovingorum, & Carolingorum) & in Oriente post sæculum Christi sextum accidisse comperimus. (1)

C A-

(1) Innumeri sunt qui de Monachis agunt, Rosweydus *ad vitas Patrum*, Bellarminus, aliique a Fabricio recensiti *Bibl. ant. p. 681. seqq.* Adde illis P. Zechium tum in *Hierarchia Ecclesiastica Tit. 33.*, tum *T. I. de Jure Rerum Ecclesiastic. Sect. 1. Tit. 9.* doctissimum Garampium in libro cui titulus: *Memorie Ecclesiastiche appartenenti all' istoria, e al culto della B. Chiara di Rimini p. 399. & p. 527.*, Muratorium *in antiquitatibus medii ævi Diss. 65. & 66.*

CAPUT XVI.

Instituti Monastici cum vita primorum Christianorum comparatio.

Ex Monasteriorum hactenus descripta ratione luculenter, ac prope ad oculum patuit Dei Providentia curaque plane singularis conservandi in Ecclesia sua, usque ad consummationem sæculi, non modo puritatem in doctrina fidei, sed etiam in exercitatione virtutum perennem sanctitatem. Qui enim reflectere animum volet ad ea, quæ de veterum Christianorum disciplina in secunda hujus operis parte dicta a nobis sunt, illaque conferre cum instituto S. Benedicti, & cum disciplina Monasteriorum, quæ hodiedum recte constituta sunt, ex facili, opinor, intelliget, parum inter utrumque vitæ genus interesse discriminis.

Dixeram eo loco, Christianos antiquiores negotium Religionis, ac pietatis principe loco habuisse, ceteris omnibus rebus caducis eidem subesse, & famulari jussis; quid vero aliud Monachi faciunt, qui mundo nunclum remisere, quo majori libertate *unum* illud *necessarium* curent, & quibus eam ob rem *Religiosorum* inditum nomen fuit, quod in nascente Ecclesia bonis omnibus Christianis commune erat? Iidem Monachi, Ascetæ, & Virgines personæ *Devotæ* nominabantur, quo vocabulo toti Deo dicati, & mancipati intelligebantur.

Veteres illi Christiani sæpe partim communiter, partim privatim orationes ad Deum fundebant, eaque assiduitate ad consuetudinem orandi sine intermissione, quoad mortalibus licet, quam proxime accedebant; atque hæc ipsa orandi Dei ratio, & sacra Psalmodia nullibi melius ordinata, nullibi exactius observata notatur, quam in Monasteriis, in quibus ea sæculis facile duodecim elapsis, nihil a prima sui institutione, quam S. Benedicto debet, degeneravit. Cum porro curis omnibus Monastici Viri vacui sint, quæ ad hoc sacro penso avocare ipsos possent, nihil mirum est, in eodem rite persolvendo ceteris religiosiores eos fuisse; vulgoque existimatur, ab iisdem Officium Ecclesiasticum in eam formam redactum, & concinnatum fuisse, quæ inde a longissimo tempore ab universa Ecclesia in usum deducta fuit. (*Thomass. I. parte l. 2. c. 6. 7. 8. n. 2.*) Illud profecto extra dubitationem est, Divinum Officium a S. Benedicto ita distributum fuisse, ut singulis hebdomadis Psalterium absolveretur. A Monachis etiam addita sunt Canonico Officio *Prima*, & *Completorium*, quæ initio privatæ solum preces erant in quavis familia Christiana, aut communitate religiosa ad diei cujusque initium, & finem Deo sacrandum recitari solitæ, quarum proinde stabilem, & publicum usum Cassianus affirmat novum esse, suoque primum ævo introductum. (*3. Instit. 4. 6.*) In hisce omnibus eadem Canonicorum cum Monachis disciplina fuit; immo Canonici, si eorum principia spectes, Regulares erant omnes. Præterea sæpe antiqui Christiani ad divinam mensam accedebant, sæpe item Monachi; (*S. Basil. Epist. 289. ad Cæsar. Pater*) Discipulos S. Apollonii quotidie accessisse Ruffinus auctor est. Diu quoque antiquissimum morem retinuere tenendi apud se sacram Eucharistiam, quam ipsi sibi, cum Sacerdotis copia non esset, impertirentur.

Veteres Christiani toti erant in legendis sacris libris. Idem in Regula S. Benedicti (*c. 48.*) commendatur, quadragesimæ præsertim tempore, & Dominicis quibusque diebus, ut eo tempore lectio succedat operi manuum, quod ceterorum per hebdomadam dierum partem magnam occupabat, & cujus nostro in ævo vestigia quædam extant, etsi fateri necesse sit, genus istud monasticarum exercitationum minus, quam cetera, fuisse conservatum. Silentii custodia, quemadmodum supra dicebam, necessaria erat peccatis linguæ tam frequentibus inter homines, quam a sacra Scriptura reprehensis sedulo fugiendis, qualia sunt: obtrectationes, falsæ delationes, verba illiberaliter jocosa, & histrionica, colloquia demum vana, *quæ ad rem non pertinent*. (*Ad Ephes. 5. v. 4.*) Et animadvertere licuit, disciplinam eorum Monasteriorum magis adhuc vigere, in quibus silentii major ratio, & cura habetur. Patrum & fratrum appellatio, pro cujusque ætate ac conditione, Fidelibus initio communis erat; iidemque Præsulibus, & universis, qui auctoritate in eos pollebant, magna submissione morem gerere, arctissimo inter se nexu charitatis conjungi, hospitalitatis in peregrinos, & in egenos misericordiæ officia colere sollem-

lemne habebant; quorum nihil non in monasteriis frequentari hodieque videmus.

CAPUT XVII.

Monastici Habitus cultusque exterioris a communi usu diversitas, ejusque rei caussa.

Erit fortasse, qui contra dicta proxime superiori capite ista objiciat. Si ita est, ut tu inquis, si monasticae vitae sectatoribus aliud nihil propositum erat, quam vitam ejusmodi instituere, quae bonum Christianum condecet; cur tam singularia in speciem affectarunt? cur tam multa a reliquorum Fidelium consuetudine aliena praeseferunt? quorsum ista in rebus mediis, atque indifferentibus a communi more facta secessio? quorsum habitus vitaeque totius exterioris ratio in victu, in somno, in habitatione adeo a ceteris hominibus diversa, ut inter Christianos totidem novas, ac diversas nationes videre tibi videaris, quot extant hodie varii generis Religiosi Ordines? quo tandem spectat multiplex illa regularum differentia in rebus, nulla ceteroquin Dei lege seu imperatis, seu prohibitis, quibus alii ab aliis ordinibus discrepant? Nonne ista studio excogitata ab iisdem videri possint, ut multitudinis in se oculis animisque conversis, vulgi plausum, ac liberalitatem, suique reverentiam compararent? haec sunt atque his affinia, quae complures taciti secum animo volutant, quaeque nonnulli palam etiam jactare non verentur nimis quam temere, & per summam antiquitatis ignorationem. Qui enim dedita opera dispicere hanc in religiosis ordinibus exterioris cultus diversitatem volet, nihil in his moribus novum, & insolitum, sed potius residuae antiquitatis luculentam imaginem ibidem animadvertet, a monasticis ad haec usque tempora quam fidelissime conservatam, dum interea ceterorum mores hominum stupendum in modum mutatos, atque innovatos videmus.

Age enim, ut a vestimentis exordiamur, jubet suos Alumnos S. Benedictus una tunica cum cucullo, & scapulari veste pro manuum labore, contentos esse. Tunica hujusmodi sine pallio multo ante vestimenti genus erat infimae plebi usitatum, quam proinde plebem Poeta *Tunicatum Popellum* nominat:

> *Vilia vendentem Tunicato scruta Popello.* (*Horat. l. 1. ep. 7.*)

Cucullus item capitis tegmen erat oblongum, & acuminatum ab agricolis, & pauperibus gestari solitum; quod subsecutis saeculis commune incoepit esse cuiuscumque conditionis hominibus, nam & de Maevio servo Martialis ait:

> *Pullo Maevius alget in cucullo.* (*Lib. 10. ep. 76. v. ult.*)

Et de Mannejo, qui non modo ingenuus erat, sed etiam pro Equite se venditabat, idem canit:

> *Illinc cucullo prospicit caput tectus.* (*Lib. 5. Epigr. 14.*)

Cumque tegmen hoc capitis ad arcenda frigora peropportunum esset, illius usus ex eo tempore ita conservatus fuit, ut nonnisi duo abhinc saecula cessarit. Immo Clerici quoque, & litterati Viri, atque adeo nobiles, ac proceres diversi generis capitia, sive cucullos gestabant. Porro Scapulare a S. Benedicto praescriptum fuit, cum labori manuumque operi insistendum erat; & est sane huius vestimenti ingens commoditas, cum ad scapulas in sustinendo onere muniendas, tum ad anteriorem tunicae partem mundam sartamque conservandam. Patet igitur non alias S. Patriarcham filiis suis imperasse vestes, quam quae pauperibus regionis illius communes forent, a quibus illae nulla propemodum re differebant, nisi quod ejusdem omnes figurae, ac modi essent; id quod plane necessarium erat, ut a Monachis omnibus indiscriminatim adhiberi possent. Nemini vero mirum videatur, si saeculorum omnino duodecim intervallo in habitu Religiosorum S. Benedicti quaedam in colore, & forma introducta fuerit diversitas, pro Regionum videlicet, ac Reformationum varietate. Quantum ad alios Religiosos Ordines inde a quingentis sexcentisve annis institutos; isti quoque vestimentorum illud genus retinuerunt, quod initio fundati Ordinis sui in usu esse intelligebant. Horum major pars a vestibus lineis abstinet, quae res nobis oppido aspera, & dura videtur; verum lineae supellectilis usus longe post

D. Be-

D. Benedicti tempora primum invaluit; immo nostra etiam ætate nondum in Polonia communis omnibus est; in Turcia quoque universa sine stragulis lineis dormitur corpore semivestito. Et tamen prius etiam, quam linteamina insterni lectis, aliterque ad vestienda corpora applicari solerent, familiare hominibus erat, vestibus omnino positis somnum capere, uti hodiedum in Italia fieri assolet. Hæc causa erat, cur lege sancitum in monasteriis fuerit, ut cum vestitu quisque suo, ac ne cingulo quidem lumbis detracto, quieti se daret.

Jam ad victum quod attinet, supra jam demonstravi, non modo sapientissimos quosque Gentilium leguminibus, & pisciculis victitasse, lectione insuper ad mensam adhibita; verum etiam Christianos probavi ad cetera Ecclesiæ universæ sollemnia jejunia multa alia privata pietate addidisse, multasque sub initium, ac finem epularum persolvisse preces. Nihil ergo novi, nihil a communi usu remotum S. Benedictus (*in Reg. c.* 39. & 49.) suis præscripsit, quin potius paterna plane indulgentia erga eosdem usus fuit, ubi duo fercula cocta, & vini nonnihil ipsis permisit. Manducandi, & dormiendi tempora æqualiter omnibus definita erant, & usque ad postremum hoc sæculum observata fuere; nona aut decima hora matutina, ut hodieque opifices solent, prandebatur; sub horam porro sextam vespertinam cœnari mos erat; ex legibus politicis, quæ de componendo vesperi igne, & claudendis fabrorum ferrariorum officinis tractant, colligere licet, nocturnæ quietis tempora ab hora octava vespertina, usque ad quartam matutinam numerari solita fuisse, quæ sane certissima regula est, dimidium noctis accurate metiendi, præterquam quod ista temporis distributione servata, quam minima diei pars somno deperdatur.

Dormitorium nullo cellarum interposito patens erat, (*c.* 22.) omnibusque commune, quemadmodum in regulis S. Benedicti adnotatur, illudque plane demonstrabat vitæ communis perfectam rationem; nam in communitate vivere, si proprie loqui velimus, nihil aliud est, quam eodem conclavi ad nocturnam quietem, eademque mensa ad famem depellendam uti. Magis etiam hac ratione paupertatis decus elucet, & quælibet virtus veluti in tuto ibidem versatur. Etenim superior nullo negotio observare omnia, & unico obtutu, siquid usquam citra modestiæ leges admitti contingeret, speculari potest, maxime cum ejusdem regulæ jussu Dormitorium lampade accensa nunquam non illustratum, lectulique ex culcitra straminea, & stragulo compositi in propatulo esse debuerint. Mos iste dormiendi in domibus Hospitalibus retentus est, quem profecto constat fuisse antiquissimum, & primis Christianis familiarem; nam Auctor Recognitionum proponit nobis S. Petrum una cum tredecim discipulis suis eodem in conclavi cubantem; huc etiam pertinet syncellorum, de quibus supra, institutum, ad hanc dormiendi consuetudinem proxime accedens. Nihilo ferme minor cellarum antiquitas erat. Quanquam, ut vere dicam, qui primi deserta loca inhabitabant Cœnobitæ, non tam cellas, quam casas, sive tuguriola singuli habebant inter se discreta, & Carthusiensium, ac Camaldulensium cellis, sive ædiculis haud absimilia. In Monasteriis tamen, ubi clausura strictior erat, angustiorque, cubicula hodiernis similia erant, cujusmodi olim in antiquis ædibus mancipiorum visebantur, quod enim pauperibus infimæque conditionis hominibus proprium erat, id suos in mores Monachi, Christianæ humilitatis ergo, invexere. Cellulæ porro istæ ad laborandum, ad legendum, & ad privatim orandum Deum aptæ erant.

Denique videor mihi in Monasteriis invenire adhuc vestigia quædam veteris architecturæ, qua Romanorum ædium partes antiquitus ordinari solebant, qualemque Vitruvius, & Palladius nobis describunt. Ecclesia, quæ in monasticis ædificiis primum semper, & anteriorem locum occupabat, ut nempe sæcularibus etiam accessus ad easdem pateret, successisse videtur primæ, sive anticæ domuum antiquarum parti, quam Romani *Atrium* vocabant; hinc in aliud Atrium pergebatur, porticibus desuper clausis circumdatum, quod ex græco *Peristylium* appellabatur; secundum hoc atrium Monasterii partem illam repræsentat, in quam ex Ecclesia intrabatur, & quæ proprie Monasterii claustrum nominatur, ex quo in ceteras Religiosi ædificii partes introitus patet, cujusmodi sunt Capitulum, & Refectorium, quorum illud antiquis Exedra, istud vero Triclinium dice-

ba-

batur, demum hortus extremum plerumque Monasterii locum obtinet; id quod in antiquis ædificiis pariter usuveniebat.

Utcumque ista se habeant, illud certum exploratumque est, sanctos Viros regularum Monasticarum Conditores, nec novitatis aliquid in Religionem nostram inducere, nec a reliquo cœtu Fidelium exotica vitæ ratione discedere cum suis voluisse. Nam ea, quæ in Monasteriis extraordinaria videntur esse, non tam Monachis ipsis, quam reliquis hominibus, qui a priscis illis moribus defecere, tribuenda sunt; perinde ac antiquissima ædificia singularia haberi cœperunt, propterea quod ea sola temporum injuriis superiora plurimorum spatio sæculorum ætatem tulerint; utque sapientissimus quisque Architectus ædificia ex antiquitate residua præcipuo studio inspicere, & contemplari solet, probe gnarus, non aliunde artem suam postremis hisce temporibus denuo suscitatam fuisse, quam ex antiquorum ædificiorum veluti excellentium prototyporum proposita ad imitandum forma; ita optimi quique Christiani, ut viva, & spirantia veræ virtutis exempla condiscant, haud perfunctorie observare debent, quæ in Monasteriis regulari observantia florentibus recepta usu vident. Haud equidem me fugit, pauca illorum superesse, quibus ipsa temporis diuturnitas, ut fit in humanis rebus, remissionis, & laxamenti aliquid non attulerit; sed nimirum pauca etiam, atque adeo nulla hodiedum ex antiquitate remansere ædificia, quæ vitium fecerint omnino nullum, immo quam plurima eorum videas adeo male habita, ut præter rudera, & parietinas nihil supersit, & tamen qui has ipsas ruinas attenta cura inspicere, qui fragmenta etiam exigua tam pretiosæ antiquitatis, veluti membra quædam, & articulos elegantissimi quondam corporis investigare velit, eaque cum iis, quæ hanc in rem ab idoneis auctoribus scripta leguntur, conferre & comparare, inveniet denique, atque extundet ex his reliquiis totius veteris structuræ symmetriam occultumque artificium, & sensum scriptorum, qui de hoc argumento disseruerunt, assequetur. Haud absimili modo plurimum utilitatis afferret, diligenter inquirere in exercitationes Monasticas, maxime si ad eas accedat studium Regularum ab Auctoribus sacrorum Ordinum præscriptarum, lectio item Canonum, Evangeliorum, & Vitarum Sanctorum, quibus nulla Ecclesiæ ætas vacua fuit. Interea fateamur necesse est, in Monasteriis veluti in totidem Gazophylaciis totius retro antiquitatis asservari thesauros. Hinc eruti maxima ex parte sunt manuscripti Codices, quorum ad instaurandas humaniores artes ingens usus fuit; hic Patrum opera, & Conciliorum Canones in lucem protracti; hic demum ex Monumentis antiquarum in Monasteriis consuetudinum varia in dies deteguntur, quæ ad illustrandam Ecclesiasticam antiquitatem docte curiosis hominibus jucunde mirificeque serviunt. Ad extremum perfectionis Evangelicæ exacta observatio in Monasteriis, uti aqua in fonte diligenter custodita, pura ac defæcata usque permansit; cum interim eadem olim tam sancta disciplina per sæculi cœnosas paludes decurrens semper magis magisque inquinaretur, qua de re postrema hujus dissertationis parte agendum erit. (1)

(1) Confer Johannem Cassianum in *lib. de institutis cœnobiorum*, Bollandianos T. I. Junii *p.* 458. *seq. Antuerp. edit.*, & Zechium in *Hierarchia Ecclesiastica Tit.* 35.

AD

AD CAPUT I.

P. JOHANNIS CABASSUTII

CONGREGATIONIS ORATORII DOMINI JESU

De ritibus olim in Baptismo adhiberi solitis

DISSERTATIO I.

I. Baptismi tractatio aliis quibuscumque Sacramentis præmittenda est, cum sit, & reliquorum Sacramentorum janua, & ad ipsam Christi Ecclesiam necessaria introductio; nec sine illo haberi possit animæ salus, attestante salutis omnis auctore Christo Jo: 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei*. Est quippe Baptismus nativitas ad supernaturalem vitam, omnisque sanctitatis primordium, & fons, ab æterna morte traductio ad deiformem, æternamque vitam. Adeo, ut Gregorius Nazianzenus or. 4. ad sanctum Baptismum non dubitet istud tam necessarium, & saluberrimum mysterium proclamare τῶν τε Θεοῦ δώρων τὸ κάλλιστον, καὶ μεγαλοπρεπέστατον. *Donorum omnium Dei pulcherrimum, & magnificentissimum*.

II. Quæcumque nunc cæremoniæ Baptismo adhibentur, eædem omnes apud priora Ecclesiæ sæcula usitatæ fuerunt, catechismi, exorcismi, insufflationes, unctiones verticis, scapularum, & pectoris: quarum mysteria ab antiquis Patribus exponuntur; præsertim a Tertulliano tractatu de Baptismo, adversus Quintillam; & a Cyrillo Hierosolomitano in catechesibus. Illinebantur pariter, sicut nunc, oleo sacro neophytorum aures, & nares: quem ritum pulcherrimo sermone Augustinus elucidat, ut per hoc singuli fidelium admoneantur, aures quidem eloquiis perniciosis occludere, atque ad excipiendum bonum Christi odorem nares animi aperire, ut cum sacra sponsa post fragrantiam unguentorum ejus curramus, quamdiu vita nostra respirabit. Quæ tamen olim oleo liniebantur baptizandorum aures, & nares, nunc saliva.

III. Aspirantes ab Baptismum, qui Catechumeni vocabantur, in duplici erant differentia, audientium scilicet, & competentium. Circa competentes præcipua versabatur Sacerdotum cura. Jam enim sufficienter fidei mysteriis imbuti, scriptisque eorum nominibus, præparabantur omni pietatis, & pœnitentiæ dispositione ad Sacramentum suscipiendum, & ad singulos ritus, & ad interrogata responsiones rite obeundas. Ad hos diriguntur Augustini sermones, inscripti, *ad competentes;* Ceterorum, qui auditores dicebantur, differebatur Baptismus ad tempora remotiora.

IV. Licet autem Apostolica traditione receptum esset, ut infantes baptizarentur secluso etiam vitæ periculo, hoc tamen fiebat invito admodum Tertulliano, atque etiam vituperante: sed futili prorsus, & inani argumento, dum c. 18. de Baptismo ita conqueritur: *Cur festinas innocens ætas ad remissionem peccatorum?* Perinde ac si auctor iste Pelagio præcurrere, illiusque hæresim peccati originis impugnatricem prævertere studuisset. Tunc vero nulla præcedebat catechesis, & ministri assumebantur, ac sponsores, qui pro puero baptizando responderent conceptis verbis. Tempora baptismo, citra necessitatis casus, præfinita erant sabbatis Pascha, & Pentecosten præcedentibus, ut statuit Papa Siricius epist. ad Himerium Tarraconensem Episcopum c. 2. Leo Magnus epist. 4. & 80. Gelasius epist. 1. c. 12. Gregorius Nazianzenus orat. 40. in Sanctum Baptisma: in qua tertium præterea diem assignat Epiphaniam: sed istud ad localem quamdam consuetudinem pertinebat. Et Tertullianus, diversique veteres Canones diem ex-

cludunt Epiphaniæ ab hoc Sacramento, solaque duo sabbata commemorata huic muneri assignant.

V. Præmittebatur adultorum Baptismo peccatorum omnium secundum distinctas species ad aurem Sacerdotis confessio, quæ Græcis *Exomologesis* dicitur. Non enim pudori parcebatur, qui nullus fuisset in generali, & publica peccatorum confessione, qualem edit Sacerdos sacram Missam inchoans. Hujus rei testes sunt omni exceptione majores Tertullianus l. 6. de Baptismo cap. ult. *Ingressuros Baptismum*, inquit, *orationibus crebris, jejuniis, & geniculationibus, & pervigiliis orare oportet, & cum confessione omnium retro delictorum, ut exponant etiam baptismum Joannis*; *tingebantur*, inquit, *confitentes delicta sua. Nobis gratulandum est, si non publice confitemur iniquitates, aut turpitudines nostras*. Hæc Tertullianus. Quod idem testatur Cyrillus Jerosolymitan. Catech. prima; Gregorius etiam Nazianzenus orat. 40. in sanctum baptisma, cujus ista sunt verba: *Ne peccatum tuum confiteri grave ducas, sciens quo pacto Joannes baptizaverit, ut per istius vitæ pudorem, alterius vitæ ignominiam devites, notumque facias te serio, atque ex animo peccatum odisse, ac detestari, dum illud tanquam contumelia dignum traducis, deque eo triumphum agis*.

VI. Immediate ante baptismum denudabantur intra baptisterium catechumeni, viri a Diaconis, feminæ a Diaconissis, atque quasi Christi Athletæ inungebantur ab hierarca in tribus corporis locis, ut scribit Dionysius Eccl. Hierar. c. 3. Quod intellige in vertice, in pectore, atque inter humeros: quam unctionem reliqui ministri prosequebantur per totum corpus, Diaconi videlicet in viris, Diaconissæ in feminis. Idem confirmat Cyrillus Hierosolymitanus catech. mystagog. 2. dicens: *deinde vestibus exuti oleo exorcizato uncti estis a summis capillis usque ad infima corporis*. Severus præterea Alexandrinus tract. de Baptismo hæc ait: *Educit baptizator baptizatum de medio aquarum, & dat eum susceptori suo, & ungit omnia membra ejus, & manus, & pedes, & nares, tum demum induitur suis vestimentis*.

VII. Ritus baptizandi antiquissimus, & communis erat per trinam immersionem, quam indicat Apostolus Rom. 6. *Consepulti enim sumus cum Christo, per baptismum in mortem, ut quomodo Christus surrexit a mortuis per gloriam patris, ita & nos ambulemus in novitate vitæ. Si enim complantati facti sumus similitudinis mortis ejus, simul & resurrectionis erimus*. Eadem fere repetit, & commemorat Coloss. 3. Quamvis ergo immersio plus haberet incommodi, & pudoris, quia tamen plus habebat mysterii ob Dominicæ mortis, sepulturæ, & resurrectionis conformitatem, ac similitudinem majorem, erat in ordinario Ecclesiæ primitivæ usu; neque adhibebatur infusionis ritus, nisi erga periculose ægrotantes. Nunc vero major habetur incommodorum corporis, atque pudoris ratio, simulque amovendarum tentationis illecebrarum, adeo ut ritus immersionis jam ubique propemodum exoleverit.

VIII. Hincmarus Rhemensis Metropolites in sua ad Presbyteros epistola de Baptismo, meminit salis, quod in os baptizandi solet ingeri, ut catechumeni putrida, & fluxa peccata sale, quod est sapientiæ symbolum, ac hieroglyphicum, munere divino mundentur. Catechumenis etiam auditoribus necdum competentibus pro sacramento gustandum præbere consueverat Ecclesia in communionis indicium. Id attestatur Concilium Carthaginiense III. can. I. V. ita statuens: *Placuit ut etiam per sollemnissimos Paschales dies Sacramentum Catechumenis non detur, nisi solitum sal: quia si fideles per illos dies Sacramentum non mutant, nec Catechumenis oportet mutari*. Ibi eulogiæ sacramenti nomine honestantur, qui catechumenis tribuebantur in signum pacis, ac benevolentiæ, & communionis per fidem. Quo spectat istud Augustini testimonium lib. de peccatorum meritis, & remiss. cap. 6. *Id quod accipiunt catechumeni*, quamvis non sit corpus Christi, sanctum est tamen, & sanctius quam cibi, quibus alimur, quia est Sacramentum, cum sit sacræ rei signum aliquod.

IX. Altera baptismi cæremonia ipsa est linitio, qua aures, & nares saliva perfunduntur a ministro baptismi, ut quemadmodum cæcus in Evangelio Marci cap. 7. luto e terra cum saliva Christi commisto lumen recepit, sic intelligamus eam sacræ hujus ablutionis vim esse, ut mentem ad divina perspicienda illustret. De hoc ritu hæc perhibet S. Ambrosius lib. 1. de Sacrament: capite 1.

Quid

Quid egimus Sabbatho? nempe apertionem, qua mysteria celebrata sunt apertionis, quando sibi aures Sacerdos tetigit, & nares. Quod significat in Evangelio Dominus noster Jesus Christus, quum ei oblatus esset surdus, & mutus, & tetigit aures, & os ejus: aures quia surdus erat, & os quia mutus: & ait Ephpheta, quod hebraicum verbum est, & dicitur adaperire, quia mutus erat, os tetigit. Quare nares? ut bonum odorem accipias pietatis æternæ, ut dicas, Christi bonus odor sumus: Quemadmodum dicit sanctus Apostolus 2. Cor. 1. & sit in te fidei, & devotionis plena fragrantia.

X. Sollemni Baptismo duo alia, ut plurimum Sacramenta jungebantur, Eucharistia, & Confirmatio: ut liquet ex Tertulliano, Cypriano, Cyrillo Jerosolymitano, Ambrosio, & Chrysostomi ad Innocentium Papam epistolis, facinus enarrantibus quod acciderat intra baptisterium, quando eruptione militum Christi sanguis præparatus ad neophytorum communionem effusus est, exutæque ad baptismum feminæ gravis contumeliæ discrimen subierunt. Albinus Flaccus, sive Alcuinus, qui sub finem octavi sæculi floruit lib. de divinis Officiis, cap. de Sabbato sancti Paschæ, hæc scribit: *Ipsis etiam infantibus tria uno die conferri Sacramenta, atque post trinam immersionem, ubi præsens est Episcopus, chrismari ad Confirmationem, & mox sacra Eucharistia refici*. Hoc tamen districte admonet, ne lactentur infantes, antequam communicaverint.

XI. Testes sunt Tertullianus de Corona militis c. 3. & Hieronymus in Dialogo adversus Luciferianos, moris fuisse, ut recens baptizatis exhiberetur lactis, & mellis degustatio. Quo ritu mystice significabatur hac spirituali ad cælestem vitam nativitate, quasi modo genitos infantes debere nos ad innocentiam, & morum simplicitatem reformare, ut ibidem Hieronymus exponit. Quæ eadem res indicatur per vestem candidam, qua induebantur qui de aquis baptismi emerserant.

XII. Consuetudo Mediolani, aliisque quibusdam in locis, non tamen Romæ, invaluerat, ut Episcopus linteo succinctus, baptizandorum pedes ablueret, antequam ad fontem deducerentur. Id testatur Ambrosius l. 3. de Sacramentis cap. 1. & lib. de his qui mysteriis initiantur, cap. 48. Ejusdem meminit pariter Augustinus epist. 118. ad Januarium in fin. Quem morem abrogat in Hispaniis Concilium Illiberitanum can. 48. dicens: *Nec pedes eorum, qui baptizantur lavandi sunt a sacerdotibus, aut Clericis*.

XIII. Quod de Christi Salvatoris baptismo enunciaverat S. Præcursor Joannes Baptista Matth. 3. *Ille vos baptizabit Spiritu sancto, & igne*, crasso intellectu, & pingui minerva concipientes quidam hæretici dicti Seleuciani, quos memorat S. August. lib. de hæresib. ad Quodvultdeum hæres. 59. nullam in suo baptismo adhibebant aquam, sed tantummodo ignem, qui metaphorice sanctum exprimit Spiritum: quia quæ corporaliter ignis operari solet, eadem exequitur in animo divinus Spiritus: illustrat namque mentem, peccata, pravosque habitus absumit, sacrumque inspirat charitatis ardorem. Ideoque sæpius sub specie ignis legitur apparuisse.

P. D. C. CHARDON BENEDICTINI

DE BAPTISTERIIS

DISSERTATIO II.

Nunc primum latine reddita ex ejus historia Sacramentorum, & a F. A. Z. S. J. adnotationibus illustrata.

I. Dubitandum non est, antequam Ecclesias construxissent Christiani (1), ac persecutionum tempore, quo raro admodum, magnisque cautelis conveniebant, Baptismum ubicumque licebat, fuisse collatum. Post ipsam redditam Ecclesiæ pacem sæpe videre erat non tot quin plures, qui in Jordane baptizari vellent. Constantinus Magnus vehementer optavit, in eo fluvio, cujus aquæ a Salvatore nostro consecratæ fuerant, regenerationis Sacramentum suscipere, ut ex Eusebio (lib. 4. de Vita Const. c. 62.), ac Theodoreto (lib. 1. hist. Eccl. c. 32.) accepimus. (2) Deo Apostolicis S. Augustini, sociorumque suorum curis mirifice favente, hi diversis in fluviis multa Anglorum millia baptizarunt, nondum enim erant baptisteria, in quibus possent Sacramentum hoc celebrare,

(1) Sic Johannes baptizabat in Jordane; Philippus quoque Eunuchum in solitudine baptizavit; Tertullianus *Petrum* in *Tiberi* conversos suos tinxisse scribit (*de Bapt. c.* 4.) ut Johannes in Jordane fecerat, nullamque distinctionem esse addit, mari quis an stagno, flumine an fonte, lacu an alveo diluatur, omnes enim aquas de pristina ordinis prærogativa Sacramentum Sanctificationis consequi invocato Deo. In hunc modum auctor Recognitionum sub nomine Clementis Romani (*l.* 4. *c.* 32.) Petrum Apostolum repræsentat populo prædicantem, & dicentem, *uti in præsenti quidem tempore diluantur peccata vestra per aquam fontis, aut fluminis, aut etiam maris, invocato super vos trino beatitudinis nomine*. Suum quoque ipsius & aliorum quorumdam baptismum, ut a Petro in certis fontibus Syriæ mari contiguis datum describit idem auctor (L. VI. n. 15.). Tertulliani porro, atque adeo Justini M. temporibus idem mos videtur fuisse deducendi baptizatos ad fluvios. Nam ille (*de cor. mil. c.* 3.) ait: *Aquam adituri, ibidem, sed & aliquanto prius in Ecclesia sub Antistitis manu contestamur, nos renuntiare diabolo*. Justinus vero (*Apol. II.*) *deinde*, inquit, *eo adducuntur a nobis ubi est aqua, atque eo regenerationis modo, quo ipsi regenerati sumus, regenerantur*. S. Victor Massiliensis Martyr sub Maximiano in suis apud Ruinartium actis (p. 260. Veron. edit.) dicitur conversos sui carceris milites *pro tempore diligenter instructos, adscitis Sacerdotibus ipsa nocte ad mare duxisse, ibique baptizatos propriis manibus de fonte lavasse*.

(2) Idem etiam Basilio Magno desiderium insederat, ut testatur Amphilochius, aut quisquis alius est, ejus vitæ auctor (c. 4.). Sed S. Hieronymus (*de locis hebraicis*) ait: *Bethbaara trans Jordanem, ubi Johannes in pœnitentiam baptizabat; unde & usque hodie plurimi de Fratribus, hoc est de numero credentium ibi renasci cupientes, vitali gurgite baptizantur*. Præterea multo post ea tempora Baptismum in Epiphania eo in flumine celebratum esse constat ex itinerario Antonini Martyris, cujus verba recitat Martenius l. 1. c. 1. a. 2. num. 3.

re, ut testificatur Venerabilis Beda in sua Anglorum historia (lib. 2. c. 16. & 19.) Tandem exempla habemus Baptismi Catechumenis Confessoribus in carceribus, (1) atque infirmis privatis in domibus (2) administrati.

II. Sed generatim loquendo persecutionibus Ethnicorum cessantibus Baptismus publice in Ecclesiarum baptisteriis (3) traditus est, quæ edificia erant rotunda (4) & a Basilicæ corpore, & ab ipso vestibulo segregata (5); ad dexteram autem qua ad idem vestibulum patebat aditus, collocata, nempe a meridionali Ecclesiæ latere plerumque sita erant. Dico *plerumque*, in more enim erat orientem versus extremam Ecclesiæ partem convertere, quantum per locum licebat; erant tamen olim plures Ecclesiæ, atque hodiedum supersunt aliquæ, quæ aliter sunt constitutæ, seu ob eam quam indicavimus loci caussam, seu quod in Ecclesias fuerant immutata idolorum

(1) Vide acta SS. Montani & Lucii, ibique reperies Donatianum in carcere baptizatum. Rogatianus quoque, de quo Acta SS. Fructuosi, & Sociorum a Ruinartio edita, in carcere ablutus fuit.

(2) Exemplum sufficiat Novatiani, qui urgente morbi necessitate in lecto baptizatus fuit ab Exorcistis, ut docet Cornelius Papa apud Eusebium (*lib. 6. hist. c.* 43.). Id quoque cum aliis infirmis observatum ubique est, qui ipso in lecto persundebantur, *Clinici* propterea dicti; quamquam exceptis infirmitaris, proximæque mortis casibus baptismum domi celebrare vetitum fuit, non a sacris canonibus tantum, qui baptismum hunc *parabaptismum* appellant ut a Conc. Constantinopolitano sub Menna Act. I., sed etiam ab Justiniani legibus (Nov. 42. c. 3. & Nov. 58.) Adi Binghamum l. XI. c. 6. §. 12.

(3) Ita quidem usitatiore vocabulo appellantur; sed *tinctoria*, & Baptisterii Basilicam ea ab Ambrosio dicta reperio (lib. de initiandis mysteriis c. 5.) itemque *secundum tabernaculum ubi virga Aaron floruit* (l. 4. de Sacr. c. 1.) Cyrillus vocat (Catech. 1.) *vestibulum seu porticum domus baptisterii*; Fortunatus (lib. 2. carm. 12.) & Gruteriana inscriptio quam num, sequente reddemus, *aulam baptismatis*. Græci passim illuminatorium; qua de voce consule sis Lacerdam (Adversf. Sacr. cap. XXI. n. 51.); *piscinam* Sidonius Apollin. lib. 2. epist. ad Domit. aliique (confer Beveregii notas ad can. XI. Concilii Nicæni, & WedderKampium de Baptist. Veter. c. 1. n. XX.); *Templum Baptismatis* Gregorius Turonensis (*lib. 2. hist.* Francorum). Aponius antiquus Scriptor (l. 3. comm. in Cant. cant. Biblioth. Max. SS. PP. T. XIV.) *fontes hædorum*. *Fons* etiam dicitur Baptisterium. Singulare nomen est, quod hodieque apud Aquileienses Baptisterium obtinet, nempe *Ecclesia Paganorum*; de quo vide Cl. P. de Rubeis in *Diss. de Sacr. Forojul. Ritib. c. XXVII. p.* 372.

(4) Vetustus Theclæ fons Mediolani octagonus erat. Docent id carmina olim ibi insculpta, atque a Gruthero descripta (1166. 8.)

Octachorum Sanctos templum surrexit in usus
Octogonus fons est, munere dignus eo
Hoc numero decuit Sacri baptismatis aulam
Surgere, quo populis vera salus rediit

Baptisterium instar rotundæ turris indicat S. Paulinus (epist. XII.) ad Severum his versibus

Iste duas inter diversi culminis aulas
Turrito fontem tegmine constituit.

Aquileiense Baptisterium hexagonum erat, uti & Parmense, quod hodieque exstat. Confer P. de Rubeis in Diss. de Sacr. Forojul. Ritibus cap. XXVII. n. 2.

(5) Plura in hanc rem adduci possent veterum testimonia Paullini (*ep. XII. ad Severum*), Fortunati (*lib. 2. carm.* 12.), Gregorii Turonensis (*lib. 6. hist. c.* 11.). His missis audiamus Cy-

lorum templa, aut Basilicæ diversa admodum ratione constructæ, ita ut etiamnum Ecclesias videre sit, in quas aditus ad Occidentem haud vergit, cujusmodi est Romæ Ecclesia S. Petri, cujus altaria versa non sunt ad orientem. Socrates (*l.* 5. *c.* 22.) quoque testificatur, aram magnæ Ecclesiæ Antiochiæ ad occidentem fuisse conversam; januæque magnifici templi S. Sepulcri, cujus Eusebius (*lib.* 3. *Vit. Const. c.* 37.) descriptionem nobis reliquit, erant ad orientem constitutæ. S. Paulinus a communi regula Ecclesias contra orientem collocandi minime veritus, Basilicam versus S. Felicis eam convertit quam Nolæ ædificavit.

III. In majoribus Urbibus ingentia adeo atque ampla erant hæc Baptisteria, ut magni in illis conventus haberi possent. Concilium a S. Flaviano habitum, in quo Eutychetis hæresis primum proscripta fuit, in Baptisterio coactum fuit Constantinopolitanæ Ecclesiæ, ac S. Chrysostomus suos ibi celebravit conventus cum XL. Episcopis, dum Theophilus eiusque sectatores in Concilio ad Quercum in eum inquirebant. P. Mabillonius in suo Itinere Italico refert vidisse se in pluribus Urbibus ejusmodi Baptisteria ab Ecclesiis disjuncta, ac præ ceteris Novariæ, Romæ, Florentiæ, Pisis, Parmæ, Patavii, aliisque in locis. Turonis quoque Baptisterium Ecclesiæ S. Martini videre est, quod ab Ecclesia ipsa separatum, Canonicis autem capituli locus. (1) Ducangius in suo Glossario Florentinum Baptisterium hisce verbis describit: *Florentiæ in Italia e regione maximi Templi Ecclesia est rotunda Sancto Joanni Baptistæ sacra. Hanc Baptisterium appellant. Tota hæc marmorea habens januas, quas æneæ valvæ operis egregii occludunt. In medio illius Ecclesiæ Baptisterium e marmore lucidissimo positum visitur, in quo Florentini omnes Baptismi lavacrum percipiunt.* (2) Johannes quoque Diaconus in suo de Ecclesia Lateranensi libro (*c.* 12.) animadvertit, fontes Baptisma-

---

Cyrillum Hierosolymitanum (*Catech.* Myst. 1.): *primum ingressi estis in porticum baptisterii.* Anastasius vero in vita Hadriani Papæ ait, *Carolum M. Francorum Regem cum clero & populo Romano Sabbatho Sancto stetisse in Ecclesia Lateranensi, quousque in baptisterio Sacramentum baptismatis conferret Pontifex.* Nam quod Prudentius contra Symmachum baptisterium intra ædes Lateranenses fuisse indicet dum canit

> *Aut Vaticano tumulum sub monte frequentat:*
> *Quo cinis ille latet, genitoris amabilis obses*
> *Cœtibus aut magnis Lateranas currit ad ædes,*
> *Unde Sacrum referunt regali chrismate signum.*

quod, inquam, Prudentius baptisterium intra ædes Lateranas fuisse indicet, ita accipiendum viri docti jamdudum monuerunt, ut prope Lateranas ædes fuisse intelligatur, sed cum Ecclesia Lateranensi, cui proximum erat, unum veluti corpus effecisse. Sanctus quoque Bonifacius quum Monasterii B. Altonis Ecclesiam consecrasset, ita ut præter solitum morem feminis ad eam liber pateret aditus: *fontem deinde quemdam in eodem loco juxta Ecclesiam positum ea benedixit ratione, ut mulieri nulli liceret ad eum accedere*, ut in eiusdem Altonis vita legimus. Vide etiam adnot. XV. Sed quæ ex Paullino recitabimus carmina (ad num. IV.) suspicionem movent in ipsis ædibus S. Felicis Baptisterium fuisse, etsi in remotiore quodam loco constitutum.

(1) Cernebatur olim Baptismalis Ecclesia in australi parte Cathedralis Hildesheimensis, ex vita S. Godehardi num. 23. apud Bollandum 4. Maji.

(2) Uberiorem Florentini Baptisterii descriptionem elaboravit Clariss. Gorius ejusdem Baptisterii Præpositus cap. 1. sui *de mitrato Jesu Nazareni Crucifixi capite* commentarii, qui in tertio Symbolarum litterariarum volumine prodiit, & P. Richa in Ecclesiis Florentinis, Tomo V.

males ibi esse rotundos, atque porphyreticas inter columnas positos in medio Ecclesiæ. Baptisterii ipsius forma eodem Johanne auctore rotunda est. Ad sacros hosce fontes certo graduum numero plerumque descendebatur; hi autem septem erant juxta plures auctores (Theodulphum Aurelian. *l. 2. de Bapt. c. 13.* Hugonem Flavin. *in Chron. Vird.*) quod quidem non generatim accipiendum, sed de pluribus locis. (1) Ex his gradibus tres descensui ad quartum deserviebant; super hoc catechumeni immergebantur; per tres alios iterum adscendebant; aut potius hi gradus ita dispositi erant, ut Sacerdos, & Patrinus a quibus tenebatur, qui in sacrum balneum immergebatur, possent singuli seorsum, nec difficulter adscendere, quemadmodum quartum gradum uterque descendebat. Ita intelligenda mihi videntur quæ ait S. Isidorus (*l. 2. de div. off. c. 24.*) de gradibus, qui in baptismalibus fontibus habebantur. En ipsa ejus verba, quibus hosce gradus allegorice explicat. *Fons autem omnium gloriarum origo est, cujus septem gradus sunt, tres in descensu .... tres in ascensu ... septimus vero is est qui & quartus, stabilimentum pedum &c.* (2)

IV. Quemadmodum non nisi bis aut ter in annum traderetur alias baptismus, ut in superiore capite animadvertimus, & plura hominum millia præsertim in magnis urbibus simul baptizanda sæpe accurrerent; ita in eodem Baptisterio plures erant baptismales fontes. Id hodieque in Pisano Baptisterio videre est, ut nos docet P. Mabillonius in suo itinere Italico. Anastasius Bibliothecarius pretiosa sæpe commemorat ornamenta quibus Pontifices Baptisteria locupletabant, ac D. Fleury quæ hic auctor habet, in sua historia Ecclesiastica refert, quod post narratam Pontificum, qui ejusmodi munera obtulerunt, mortem facere consuevit. Consule illum. (3) Quod ad nos spectat, illud nobis satis sit dicere Altaria in baptisteriis erecta fuisse ad sanctum sacrificium celebrandum, & communionem deinde Neophytis administrandam, qui post susceptum confirmationis sacramentum aderant sacris mysteriis, atque communicabant. Hilarius Papa in Baptisterio Constantinianæ Basilicæ tria erexit Oratoria, seu altaria, ut refert Anastasius, quorum primum dicatum erat S. Joh. Baptistæ, secundum S. Joh. Evangelistæ, tertium S. Cruci. De Symmacho autem Papa idem Anastasius ait, eum *ad fontem in Basilica S. Petri Apostoli Oratorium Sanctæ crucis ex argento, confessionem & crucem ex auro* excitasse. Pisano quoque Baptisterio, ut idem P. Mabillonius adserit, adhæret etiamnum altare cum globo super illud concavo, in quo Eucharistia

(1) Vide de Pisano Baptisterio Ciampinium (Vet. Mon. T. II. p. 22.)

(2) Eadem fere habet pseudo-Albinus (de divin. Offic. cap. de Sabb. S. Paschæ)

(3) Picturis variis ornari solebant baptisteria; ex cujusmodi fuerint discimus ex Ægidio Monacho Aureæ Vallis in Oberto Episc. Leodiensi c. 18.

Fontes fecit opere fabrili
Ære vix comparabili
Duodecim qui sustinent
Boves typum gratiæ continent.
Materia est de mysterio
Quod tractatur in baptisterio.
Hic baptizat Johannes Dominum;
Hic Gentilem Petrus Cornelium,
Baptizatur Craton Philosophus:
Ad Johannem confluit populus.
Hic quod fontes desuper operit
Apostolos, & Prophetas exerit.

Va-

ſtia olim ad uſum, ut veriſimillimum eſt, recens baptizatorum adſervabatur. (1).

V. Ejuſmodi erat vetuſtioribus temporibus ordinaria Baptiſteriorum forma, & locus. Baptiſteria deinde, quæ juxta Cathedrales Eccleſias fere conſtituta erant, dicta ſunt Eccleſiæ, ſeu Parœciæ. Hinc in pluribus Epiſcopalibus Urbibus Eccleſias videmus S. Johannis rotundi, cujus nomen ſuam ſatis originem demonſtrat. S. Johannis clauſtri in Tullenſi urbe, & S. Johannis Virduni in Lotharingia, quæ principibus Eccleſiis ferme adhærent. Eo autem facilius fuit in Eccleſias convertere hæc vetera Baptiſteria, quod aliquando dedicabantur, atque conſecrabantur, (2) hujuſque dedicationis, quæ Epiſcopo etiam reſervata erat, ut ex aliquibus antiquis monumentis conſtat, dies quotannis celebraretur. (3) Quædam tamen antiqua Baptiſteria intra Eccleſiarum ambitum contenta prope januam ad lævam conſpiciuntur (vide Galliam Chriſtianam nov. edit. T. I. & Theſaurum anecdot P. Martene T. 3. p. 1576.) (4) Idem P. Mabillonius ait, unum vidiſſe ſe Ver-

Varia quoque anaglypha baptiſteriis erant ornatui, Angeli, aves &c. Inſcriptiones etiam addebantur. Eccleſia Nativitatis Domini apud Bethlehem, de qua Euſebius de Vita Conſt. L 3. c. 42., antiquum habet Baptiſterium in auſtrali parte cum hac epigraphe.

ΥΠΕΡ ΜΝΗΜΗC ΚΑΙ Α
ΝΑΠΑΥCΕΩC ΚΑΙ ΑΦΕ
CΕΩC ΑΜΑΡΤΙΩΝ Ω̇. Ṅ. İ.
ΚC̈ ΓΙΝΩΣΚΕΙ ΓΕΝΟCΚΙΤΑ ΟΝΟΜΑΤΑ

nempe ut vertit Ciampinus (in Synopſi hiſt. de Sacr. ædif. a Conſtant. extructis c. 24. p. 152.) *pro memoria & quiete, & remiſſione peccatorum* O. N. I. (his litteris aſteriſco obſignatis ipſa videntur denotari nomina) *Dominus cognovit nomina*. Inſcriptionem Mediolanenſis Baptiſterii S. Theclæ ſupra vidimus. Conſer Fletvvoodum (p. 388. 2. p. 440. 1. p. 521. 1.) & Cl. Paciaudium Antiq. Chriſtian. diſſ. 2. c. 4. Lege etiam Paullini epiſtolam XII. ad Severum.

(1) Huc ſpectat quod de Baptiſterio S. Felicis canit S. Paullinus (*Nat. X.*)

Eſt etiam interiore ſinu majoris in aulæ
Inſita cella procul quaſi filia culminis ejus
Stellato ſpatioſa tholo, trinoque receſſu
Diſpoſitis ſinuata locis; medio pietatis
Fonte nitet, mireque ſimul novat atque novatur,
Namque hodie bis eam geminata novatio comit
Dum geminos Antiſtes gerit illic munera chriſti,
In geminos adytum venerabile dedicat uſus,
Caſtifico ſocians pia ſacramenta lavacro.

(2) Petitionem de dedicando Baptiſterio habes in libro Diurno Romanorum Pontificum Garnerianæ editionis (Tit. XIX.); Orationem vero ipſam in dedicatione Baptiſterii in Ordine Romano T. XIV. Biblioth. Max. PP.

(3) Sic in pervetuſto Martyrologio Corbejenſi apud Martenium (T. III. anecdot.) ad d. XVII. Kal. Maij legitur: *in Antiſſiodoro dedicatio Baptiſterii, qui eſt juxta Baſilicam S. Germani Epiſcopi, & Confeſſoris*. Vide Paciaudium *diſſ. 2. antiq. Chriſtian.* c. 3.

(4) Idque Joh. Jacobus Chiffletius in nova & accurata diſquiſitione de ampulla Rhemenſi ait a Chlodovæo Francorum Rege conſtitutum fuiſſe.

Vercellis ita constitutum. *Ingressus ad lævam*, inquit ille, *se offert vetus Baptisterium ex marmore duo habens altrinsecus sedilia*. Posterioribus temporibus, post sextum, inquam, & septimum sæculum, haud multo aliter collocata sunt baptisteria. Unum ex ære optime elaboratum videre est Venetiis in Templo S. Marci; in facello scilicet ad portam, qua aditus est in contiguum Ducis Palatium. Nescio an secus factum alicubi deinceps sit, nisi in Badenensi apud Helvetos Ecclesia, ubi Baptisterium (quemadmodum P. Mabillonius adserit se vidisse in itinere Germanico) non ad portam, sed in superiori navis parte ad aquilonem positum sub effigie columbæ suspensæ. (1)

VI. Sacri fontes fere lapidei, marmorei, aut porphyretici erant; (2) pulcherrimus atque peramplus, in quem immergi infans posset, exstat in Cathedrali Metensi, nullo nunc usui, nisi forte Judæi, qui indentidem ad nos transeunt, baptizandi sint. (3) Ovalis est hujus vasis forma; sed plerumque rotunda erat, (4) uti hodieque videmus in antiquioribus in Italia existentibus. Unum ex his fontibus commemorat Gregorius Turonensis (*Lib. 1. de Glor. Martyr. c. 23.*) *ex marmore vario, inque modum Crucis* elaboratum.

VII. S. Edmundus Cantuariensis in suis Constitutionibus (*c.* 10.), & Concilium Wirgoniense (*c.* 5.) lapideos fieri sacros fontes jubent; addit tamen hic sanctus baptizari infantes posse vita periclitantes in vase ligneo, modo vasa ejusmodi expleto baptismo igne comburantur. (5)

VIII. Prioribus seculis, quibus baptismi admini-

(1) Antiquus mos est columbas aureas, vel argenteas in Baptisteriis suspendendi; quod constat ex accusatione clericorum & Monachorum Antiochenorum habita contra Severum suum Episcopum in Constantinopolitana Synodo an. 518. Suspensæ autem illæ columbæ erant, ut baptizandi baptismum Christi, in quo Spiritus S. sub columbæ specie apparuit, in memoriam sibi revocarent; tum etiam ut meminisset, se non ex aqua tantum, sed ex Spiritu, cujus typum gerit columba, renasci.

(2) Lapideos esse debere fontes, seu potius fontium vasa, & Panvinii vocabulo ut utar, pelves, statuunt antiquæ Constitutiones Richardi Episcopi c. 18., sed in Concilio Ilerdensi quemadmodum a Burchardo, & a Gratiano citatur, decernitur, ut *omnis Presbyter, qui fontem lapideum habere nequiverit*, vas conveniens ad hoc solummodo baptizandi *officium habeat, quod extra Ecclesiam non deportetur*. In celebri porro Monasterio S. Dionysii in Galliis servatur vas egregium porphyreticum, quod ex capta urbe Pictaviensi ubi fons baptismalis erat eo transtulisse Dagobertum Regem, vetusta est Monasterii traditio.

(3) Mabillonius (*Itin. Ital. p. 22.*) narrat, Veronæ ad portam Ecclesiæ (S. Zenonis) *ingens conspici labrum porphyreticum habens in orbem pedes* XXVI. Labrum hoc Wedderkampius (in libell. de Bapt. p. 62.) perperam retulit ad vasa baptismatis. Cui usui fuerit labrum illud, pereruditè de more nos docet generis nobilitate atque doctrina præclarissimus Marchio Maffejus (*Ver. illustr. part. 3. col. 68. & seq.*). Certum non ea saltem ubique fuisse amplitudine hujusmodi fontes, ut totum hominem capere possent, aperte demonstrant, quæ idem Mabillonius tradit (*Itin. Italic. p. 71. & 79.*)

(4) In gestis Episcoporum Cenomanensium dicitur S. Julianus primus Cenomanensium Antistes *in quodam vasculo lapideo in modum dolii* Defensorem Principem cum Goda uxore tinxisse. Legimus etiam in vita S. Uldarici Episcopi Augustani: *Ecclesiam in cœmeterio in formam crucis ædificare cœpit, & ædificatione peracta, altaribus quinque in ea compositis in honorem S. Johannis dedicavit, & dolium baptizandi de petra excisum in ea constitui fecit*. In laudata S. Zenonis Ecclesia Veronæ extat hodieque octagonus fons a Brioloto quodam constructus. Confer Biancolinum (Notizie Storiche delle Chiese di Verona *l. 1. pag. 32. & seqq.*)

(5) Quod baptizandis Regum Scotorum filiis olim inserviebat vas cupreum erat; illudque capto Edimburgo in Ecclesiam S. Albani transtulit Richardus Lens eques auratus tempore Henrici VIII. Anglorum Regis.

ministratio Episcopis unice incumbebat, unum tantummodo Baptisterium in tota diœcesi constitutum erat, iis nempe in locis, in quibus residebat Episcopus, & principi Ecclesiæ proximum in qua Sedes erat Episcopalis. (1) Clara vetustæ hujus disciplinæ vestigia etiamnum supersunt cum in Italia, tum in Galliis in quibusdam urbibus, ut Florentiæ, Pisis, Parmæ, Patavii, ubi infantes in uno Cathedralis Ecclesiæ baptisterio baptizantur. Idem apud Arvernos observatur in Aniciensi Ecclesia, & apud Armoricos in Corisopitensi. Rhemis idem mos quadringentis circiter ab hinc annis vigebat, ut discimus ex antiquo *Ordinario*, seu Rituali huius Ecclesiæ, in quo ubi agitur de ritibus Sabbathi Sancti, legimus: *completa fontium benedictione, ipse Pontifex baptizat unum si paratus est; reliquos vero, si plures fuerint, baptizant Presbyteri Parochiales, & confirmat eos Dominus Pontifex*.

IX. Ab hac regula excipienda est Roma, in qua ob portentosam populi in ea Imperii Urbe principe commorantis multitudinem, magnumque eorum numerum, qui Christianam fidem amplectebantur, a primis seculis plura fuere Baptisteria in præcipuis Ecclesiis ut ad S. Johannem in Laterano, ad S. Petrum, ad S. Paullum, ad S. Laurentium in Damaso, ad S. Agnetem, ad S. Pancratium, & in aliis celebrioribus Ecclesiis.

X. Deinceps vero quum qui in agris degebant, Christianis sacris imbuti sunt, Baptisteria quoque extra Episcopales Urbes erecta sunt, non tamen in omnibus iis locis habebantur, ubi *curæ* quas dicimus, & Parœciæ; quin & in ipsis parvis urbibus, quæ carebant Episcopo, multos tamen habebant curatos, Baptismus in Baptisterio tantum unius, ejusque præcipuæ Ecclesiæ administrabatur. Hæc Baptisteria constitui non poterant, nisi Episcoporum, in quorum diœcesi hæ erant Ecclesiæ, auctoritate, quod disertis verbis a Concilio Vernensi sub Pipino Rege sancitum (can. 7.) reperimus in hunc modum; *ut publicum Baptisterium in nulla Ecclesia esse debeat, nisi Episcopus constituerit, cujus parochia est*. Ecclesiæ, ubi baptismales fontes erant, *Tituli Baptismales* (2) vocabantur, atque hoc nomine distinguebantur a ceteris, quæ fontibus sacris carebant.

XI. Magno hæc numero non erant neque in agris, neque in urbibus, pagisve, ut ex canone XLVIII. Meldensis Concilii, & Burchardo (*l.* 3. *c.* 22. ex quodam Aquisgranensi Concilio) constat, ubi legimus diserte constitutum: *plures baptismales Ecclesiæ in una terminatione esse non possunt, sed una tantummodo cum subditis capellis*. Hoc nomen erat, quo appellabantur Ecclesiæ, in quibus nulli baptismales fontes, *capellæ* aut *oratoria* dicebantur, nec licebat in illis baptisterium extruere, aut Presbyterum Cardinalem, seu titularem constituere S. Gregorius Magnus nos id docet in sua ad Ariminensem Episcopum epistola (*l.* 2. *Indict.* 10. *ep.* 9.) ubi de Oratorio loquens, quod nobilis femina nomine Timothea in ea urbe ædificari curaverat, ait: *prædictum Oratorium absque missis publicis consecratis ita, ut in eodem loco nec futuris temporibus baptisterium construatur, nec Presbyterum constituas Cardinalem*. Idem Pontifex de Oratorio Neapoli exstructo eadem edixerat observanda (*l.* 8. *ep.* 3.)

XII. Zacharias Papa easdem hac de re leges sequutus est in suis ad Pipini Regis Capitula responsis (Resp. 7.). Nunc etiam in Burdigalensi urbe inter Gallicanas spectatissima, in qua plures sunt curæ, seu Parœciæ, tres tantum exstant baptismales Ecclesiæ; Cathedralis nempe S. Andreæ dedicata, Ecclesia S. Crucis Ordinis S. Benedicti, & Ecclesia S. Severini.

XIII. Qui in his Oratoriis, seu Capellis fere conveniebant populi, ter quotannis ad matrices Ecclesias conferre se debebant, ut in pluribus statutum est Conciliis, ac sancta isthæc disciplina, ait Baluzius (*in not. ad Capit. T.* 2. *p.* 1064.), diu in Ecclesia perseveravit, atque ad undecimum usque seculum est conservata. Addit, sibi præ manibus esse litteras Pibonis Tullensis Episcopi datas an. 1079., quæ illam confirmant. Ait ibi Pibo, *Ecclesiam de Munz* antiquitus Capellam de Blano exti-

(1) Confer Martenium num. XV.

(2) Quo illas nomine compellat Flodoardus l. 2. hist. c. 19.

extitisse, hominesque apud eamdem villam de Munz commorantes ter in anno, videlicet in Pascha, Pentecostes, & Natale Domini ex consuetudine apud matrem suam Ecclesiam de Blano convenire, & debitas oblationes Presbytero de Blano ibidem persolvere. Ab hoc onere illos vindicat, illaque charta Baptisterium illis ac liberam sepulturam concedit. Exemplum hic habemus auctoritatis, qua in hujusmodi rebus præstabant Episcopi. Suo Pibo jure utitur ad Baptismalis Ecclesiæ dignitatem evehens Capellam, seu Oratorium alteri prius subjectum Matrici Ecclesiæ, ad quam unam, qui in eo Oratorio divinis officiis aderant, deferre debebant Infantes suos baptizandos.

XIV. Baptismales Ecclesiæ ceteris, uti vides, longe præstabant. Hinc Carolus Magnus Imperator (Capit. I. a. 813. c. 19.) lege lata edixit, ut pagorum, in quibus novæ ædificarentur Ecclesiæ, decimæ ad antiquas, in quarum territorio constructæ fuissent, pertinerent. Idem a Leone IV. constitutum, Indeque Gratianus (1691. c. 45.) colligit, decimas nonnisi baptismalibus Ecclesiis solvi debere; & Batholomæus Brixiensis, decimas baptismalibus Ecclesiis semper esse solvendas, non capellis. (1)

XV. Auctor, qui Cambriæ descriptionem edidit (Giraldus c. 18.) ait, Britrones decimarum partes duas solvisse baptismalibus Ecclesiis, aliam Episcopo Diœcesano. Utique ex hoc Ecclesiis baptismalibus adnexo jure Monachi decimas percipiunt Ecclesiarum, quibus haud deserviunt, quæque nihil aliud olim fuerant, quam capellæ ad præcipuam Ecclesiam, quæ ipsorum erat, spectantes, atque aliquibus in locis plerasque matricium Ecclesiarum prærogativas, aut illarum saltem partem aliquam conservarunt; quæ quidem prærogativæ nunc *jura Curatorum primitivorum* vocantur.

XVI. Monachi quoque Baptisteria suis in Ecclesiis habuerunt ex concessione aut privilegio, quod ipsis sanctitas vitæ suæ comparavit. Horum privilegiorum virtute Monasteria S. Pachomii jure hoc insignita fuerant: id supra ex epistola S. Theodori comperimus, quam in prima hujus historiæ parte adlegavimus; & auctor vitæ S. Pachomii (*apud Boll. 14. Maji*) qui ipsi æqualis temporum fuit, testificatur in Tabennensibus Monasteriis Catechumenos regenerationis gratia fuisse donatos, postquam fidei rudimentis rite imbuti fuerant, magnaque cura ad tanta mysteria instituti. Ex Eginhardi quoque testimonio (*in annal. ad an. 826.*) exploratum est, Baptismum Moguntiæ in Ecclesia S. Albani fuisse collarum. Idem vidisti de Monasterio S. Crucis Burdigalensi. (2)

XVII. Denique certum est, infantes Nobilium juxta Monasterium Casæ Dei habitantium tingendos ex more delatos fuisse Sabbato Sancto. Bertrandus, qui historiam conscripsit miraculorum S. Ruberti ejus domus conditoris, testis fuit hujusmodi consuetudinis oculatus (*in lib. Tripart. dist. 1. n. 23.*)

XVIII. Ad Baptismales Ecclesias, earumque prærogativas ut redeam, invenimus eas alias dictas fuisse *plebes* ob populi, qui Christianismi officiis satisfacturus illuc confluebat, multitudinem. Hinc procul dubio *Pleba* ut nomen, quo Curati hodieque in quibusdam regionibus appellantur. *Oracula* etiam dicebantur, ut in Capitulis Pipini Regis Italiæ videre est, atque alibi. Carolus Magnus Imperator dignitatis harum Ecclesiarum rationem habens, legem edidit, *ut nullatenus ea laici homines tenere deberent*; hæc tamen lex, quæ in capitularibus anni 793. legitur, non ita generatim executioni mandata est, ut omnes penitus abusus ea in re tolleretur; nam ut in Chartulario Prioratus de Paredo reperit Baluzius, Ecclesia S. Benigni, quæ cœmeterium habebat, Baptisterium, & jus Sepulturæ, a laicis beneficii jure, a quo se abdicarunt temporibus Prioris Hugonis, diu detenta fuit.

XIX. Alia dignitatis, qua hæ Ecclesiæ ceteris antecellebant, nota erat, quod cum in reliquis Ecclesiis unus Presbyter sufficeret, in his præter Presbyterum Diaconus insuper necessarius erat; quod videre est in veteribus Capitulis ex Codice Vaticano, & Casinensi a P. Sirmondo divulgatis. Baluzius hinc inde ver-

(1) De his omnibus vide eruditam Filesaci dissertationem *de origine Paræciarum*.
(2) Adi Martenium n. XVI.

verba in suas adnotationes in capitularia retulit (p. 1066.): *ut nulla Ecclesia, cujuslibet diœcesis, ubi Baptismum fit, presbyter absque Diacono reperiatur.*

XX. Iis, quæ hoc capite de Baptisteriis disseruimus, addemus, Concilium Antissiodorense (*an.* 578. *can.* 14.) vetuisse, ne mortui in Baptisteriis sepelirentur; tanta olim erga hæc Sancta loca fuit reverentia (1); ex qua etiam factum, ut Episcopi Sanctorum reliquias in iis reconderent, ut plures docent loci historiæ S. Gregorii Turonensis, qui ipse in Baptisterio, quod ædificare præceperat, Reliquias S. Johannis, & S. Sergii Martyris collocavit (2). Tandem in decretis XVIII. Concilii Toletani præcipue observandum illud occurrit, etsi Quadragesimæ initio etiam alibi Baptisteria claudebantur (3), ostia tamen in Hispaniis ab Episcopo manu sua, atque annulo fuisse præterea signata.

(1) Immo & Catechumeni a Baptisteriis arcebantur; sic enim statuit Arausicanum I. c. 19. *Ad Baptisterium Catechumeni nequaquam adcedant.*

(2) Mirabitur id nemo, qui sciverit, in locis Martyrum sanguine decoratis Baptisteria fuisse aliquando extructa. Sufficiat indicasse Prudentii hymnum VIII. qui inscribitur: *de loco, in quo Martyres passi sunt, qui nunc Baptisterium est.*

(3) Toletani Concilii hæc verba sunt cap. 11.: *Licet in initio quadragesimæ baptizandi generaliter claudatur mysterium, tamen Ecclesiasticæ consuetudinis ordo deposcit, & necesse est, ut ostia baptisterii in eodem die pontificali manu annulo assignata claudantur, & usque in cœnæ Domini Solemnitatem nullatenus referentur, ob id videlicet, ut per signaculum pontificum (excepto gravissimæ necessitatis obventu) in his diebus monstretur, per totum orbem non licere fieri baptismum, & Sanctificationem: iterum episcopali ad eam observatione referata, signetur dominicæ patere mysterium resurrectionis, in quo ad vitam factus est aditus homini: ut quia per baptismum consepultus est in morte Christi, resurgat cum eo in gloria Dei. Quod quia in aliquibus Ecclesiis minime hæc sancta consuetudo ab Episcopis custoditur, atque peragitur, ideo per hanc nostram sententiam sancimus atque decernimus, ut ita a totius Hispaniæ, & Galliarum Pontificibus custodiatur, quatenus in prædicto die initii videlicet Quadragesimæ, & ostia Sancti baptisterii cum laudum consummatione claudantur, & ab Episcopis suorum signaculo obsignentur: ita ut nisi in Cœnæ Domini celebritate, quando more solito altaria debent devestiri, eadem debent ostia reserari. Inconveniens etenim res est, ut illic in præmemoratis Quadragesimæ diebus cunctis aditus pateat adeundi, ubi non licet debitum mysterium exerceri.* Non in solis autem Hispaniis clausa fuisse Quadragesimæ tempore Baptisteria docet auctor epistolæ Secundæ de expositione antiquæ liturgiæ Gallicanæ apud Martenium (Tom. V. anecdot.) his verbis: *Sanctus Deus Archangelorum in Quadragesima concinetur, & non canticum Zachariæ, quia ista modulatio deprecabilis est populo; sicut verba texti ipsius continentur; & propter hoc non canetur Prophetia, propter quod & Baptisterium claudetur, scilicet quia canones præcipiunt, vel Baptismum Quadragesimæ non est.* Stephani Alexandri Wurdtwein Moguntiæ insignis Eccles. Colleg. B. M. V. ad Gradus decani *commentatio &c.*

COM-

COMMENTATIO HISTORICO-LITURGICA

DE

BAPTISTERIO MOGUNTINO,

QUOD EXTAT

In Ecclesia insigni Collegiata BEATÆ MARIÆ VIRGINIS AD GRADUS *& ex Antiquitatibus Ecclesiasticis elucidatum sistitur*

DISSERTATIO III.

PRÆFATIO.

MOs Ecclesiæ Moguntinæ sollemnis est, & antiquissimus, recurrente quotannis Sabbatho Sancto inter cantus sacros e Metropolitana procedere ad Collegiatam B. Mariæ Virginis ad Gradus, inibique Fontem Baptismalem consuetas inter cæremonias consecrare.

Rituale Antiquum Ecclesiæ Mogunt. morem sic recenset in Sabbatho Sancto: *Ad Baptismum lectis Prophetiis, ordinatur processio ad B. Virginem, & cantatur Letania sollemnis. Tunc præcedunt caduceatores de sacrario portantes unam mappam pro Consecraturo baptisma, sequentibus duobus sociis, qui rubeis amicti palliis vexilla rubea portant, duobus juvenibus in Albis rubeis duos cereos ardentes gerentibus. Deinde Plebanus Divi Quintini indutus alba stola, ac cappa rubea librum portans consecrationis Baptismatis, & cum eo sacrista thuribulum portans cum igne; Deinde duo Canonici Domicellares induti rubeis albis, quorum unus portat Pixidem semi-plenam de Chrismate, & hic circumdatur mappa alba. alter vero vas vacuum, & hic nigra mappa tegitur; moxque sequitur Prælatus, qui benedicturus est Baptismum. Baptismo consecrato reditur ad Ecclesiam Metropolitanam cum Litania.*

Stationes ad Fontem finitis Vesperis continuantur in dies usque ad feriam sextam post Pascha inclusive.

Idem ritus observatur Sabbatho festum Pentecostes præcedente; & in ipso Festo finitis vesperis est statio ad Fontem.

Animadverti sæpius, sacra hæc cum peageretur cæremonia, bene multos avide inquirentes: undenam proveniat, quod Metropolitana, quæ parochianos haud paucos numerat, omnium Ecclesiarum mater intra proprios parietes nullum habeat Baptisterium? &: cur infantes in hac Principe Plebania nati, deferantur ad ædem Marianam, sacro fonte abluendi? Piæ hujus curiositati in præsenti Commentatione faciam satis, acturus *Capite primo*, de locis, in quibus conferebatur baptismus, antequam erigerentur Ecclesiæ? *in altero* dein ex antiquitatibus Ecclesiasticis commonstratum iturus 1. Reddita tandem Ecclesiæ pace erecta Baptisteria, 2. solos Episcopos, & ex eorum jussu Presbyteros Baptismatis ministros, & 3. hoc tantummodo binis per annum vicibus in Vigiliis sc. Paschæ, & Pentecostes fuisse sollemniter collatum. *Tertio demum quarto & quinto:* sanctos hosce priori capite enarratos Orbis Christiani ritus in Ecclesia Moguntina per plura sæcula fuisse observatos, & stationes hodiernas e Metropolitana ad fontem Baptismalem ædis Marianæ singulis annis haberi solitas, & supra descriptas, Venerandas esse hujus Antiquitatis Ecclesiasticæ reliquias.

CAPUT I.

De locis, in quibus conferebatur Baptismus, antequam erigerentur Ecclesiæ.

§. I.

PRimis Ecclesiæ temporibus, cum Christianæ Religionis profitendæ libertas esset nulla, nulla fidelibus essent templa, nullus etiam designatus erat locus pro baptizandis Christi Discipulis, sed ubi primum occurrisset aqua, ibi baptismus conferebatur.

Evidens hujus rei testimonium suggerunt Actus Apostolorum *cap. 8. v. 56. & seq. Et dum irent* (Philippus videlicet, & Eunuchus Reginæ Candacis) *per viam, venerunt ad quandam aquam, & ait Eunuchus: Ecce aqua, quid prohibet me baptizari? dixit autem* Philippus: *si credis ex toto corde, licet. Et respondens ait: Credo, Filium Dei esse Jesum Christum. Et jussit stare currum, & descenderunt uterque in aquam Philippus, & Eunuchus, & baptizavit eum. Cum autem ascendisset de aqua, &c.* Justinus Martyr in apologia secunda ad Antoninum Imperatorem sic testatur: *Quicumque persuasi fuerint, & crediderint vera esse, quæ a nobis traduntur, & dicuntur, ac vivere se ita posse receperint; orare jejunantes, & petere a Deo priorum peccatorum remissionem docentur, nobis cum illis una orantibus, & jejunantibus. Deinde eo adducuntur a nobis, ubi est aqua, atque eo regenerationis modo, quo ipsi regenerati sumus, regenerantur.*

§. II.

Frequens quoque erat Baptisma in fluviis, & stagnis.

Verbis id disertis affirmat de Apostolis Tertullianus *in libro de Baptismo cap. 1. Neque quicquam refert inter eos, quos Johannes in Jordane, & Petrus in Tiberi tinxit.* S. Victor Martyr Massiliensis conversos ad Christum sui carceris milites, *pro tempore diligenter instructos, adscitis sacerdotibus, ipsa nocte ad mare duxit, ibique baptizatos propriis manibus de fonte levavit.* Ita eius Acta apud Ruinartium. Paulus Episcopus unus ex missis a Gregorio Papa cum Augustino in Angliam discipulis aliquando in fluvio *Trentæ* baptizasse legitur apud Henricum Huntidoniensem *in Historiæ Anglicanæ lib. 3. & apud* Bedam *lib. 2. Historiæ cap. 16. qui etiam cap. 14.* addit fluvios *Gleni* & *Sualica*; quia, inquit, nondum Oratoria, vel Baptisteria in ipso exordio nascentis ibi Ecclesiæ poterant ædificari. Plura suggerit Walfridus Strabo *in libro de rebus Eccles. cap. 26.* & Honorius Augustodunensis *lib. 3. de Gemma Animæ cap. 106.*

§. III.

Ex omnibus fluviis, ad sacrum Regenerationis opus, qui undas præbuere, nullus aliquando celebrior extitit Jordane; qui cum sanctificandi virtutem ex Christi baptismate accepisset, hoc quam plurimis indidit desiderium, ut in eo baptizari vellent.

Hieronymus id innuit in libro de locis hebraicis, ubi sic loquitur: *Bethbaara trans Jordanem, ubi Joannes in pænitentiam baptizabat: unde & usque hodie plurimi de fratribus, hoc est, de numero credentium ibi renasci cupientes vitali gurgite baptizantur.* Hoc desiderio captus Constantinus Imperator ad finem usque vitæ salutaribus undis tingi distulit, ut docet Theodoretus *in lib. 1. historiæ Eccles. c. 32.* his verbis: *cumque incertum esse vitæ exitum animadverteret, divini lavacri gratiam suscepit, quod quidem ad id usque temporis distulit, cum in Jordane illud suscipere desideraret.* Id quod longe antea scripserat Eusebius *in lib. 4. de vita Constantini cap. 62.* Plura de illo loco Jordanis, in quo Salvator noster baptizatus est, scribit Beda *libro de locis sanctis c. 13.*

§. IV.

Privatis quoque in ædibus tingebantur præsertim ægroti, qui in ipso lecto undis salutiferis perfundebantur, clinici propterea dicti. Hi ad gradum Presbyterii promoveri nequibant, vetante id in primis *can. 12. Concilii Neo-Cæsariensis.*

Ita Novatianus urgente morbi necessitate in lecto baptizatus fuit ab Exorcistis, qui ipsum curabant, ut docet Cornelius Papa apud *Eusebium lib. 6. Hist. cap. 43.* Fervente adhuc persecutionis rabie, qui in carceribus de-

detinebantur catechumeni, in ipsis etiam carceribus abluebantur. Id contigisse Rogatiano testantur Acta SS. Fructuosi, Eulogii, &c. edita a *Ruinartio*. Idem reperire est de Donatiano in Actis SS. *Montani & Lucii*, sic enim in ipsis legimus: *Et Donatianus Catechumenus, qui baptizatus est in carcere statim spiritum reddidit ab aquæ baptismo ad Martyrii coronam immaculato itinere festinans*. Sed qui defectu aquæ, aut quovis alio obstante impedimento tingi non poterant, hi proprio sanguine mundabantur, id quod de S. *Primolo* innuere videntur acta mox citata, in quibus additur: *Nec non, & circa Primolum similis consummationis exitus contigit, nam & ipsum ante paucos dies habita confessio baptizavit*. Immo privatis subinde in ædibus ædificabantur Baptisteria, ut in *vita S. Marcelli Papæ*, ubi Maximiano Imperante Carpasius crudelissimus Baptisterium a B. *Cyriaco* domi extructum flagitiosissime delevit, suffecto ejus in locum balneo; cujus forsan caussa fuit, quod sævientibus adhuc tyrannis sanctissimi homines extra Urbem, & in occultis, & abditis locis Baptisteria statuerint. Plura, quæ huc pertinent, suppeditat Casalius *de profanis, & sacris ritibus par. 2. c. 5.* Martene de Antiquis Ecclesiæ ritibus &c.

CAPUT II.

Publica eriguntur Baptisteria, in quibus Episcopi tempore Paschatis, & Pentecostes solemne Baptisma conferunt.

§. I.

REddita tandem per Constantinum Imperatorem Christianum Ecclesiæ pace cœperunt passim exstrui templa, & ædes publicæ ad unum baptismatis ministerium designatæ.

Baptisteria Græci nuncupant *Illuminatoria*, *Sidonius Apollinaris lib. 2. epist. ad Domit. Piscinam*. *S. Ambrosius ep.* 13. *Baptisterii Basilicam*. Fortunatus *lib. 2. carm.* 12. *Aulam Baptismatis*. Gregorius Turonensis *lib. 2. historiæ Francorum*: *Templum Baptisterii*. Capitularia Pipini Regis Italiæ anni 793. *n.* 7. & 15. *Baptismales Ecclesias*. Ejusdem Capitularia excerpta ex lege Longobardorum *n.* 16. *Oracula*. Capitularia Caroli Calvi anni 876. *Plebes*. *Flodoardus in lib. 2. historiæ Rhemensis cap.* 12. *Baptismales Titulos*. *Martene de antiquis Eccles. rit. par. 1. art. 2.*

§. II.

Constantinus M. Imperator Baptisterium in suburbio Romano construi fecit. Socrat. *hist. Eccles. l. 1. c. 26.* Sozomen. *lib. 2. cap. 32.* quibus congruunt S. Augustinus de Civ. Dei *lib. 2. c. 8.* Gregorius Turonensis *lib. 10. hist. Francorum*. Fecit & aliud intra Urbem in Cœlio monte. Hoc Baptisterium erat ex lapide Porphyretico coopertum intus & foris, & desuper quantum aqua continet, ex argento purissimo, ponderis librarum 3008. In medio fontis columna Porphyretica portans phialam ex auro purissimo pensantem libras 50., ubi ardent balsami libræ 200. In labro fontis Agnus ex auro purissimo erat, pensans libras 30. ad dextram agni latus Salvator ex argento purissimo librarum 180. ad lævam B. Joannes Baptista ex argento librarum 100. cervos fundentes aquam septem in circuitu habebat, pensantes singulos lib. 800. Thymiamaterium ex auro purissimo pensans libras 10. cum gemmis 42. Exornavit porro hunc sacrum fontem Sixtus Pontifex columnis marmoreis *ann. Christi* 440. & hos versus adjecit:

Gens sacranda polis, hic semine nascitur almo,
Quem fæcundatis Spiritus edit aquis.
Virgineo fœtu Genitrix Ecclesia, natos
Quos spirante Deo concipit, amne parit.
Cælorum regnum sperate hoc fonte renati,
Nam recipit felix vita semel genitos.
Fons hic est vitæ, & qui totum diluit orbem,
Sumens de Christi vulnere principium.
Mergere peccator sacro purgande fluento,
Quem veterem accipiet, proferet unda novum,
Insons esse volens, isto mundare lavacro,
Seu patrio premeris crimine, seu proprio.
Nulla renascentium est distantia, quos facit unum
Unus fons, unus Spiritus, una fides.
Nec numerus quempiam scelerum, nec forma suorum
Terreat, hoc natus flumine, sanctus eris.

vi-

videatur Baronius Tom. V. Annal. circa an. 440. Quæ vero Constantinus eidem Baptisterio dona contulerit, recenset idem T. III. circa an. 324. n. 58. Sub annum 384. Damasus Pontifex in Basilica Vaticana fontem erexit baptismalem admodum amplum, ejusque meminit Prudentius in *Peristephano* cum agit de passione Petri, & Pauli, & Basilica Vaticana his versibus:

Dextra Petrum regio sectis tenet aureis receptum
Canens oliva, murmurans fluento;
Namque supercilio saxi liquor ortus excitavit
Fontem perennem Chrismatis feracem.
Nunc pretiosa ruit per marmora', lubricatque clivum
Donec virenti fluctu & Colymbo
Interior tumuli pars est, ubi lapsibus sonoris
Stagnum nivali volvitur profundo.
Omnicolor vitrea pictura superne pingit undas
Musci relucent, & virescit aurum,
Cyaneusque latex umbram trahit imminentis Ostri,
Credas moveri fluctibus lacunar.
Pastor oves adit ipse illis Gelidi rigore fontis
Vidit sitire quas fluenta Christi.

§. III.

Novum suggerit Argumentum Bibliotheca Patrum Tom. III. pag. 203. & seq. Parisiis an. 1589. edita, ubi refertur S. Paulini *ad Severum epist.* 12. quæ innuit: a Severo erectum inter sacras duas Basilicas etiam Baptisterium, seu Fontem sacrum, ibique penicillo expressum Paulinum cum S. Martino. De hoc Baptisterio ita canit:

Dives opum Christi, pauper sibi pulchra Severus
Culmina sacratis fontibus instituit.

Talis autem erat inscriptio:

Hic reparandarum generator fons animarum
Vivum, divino lumine, flumen agit.
Sanctus in hunc, cælo, descendit Spiritus amnem
Cælestique Sacras fonte maritat aquas.
Concipit unda Deum, sanctamque liquoribus almis
Edit ab æterno semine progeniem.
Mira Dei pietas, peccator mergitur undis,
Mox eadem emergit justificatus aqua.
Sic homo, & occasu felici functus & ortu,
Terrenis moritur, perpetuis oritur.
Culpa perit, sed vita redit, vetus interit Adam,
Et novus æternis nascitur imperiis.

De Baptisterio, quod *Calagurri* est eo in loco, in quo Martyres *Emeterius*, & *Chelidonius* passi sunt, sequentia scripto reliquit Prudentius *lib. Peri-stephanon hymn. 8.*

Electus Christo locus est, ubi corda probata
Provehat ad cælum Sanguine, purget aqua.
Hic duo purpureum, Domini pro nomine cæsi,
Martyrium pulchra morte tulere Viri.
Hic etiam liquido fluit indulgentia fonte,
Ac veteres maculas diluit amne novo.
Qui cupit æternum cæli conscendere regnum,
Huc veniat sitiens: ecce parata via est.
Ante Coronati scandebant ardua testes
Atria, nunc lotæ celsa petunt animæ.
Spiritus æthereo solitus descendere lapsu,
Ut dederat palmam, sic tribuit veniam.
Haurit terra sacros, aut fonte, aut sanguine rores,
Exundatque suo jugiter unda Deo.
Ipse loci est Dominus, laterum cui vulnere utroque
Hinc cruor effusus fluxit, & inde latex,
Ibitis hinc, ut quisque potest, per vulnera Christi,
Evectus gladiis alter, & alter aquis:

§. IV.

S. Gregorius Turonensis *Hist. Franc. lib.* 3. *in Bibliotheca Patrum Tom. I.* ubi describit Baptismum Regis *Clodovæi*, thema nostrum egregie sic confirmat: *Clodovæus* invocato *Jesu Christi* auxilio victoriam de Alamannis reportat. Tunc Regina (*Clotbildis*) accersiri clam

clam S. *Remigium* Rhemensis urbis Episcopum jubet, deprecans, ut Regi verbum salutis insinuaret. Quem sacerdos accersitum secretius cœpit instigare, ut Deum verum factorem cæli, & terræ crederet, idola negligeret, quæ neque sibi, neque aliis prodesse possunt. At ille ait: Libenter, Te, Sanctissime Pater! audiam, sed restat unum, quod populus, qui me sequitur, non patitur relinquere Deos suos; sed vado, & loquor eis juxta verbum tuum. Conveniens autem cum suis priusquam ille loqueretur, præcurrente potentia Dei, omnis populus pariter adclamavit: Mortales Deos abigimus, pie Rex! Deum, quem *Remigius* prædicat, immortalem sequi parati sumus. Nunciantur hæc Antistiti, qui magno gaudio repletus, jussit lavacrum præparari. Velis depictis adumbrantur plateæ Ecclesiæ, cortinis albentibus adornantur, Baptisterium componitur, balsama diffunduntur, micaut flagrantes odore cerei, totumque TEMPLUM BAPTISTERII divino respergitur ab odore; talemque ibi gratiam adstantibus Deus tribuit, ut æstimarent se Paradisi odoribus collocari. Rex ergo prior poposcit se a Pontifice baptizari. Procedit novus *Constantinus* ad lavacrum deleturus lepræ veteris morbum, sordentesque maculas gestorum antiquorum recenti latice deleturus; cui ingresso ad Baptismum Sanctus Dei sic infit ore facundo: *Mitis depone colla Sicamber, adora quod incendisti, incende quod adorasti*; erat enim S. *Remigius* Episcopus egregiæ scientiæ, & Rhetoricis adprime imbutus studiis, sed & sanctitate ita prælatus, ut *Sylvestri* virtutibus æquaretur; est enim nunc liber vitæ ejus, qui eum narrat mortuum suscitasse. Igitur Rex omnipotentem Deum in Trinitate confessus baptizatus est in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, delibutusque sacro chrismate cum signaculo crucis Christi. De exercitu vero ejus baptizati sunt amplius tria millia. Baptizata est & soror ejus *Albofledis &c.*

§. V.

Idem discimus *ex vita B. Altonis*, cujus in monasterio cum *S. Bonifacius* Ecclesiam consecrasset, ita, ut præter morem feminis ad eam liber pateret aditus, attamen fontem quemdam in eodem loco juxta Ecclesiam positum ea benedixit ratione, ut mulieri nulli liceret ad eum accedere. Testatur *Mabillonius*; quod id ipsum suo tempore in pluribus Italiæ Civitatibus observatum fuerit; *in itinere Italico* inter alia notat: *Ecclesia Novariensis* primaria in honorem BB. Virginis dedicata, separatum habet insigne Baptisterium *S. Joannis* Baptistæ, uti *Romæ*, *Florentiæ*, *Pisis*, *Parmæ*, *Patavii*, aliisque locis nonnullis. Et infra, ubi de *Ravenna*: Baptisterium antiqui operis extra Ecclesiam memorat. Eamdem observantiam etiamnum retinet Turonensis *S. Martini* Ecclesia, quæ, separatum quoque a Basilica Baptisterium habet in *æde S. Joannis*, qua pro Capitulo Canonici uti solent.

§. VI.

Singularia plane, hinc digna sunt, ut hic inferantur ea, quæ refert Jacobus Basnage *in vita B. Ottonis Episcopi Bambergensis, & Pomeranorum Apostoli Tom.* 3. *par.* 2. *fol.* 38. *Thesauri Monumentorum Canisii*, ubi inter alia: Dolia grandia valde terræ altius immergi præcepit *Otto*, (Sæculo XII. jam multum progresso) ita ut ora doliorum ad genu hominis, vel minus de terra prominerent, implebantur aqua; facilis erat descensus, cortinæ, velaque oppansa cuppam circumquaque cingebant, ibique Baptismus per immersionem conferebatur.

Quanquam *Theophylactus* afferat sæculo suo, hoc est anno 1100. aut circiter desiisse morem antiquissimum certis diebus Baptismum administrandi, patet tamen ex *Ottonis* concione ad Pomeranos, hunc ritum non omnino fuisse inveteratum, quippe Sabbatho sancto Paschatis, & Dominica Pentecostes illos baptizari jubebat. Baptisteria, quibus utebatur *Otto*, fuerunt dolia e ligno confecta, sive, ut loquitur auctor cit. Cuppæ amplissimæ, ubi per aliquot gradus descendebant Catechumeni; utpote quæ terræ immergerentur. Unde patet immersionem ad hæc usque tempora fuisse in usu; deinde Baptisteria fuisse ab Ecclesia diversissima; tunc enim nullæ erant ædes sacræ apud Pomeranos. Denique ligno uti potuisse Præsules ad Baptisteria constituenda, cum alias forent, vel lapidea, vel etiam marmorea. Infantes in ligneo vase tingi permisit quidem *Edmundus Cantuariensis Præsul*, sed confecto baptismate vasa voluit

luit igne consumi, & in cineres redigi. Aliter hic *Otto*, qui grandes cuppas, & dolia amplissima terræ immersa ad longum tempus jussit construi. Observandum etiam: tria fuisse Baptisteria, alia enim secundum antiquos mores feminis, ne coram viris nudarentur, alia vero masculis, alia denique infantibus destinabantur. Masculi vulgo ad dextram, feminæ ad sinistram stabant. Sic enim *Gregorius:* Cum venerint ad Ecclesiam, recitantur eorum nomina, & stant masculi ad dexteram, feminæ vero ad sinistram. Tandem videmus ex hisce allatis, immersionem sæculo duodecimo fuisse adhuc usitatam; quorsum enim illa dolia, quorum ora ad hominis genu, vel minus de terra prominebant, nisi ut baptizandi facilius possent ingredi, ibique per immersionem tingi? Dumque sæviret hyems in illis regionibus admodum aspera, stubas & ignem Baptisteriis admoveri jussit *Otto*, ita ut in balnea veluti converterentur; aqua enim calida uti voluit, ne frigore nimio torperent congelarenturque membra; sicque pro temporis, & loci ratione sacrum ministerium attemperavit Zelosus Pomeraniæ Apostolus.

Oratoria quoque, & altaria in Baptisteriis interdum extitisse docemur ex iis, quæ tradit *Anastasius in S. Hilario PP.* hunc nempe Pontificem tria fecisse oratoria in Baptisterio *Basilicæ Constantinianæ*, *S. Joannis Baptistæ*, *S. Joannis Evangelistæ*, *& S. Crucis*. Præterea in Baptisterio Lateranensi Oratorium *S. Stephani &c.* morem hunc indicat Paulinus *Natali* 10. ubi Baptisterium describit:

Medio pietatis
Fonte nitet, mireque simul novat, atque novatur.
Namque hodie bis eam geminata novatio comit,
Dum gemina Antistes gerit illic munera Christi,
In geminos adytum Venerabile dedicat usus,
Castifico socians pia Sacramenta lavacro &c.

Picturis exornata testatur Baptisteria idem Paulinus *epist.* 12. Anastasius *in Leone III. p.* 134. *Ipsum vero Baptisterium diversis in circuitu decoravit picturis.* Ægidius *Monachus aureæ vallis in Oberto Episcopo Leod. cap.* 18.

Fontes fecit opere fabrili,
Arte vix comparabili,
Duodecim qui sustinent
Boves, typum gratiæ continent.
Materia est de Mysterio,
Quod tractatur in Baptisterio.
Hic baptizat Joannes Dominum,
Hic Gentilem Petrus Cornelium,
Baptizatur Craton Philosophus,
Ad Joannem confluit populus.
Hoc quod fontes desuper operit,
Apostolos, & Prophetas exerit.

S. Carolus Borromæus *in Constitutionibus, & Decr. Synodalib. Provinciæ Mediol. lib.* 2. *pag.* 58. sollicite describit, qua ratione collocandum sit Baptisterium, vasa item, & instrumenta huc pertinentia, additque inter alia multa: *Decebit etiam in Capella, aut in in pariete proximo imago S. Joannis Christum Dominum baptizantis.*

De ordinario Baptismi Ministro paucis nunc agendum.

§. VII.

Soli olim baptizabant Episcopi tanquam Ministri Ordinarii, hinc eorum Ecclesiæ Residentiales, sive Cathedrales tantum, aut his junctæ, aut proximæ, habebant Baptisteria; hujusque sacri ritus vestigia ad nos usque pervenere.

S. Ignatius Martyr *Antiochenæ sedis* Episcopus in ep. *ad Smyrnenses: Non esse licitum*, ait, *sine Episcopo neque baptizare, neque Agapes facere.* Tertullianus *in libro de Baptismo c.* 17. *ait: superest ad concludendam materiolam de Observatione quoque dandi, & accipiendi Baptismum commonefacere; dandi quidem habet jus summus sacerdos, qui est Episcopus, dehinc Presbyteri, & Diaconi, non tamen sine Episcopi auctoritate.* S. Hieronymus *in Dialogo adversus Luciferianos: Unde venit, ut sine Episcopi jussione neque Presbyter, neque Diaconus jus habeant Baptismi?* S. Augustinus *in lib.* 22. *de Civ. Dei c.* 8. idem asserit agens de quodam meritis *S. Stephani* divinitus ad Christum converso, & baptizari cupiente: *Et ecce*, inquit, *diluculum clamat, ut ad Episcopum curreretur &c.* Id quoque clare evincit instru-

ſtructio Cleri Edeſſeni ad *Photium*, & *Euſtachium* Epiſcopos actis Concilii Chalcedonenſis inſerta *action.* 10. Rogant ſc. *Ibam* Epiſcopum ad ſedem ſuam propter imminentem Paſchalem feſtivitatem, quanto ocyus remitti, *in qua*, inquiunt, *& propter catechiſmos, & propter eos, qui digni ſunt ſancto Baptiſmate, opus eſt ejus præſentia*. His accedit Epiſtola Clericorum Italiæ ad legatos Francorum, qua illi poſtulabant, ut *Dacium* Mediolanenſem Epiſcopum poſt quindecim, aut ſexdecim annos ad ſuam Eccleſiam redire concedat Imperator, *quia cum pene omnes Epiſcopi, quos ordinare ſolet ... mortui ſint, immenſa populi multitudo ſine Baptiſmo moritur*. Gregorius M. & ſuum perhibet teſtimonium *lib.* 1. *Regiſtr. ep.* 32. *ad Romanum Exarcham*: conqueritur ibi, quod *Blandum* Epiſcopum Hortenſis civitatis apud ſe retineat, *ex quo fit*, inquit, *ut ibidem infantes pro peccatis abſque baptiſmate moriantur*. Hanc Eccleſiæ praxim confirmat *Concilium Hiſpalenſe II. an.* 619. *celebratum can.* 7. declarans: *Neque coram Epiſcopo licere Presbyteris in Baptiſterium introire, nec præſente Antiſtite infantem tingere, aut ſignare*. Rei huic comprobandæ longius haud immoror; plura congeſſit teſtimonia Martene de Antiquis Eccleſiæ ritibus, quibus adeo convictus eſt Proſper Cardinalis Lambertinus poſtea Benedictus XIV. PP. *Inſtit. Eccleſiaſt.* 1., ut aperte fateretur: *Novus in ſacris litteris, ac peregrinus eſſet, qui Baptiſmum fuiſſe initio Eccleſiæ a ſolis Epiſcopis collatum ignoraret*.

Martene, & ante eum Vir clariſſimus Chriſtianus Lupus *lib. obſerv. in Decreta, & Can. Concilior. pag.* 855. præclare docuit, quod, cum ſoli priſcis temporibus baptizarent Epiſcopi, ſolæ etiam Eccleſiæ Cathedrales habebant Baptiſteria.

Hinc Decretum illud *in Vernenſi Palatio celebratæ ſynodi cap.* 7. *Ut publicum Baptiſterium in nulla parochia eſſe debeat, niſi ubi Epiſcopus conſtituerit, cujus parochia eſt, niſi tantum ſi neceſſitas creverit, pro infirmitate*. Et illud *Toletani Concilii a Gratiano q.* 1. *c.* 53. relatum: *Plures baptiſmales Eccleſiæ in una terminatione eſſe non poſſunt, ſed tantummodo cum ſubditis Capellis*. Praxim hanc confirmat *Valerius Cardinalis Veronenſis*, qui in annotationibus ad Conſtitutiones ſynodales *Matthæi Giberti* Epiſcopi Veronenſis ita ait: *Ex quibus verbis colligi poteſt, non omnibus parochialibus datam eſſe facultatem fontis baptiſmalis; quam rem confirmare videtur uſus multarum Eccleſiarum, in quibus non ſunt fontes baptiſmales; & idcirco ut omnem ambiguitatem tollamus, decernimus, ut non liceat cuique Curato ipſius Conſtitutionis vigore pro libito ſuæ voluntatis fontem erigere baptiſmalem, niſi prius mandato, & licentia ſpeciali obtenta a nobis; ſi ſecus factum fuerit, fons ipſe funditus omnino deſtruatur, & Parochus ille mulctetur arbitrio noſtro*. Idem vigebat uſus ante annos quadringentos in civitate Rhemenſi, cuius in Cathedrali *B. Mariæ* Baſilica Parochi ſuos ſubditos baptizare veniebant; ſaltem id innuit antiquum illius Eccleſiæ *Ordinarium*, quod aſſervatur in ejuſdem civitatis monaſterio *S. Remigii*, nam ritus Sabbathi Sancti exprimens, ita legit: *Completa fontium benedictione ipſe Pontifex baptizet unum, reliquos vero ſi plures fuerint, baptizant Presbyteri parochiales, & confirmat eos Dominus Pontifex*.

Etiam nunc in Italia in ſolis paſſim Eccleſiæ Cathedralis Baptiſteriis infantes ſacris undis intingi ſolent, præſertim *Piſis*, *Parmæ*, *Patavii &c.*

Eodem privilegio in Galliis apud *Arvernos* gaudet *Aniciencis Eccleſia*, apud *Armoricos Coriſopitenſis*, in *Burdigalenſi* quoque ampliſſima, in qua plures ſunt Parochiæ, tres tantum habentur Eccleſiæ baptiſmales: Scil. *Cathedralis S. Andreæ*, *Monachorum Benedictinorum S. Crucis*, *& S. Severini*. In civitate *Leodienſi* licet ſint triginta circiter Eccleſiæ Parochiales, tamen non niſi quinque ſunt baptiſmales, & inter has una, quæ Cathedrali juncta eſt, quæ ſine dubio olim ipſius Eccleſiæ Cathedralis Baptiſterium conſtituebat. De Baptiſterio, quod hodiedum viſitur *Florentiæ*, notat *du Cange in Gloſſario*: *E regione maximi templi Eccleſia eſt rotunda S. Joanni Baptiſtæ ſacra, hanc Baptiſterium appellant, tota & hæc marmorea habens Januas, quas æneæ valvæ operis egregii occludunt. In medio illius Eccleſiæ Baptiſterium e marmore lucidiſſimo viſitur, in quo Florentini omnes Baptiſmi lavacrum percipiunt, neque alibi quiſpiam præterquam in hoc Baptiſterio aquis ſalutaribus tingitur*.

Egregie hanc rem illustrat Prosper Cardinalis Lambertinus *loc. sup. cit.* Cum Christianorum numerus singulari Dei beneficio magis in dies propagaretur, factum est, ut Baptismum, vel nulla urgente necessitate liceret omni tempore conferre, & pluribus etiam præter Episcopos illum administrandi potestas fieret, & fontes pariter in multis Urbium partibus, ac potissimum in agris a Civitate longe disiunctis pro commoditate populi collocarentur; illi vero qui huic muneri præfecti essent, Christiani populi Decani sunt nuncupati. Thomassinus *de Vet. & Nov. Eccl. Discipl. part. 1. lib. 2. cap. 6. sub num. 2.* Inficiari tamen, pergit *Lambertinus*, minime possumus, hujus antiquæ Disciplinæ vestigia, & superioribus temporibus retenta fuisse, & nunc etiam religiose observari; quippe *Sæculis XII. & XIII.* postquam Pontifex Sabbatho majoris hebdomadæ cum sacro comitatu templum ingressus erat, ut Baptismi fontem consecraret, Cardinales qui aderant, Pontificis facultate accepta, ad Ecclesias, quarum titulis præditi erant, profecti, Baptismi sacramentum ministrabant. Ita commemorant *Cencius* qui *Sæculo XII.* & *Benedictus* Canonicus qui *XIII. Sæculo* floruerunt, quorum scripta in Bibliotheca Capituli Vaticanæ Basilicæ diligenter servantur .... sed jam ad hæc posteriora tempora deveniamus. Quum *Clemens VIII.* expeteret maxime, ut omnes Ecclesiæ in sacris ritibus exequendis omnino conformarentur; Cæremoniale Episcoporum imprimi iussit, quod deinde *Innocentius X.* & *Benedictus XIII.* novis quibusdam additis, quæ prorsus necessaria videbantur, sua auctoritate confirmarunt. Itaque in iis libris (*lib. 2. cap. 27.*) cautum fuit, ut Baptismi fontes Sabbatho majoris hebdomadæ ab Episcopo de more sacri herent, & Catechumeni, siqui adessent, sacrum ab ipso lavacrum acciperent, vel si aliquo impedimento detentus Episcopus id perficere minime posset, alium ipse sufficeret, qui suo nomine, & facultate rem totam administraret. Sed quo magnificentius, ac pro rei dignitate id geratur, merito sancitur, ut Canonicorum Collegium, ceterique Ecclesiæ administri simul intersint. *Confer. quoque Braschius in Promptuario Synod. cap. 5. num. 29.* Addit præterea *Prosper Lambertinus*: illud profecto certum est in *Urbe Bononiensi*, aliisque Italiæ civitatibus Baptismi fontem veteri consuetudine in Ecclesia Principe solum retineri, ibique non civium modo infantes, sed oppidorum ad civitatem proxime pertinentium salutari lavacro expiari. Id etiam in more positum perpetuo fuit, ut Sabbatho majoris hebdomadæ, & in pervigilio Pentecostes hujusmodi fontes magno parochorum omnium concursu sacrarentur. Ita enim *in Synodicis sanctionibus Laurentii Campegii Cardinalis amplissimi pag. 6. edit. an. 1535.* clare dignoscimus: *Insuper præcipimus omnibus Capellanis civitatis Bononiensis ac suburbiorum, ut Sabbatho majoris hebdomadæ, atque in pervigilio Pentecostes conveniant ad Baptismum, qui in Ecclesia Cathedrali instituitur; qui parere recusaverint, pœna solidorum 40. absque ulla spe condemnationis omnino plectentur.* Id etiam auctoritate præstantissimi viri Cardinalis Gabrielis Palleotti magis deprehenditur *lib. de administr. Ecclesiæ Bononiens. pag. 92.* cuius verba extant in *cit. Institut. Eccles. 1.* Priusquam ad Baptisterium Moguntinum deveniamus, breviter adhuc præmittenda quædam de sollemni Baptismo tempore Paschatis, & Pentecostes olim administrato.

§. VIII.

In primordiis Ecclesiæ Christianæ quolibet die celebrabatur Baptismus: sic *Act. 8.* de *Eunucho* Candacis Reginæ a *Philippo* baptizato, uti & *Act. 10.* de *Petro Cornelium*, & aliam turbam baptizante in propatulo est. D. Ambrosius *cap. 4. in Epist. ad Ephes.* explicans *Actorum* capita modo relata, eamdem enarrat consuetudinem. Sed non multo post mos obtinuit, ut extra Paschatis, & Pentecostes tempus nemo baptismatis mysteria celebraret. S. Leo *epist. 4. ad Universos Siciliæ Episcopos cap. 3.* id ex Apostoli doctrina profectum esse docet. Non solum adultos, sed & infantes, & parvulos Paschatis, & Pentecostes tempore tantum baptizatos ex D. Ambrosio *de mysterio Paschæ cap. 5.* discimus. Et Sanctus Augustinus *serm. 160. in Dominica in octav. Paschæ*, inquit: *illi pueri, infantes, parvuli, lactentes, maternis uberibus inhærentes, & quantum in eis gratiæ conferatur, ut & ipsi videtis, & ipsi habent octavas hodie.*

Hac

Hac de re etiam Concilia loquuntur & quidem *Wormatiense ann.* 868. habitum *can.* 1. *Sacrosancti autem Baptismi sacramentum nonnisi in Paschali festivitate & Pentecoste unusquisque fidelium noverit esse præbendum, exceptis his, quibus mortis urgente periculo, ne in æternum pereant, talibus oportet remediis subveniri*. Eumdem canonem repetit Regino *Abbas in libello de Ecclesiasticis Disciplinis & Religione Christiana ex jussu Rathbodi Trevericæ Urbis Episcopi collecto an.* 899. *can.* 269. Eadem jam verba habet Capitulare *Gregorii PP. II.* datum *Martiniano* Episcopo, *Georgio* Presbytero &c. in *Bavariam* ablegatis circa an. 731. *capit. V.* Concilium Rotomagense *an.* 1072. *can.* 24. *Item juxta sanctorum Patrum Decreta sc. Innocentii & Leonis PP. statuimus, ne generale baptisma nisi Sabbatho Paschæ & Pentecostes fiat. Hoc quidem servato, quod parvulis quocunque tempore, quocunque die petierint, regenerationis lavacrum non negetur. Vigilia vel die Epiphaniæ ut nullus nisi infirmitatis necessitate baptizetur, omnino interdicimus*. Harduin. *Collect. Conc. Tom. VI. pag.* 1192.

Cum autem posteriori tempore frequentius ac plane quotidie baptismus impertiretur; ut aliquid saltem primi instituti retineret Ecclesia, fontes iisdem diebus consecrari voluit, quibus antea salutari lavacro eos lustrabat, qui Christi Domini religionem ac disciplinam susceperant. *Catechism. Rom. cap.* 2. *de sacram. Baptism. num.* 61. Id autem cum plurimis testimoniis (*vid. Francisc. Amat. Pouget in suis catechet. Instit. edit.* 1725. *pag.* 850.) tum præcipue ex jure Pontificio (*Can. duo tempora & aliis seqq. de consecr.*) in quo Sabbathum Majoris hebdomadæ & pervigilium Pentecostes omisso Epiphaniæ solemni festo potissimum nominantur. Prosper Lambertinus *Instit. Ecclesiast. c.* 1.

CAPUT III.

Baptisterium Moguntinum a Sidonio Episcopo erectum.

§. I.

Antiquitates Ecclesiæ Moguntinæ primum ac celeberrimum nobis indigitant Baptisterium, quod Sidonius Antistes ope *Bertboaræ Theodeberti* Austrasiæ Regis filiæ *Moguntiæ* circa annum Reparatæ salutis 548. erexerat; de hoc Venantius Fortunatus Pictaviensium Episcopus elegans poema reliquit. Sic autem *lib.* 3. (r)

Ar-

(r) Christophorus Browerus S. J. Presbyter *Ann.* 1603. Moguntiæ *in* 4. imprimi fecit *Venantii* poemata sub hoc titulo: *Venantii Honorii Clementiani Fortunat. Italici Presbyteri, Episcopi Pictaviensis vetusti & Christiani Poetæ Carminum, epistolarum & expositionum Libri XI. multis poematis, aliquot etiam librorum membris aucti, omnes ad veterum exemplarium fidem castigati*; additi præter supplementa *de Vita S. Martini libri IV.* omnia recens illustrata Notis sacris historicis & geographicis. Poemati allato Browerus has subjungit notas *lib.* 2.

Baptisterium, scribit, antiquæ fabricæ ritu & opere a Sancto *Sidonio* Moguntiacensi Episcopo insigni tectorum amplitudine exstructum *Bertboaræ* filiæ *Theodeberti*, cujus virtutes mirifice exornat adjuto liberalitate & munificentia. Porro non vulgarem affert & laudem & lucem inclytæ Moguntinæ Ecclesiæ hoc *Fortunati* carmen, quam refloruisse non solum ad nova templorum decora, sed nova quoque sobole ex vicinis & Rheni accolis Gentilium populis auctam Francis ibi rerum potientibus, indicat. Et fuit Metropolis hæc olim in Germania prima Legionum Romanarum Prætorio Ducis ripæ seu limiti imperantis; Religione demum & Christiani populi Martyrio longe clarissima; jam inde vero sub Francis e ruinis emicans & mox a *S. Bonifacii* reparatione efflorescens & permultis Ecclesiis mater esse cœpit, nec non Provincialium Episcoporum obsequiis majorem in modum meruit frequentari. Sed impar omni tamen Majorum splendori & Magnificentiæ (quod mireris in tanta Cleri & ingeniorum abundantia) testificatio litterarum, tam ab Annalibus & fidelibus scriptorum monumentis sedes illa destituitur. *Sidonii* modo nomen ac ne vix quidem agnoscit; & li-

Ardua sacrati Baptismatis aula coruscat
Quo delicta Adæ Christus in amne lavat.
Hic pastore Deo puris grex mergitur undis,
Ne maculata diu vellera gestet ovis.
Traxit origo necem de semine, sed pater orbis
Purgavit medicis crimina mortis aquis.
Hanc tamen Antistes Sidonius (1) *extulit arcem*
Qui Domini cultum templa novando fovet.
Struxit Berthoaræ *voto* (2) *complente sacerdos*
Quæ

& licet Antiquitatis cujusque generis adhuc se visendam spoliis exhibeat, hujus tamen neque Baptisterii neque templi ulla ibi superant vestigia; ita affirmare audeo non incuriosus explorator; & vero ædium sacrarum & publicorum operum ab ævo Romano & Francico tanta illic est vastitas, ut quibus in spatiis olim ea sublimia stetere, inibi jam vel sulcos arator describat, vel vites pangat agricola. Quidquid ibi denique templorum, ad certos ferme & æquales hujus Germanici Imperii nostri retulere auctores. Eminent enim *Riculphi*, ut ad *S. Albani*, vel *Willigisi ad S. Stephani*, vel *Adelberti*, *Willigisi* aliorumque communiter ad *Deiparæ Virginis*. Primaria non ex uno, sed ex variis coaluit. Arguunt tituli, segmenta & molis varietas omni ex parte sibi prope dissimilis. Fronte vestibuli interioris ad meridiem, qua vetustissimi Operis fabrica, supra Januam arcuatam lego:

SANCTUS † MARTINUS

hinc Episcopi effigies dextra templum sustinentis, ea prorsus idea, qua hodie visitur Cathedrale. Læva vero librum tenentis cum inscriptione:

PAX HUIC DOMUI ET OMNI HABITANTI IN EA.

Subscriptio:

EMGNIOZAN FIERI ME FECIT.

Porro ruinarum harum causas non nescit, quisquis multiplices illius urbis in ultima, media adeoque recenti ætate clades acceptas animo subjicit, *Ammian. Marcellin. lib.* 16. B. Hier. *ep. ad Ageruchiam XI. c. 6.* Moguntiacum, nobilis quondam civitas, capta atque subversa est & in Ecclesia multa hominum millia trucidata. Hujus palæstræ vestigia in semiruta D. *Albani* area reperio, quæ montis Martyrum ab hac, nisi fallor, cœde, nomen tulit. Nec meliora de hinc successere, nam de spectaculis loquens Salvianus *lib. 6. de vero judicio & provid.* non enim hoc agitur, inquit, jam in Moguntiacensium civitate, sed quia excisa & deleta est.

(1) *Antistes Sidonius*) de hoc Episcopo copiosius infra, ubi proprium ejus extat encomium.

(2) *Berthoaræ Voto*.) Hanc *Theodeberti* Regis fuisse filiam signate Poeta dixit, equidem *Maguntiaci* uspiam, Virginitate Deo sponsa eam vel in Monasterio vixisse vel religionis causa sedem ibi habuisse, in proximo est, ut ex hoc Poetæ præconio conjecturam faciam. Visitur hodieque *Veteris cellæ* Monasterium Ordinis *S. Benedicti* (hodie Cistercensium) in urbe, perantiqua sedes Virginum, quas Dominas appellant Candidas, (quæ compellatio transiit ad moniales *S. Mariæ Magdalenæ* pœnitentes in foro gentili) in qua *D. Bilhildis* memorabili sanctitate femina Francorum etiam integro regno claruit. In hujus Monasterii septis haud obscura extant priscæ magnificentiæ vestigia. (*Neque tamen* Berthoara *S. Bilhildi coæva fuit, sed hanc integrum vix non sæculum antecessit*) Neque me præterit *Berthoaræ* quoque in intima Gallia famam fuisse clarissimam virtutis, quam eamdem esse cum hac, interpretari nolim; illustri tamen hæc genere monasterio nomen dederat, quod *Guntramno* Rege & *Austregisilo* Episcopo in Bituricensi Diœcesi disciplina morum & religionis cultu florebat. Surius *in Majo, vita S. Austregisili*.

Quae decus Ecclesiae cordis amore placet.
Catholicae fidei splendor pietate coruscans
Templorum cultrix, prodiga pauperibus.
Seminat unde metat fruges, se arcendo retondens
Terreuis opibus non moritura parat.
Filia digna Patri te Theodeberte! *reformans*
Rexisti patriam qui pietate Patris,
Et comitante fide revocasti ex hoste triumphos
Sed capti pretio mox rediere tuo. (1)
Ecclesiae fultor, laus Regum, pastor egentum,
Cura sacerdotum promptus ad omne bonum.
Cujus dulce jugum nullus gemuisse fatetur,
Vivis adhuc meritis Rex in amore Tuis.
Reddita ne doleas felix Maguncia *casus*
Antistes rediit, qui tibi ferret opem:
Ne moerore gravi lacrymans orbata jaceres
Hunc gaude pulsa te meruisse fame. (2)
Porriget ecce manum Genitor Sidonius (3) *urbi*
Quo renovante locum prisca ruina perit.
Jura sacerdotii placido moderamine servans
Per cujus studium crevit & ipse Gradus,
Parturis assidue gravidos per saecula fructus,
Quamvis Apostolico junctus amore regis.
Suscipit haeredem caelesti germine natum
Tali nupta viro, quando marita placet.
Te vigil custode lupus non diripit agnos
Te pascente Gregem non ovis ulla perit.
Cautius in toto per mitia pascua ducis,
Toxica ne noceant, florea rura paras.
Sis cibus, ut populi placide jejunia servans
Et satias alios subtrahis unde Tibi.
Nudos veste tegis, Captivi vincula solvis
Deposito reddens libera colla jugo,
Exsulibus domus es, es esurientibus esca,
Felix, cui Christus debitor inde manet.
Te doctrina probum, providentia sacra modestum
Et facit eloquio vincere mella Tuo,
Templa vetusta novans specioso fulta decore
Inferis hinc populis plus in amore Deum.
Ut plebem foveas Rheni *Tibi convenit amnis,* (4)

Quid

(1) *Sed capti pretio mox rediere*) Theodeberti Regis magna fuisse domi militiaeque fortitudinis, prudentiae & pietatis ornamenta, multifariam. Gregor. Turon *lib.* 3. *Franc. Histor.* commemorat. Belli victoriaeque materies raro illi defuit, cum Patre *Theoderico* expeditioni Thuringiae interfuit; Gothos Aquitaniae inquilinos, Arvernosque infestis armis appetiit, magnis denique virorum copiis in Italiam profectus, *Justiniani* Ducum arma, sed frustra lacessivit; omnibus tamen ex bellis praedas hominum egit & magna spolia retulit; unde hic ejus in victos captivosque clementia celebratur.

Hae *Brovveri* notae ubi abundent & ubi deficiant, facile videre est ex Historia Moguntina a sesqui saeculo magis exculta.

Peculiare quoque de *Sidonio* Episcopo Moguntinorum carmen Fortunatus *edidit lib.* 9.

(2) *Te meruisse fame*) hujus pentametri pars consensu quodam ab omnibus MS. abfuit.

(3) Browerus ad haec: *Sidonius* Maguntiacensis Episcopus fama fuit celeberrima, *Theoderico* & *Theodeberto* Francorum Regibus & *Clodovaeo* aetate proximus, cujus novo surgente in Belgis imperio, cum insignis fuisset vastitas Germaniae primae & secundae Urbibus illata, eaque Moguntiaco hoc gravior accidisset, quo repetita crebrius; merito *Fortunatus* hic memorat casus & praeteritas Urbis istius ruinas, quae tamen *Sidonii* Episcopi & Mediomatricum Regum opibus in pristinum paulatim redire nitorem & additis templis, sacrisque tectis opere novo resarciri coepit. Habet hoc poema & egregiarum Virtutum *Sidonii* exaggeratam molem & veteris Episcoporum potentiae Argumentum haud obscurum.

(4) *Rheni Tibi convenit amnis*) *Brovverus legit: & Rheni congruis amnes. Sic Trevir. MS.* alias *congrues amnis;* sed pereunte sententia. Nam ex pentametro constat *Sidonium* opere publico bona praebuisse aquis. Itaque minus apta quidem locutione, sed quae facile capiatur. *Venantium* id voluisse reor: *Sidonium* muniisse ripas & amnium duorum violentiam *Rheni* & *Maeni*, qui nivibus & imbribus inflati conjunctique validiore cum impetu ripis *Moguntiaco* proximis inferri solent, coercuisse operibus aut molitione aggerum. Unde poeta: *Quid referat terris, qui bona praebet aquis?*

Quid referat terris, qui bona præbet aquis.
(1) *Hæc quoque fama micat, tu instauras omne quod extat,*
Vivis in æternum laude fluente Tibi.
Hac vivas longos meritorum fruge per annos,
Et crescente diu de grege vota feras.

§. II.

Nisi Moguntinæ civitatis ruinæ toties iteratæ, uti bene advertit *Brouverus* mox citatus, vix non omnia subsidia prioris ævi litteraria abstulissent, volupe hic foret disquirere: Sidonius ubinam extruxerit magnificam hanc aulam Baptismalem, an in valle *S. Mariæ*, ubi hodiedum visitur Parthenon Dalheimensis, utrum vero in loco flumini Rheno magis propinquo? Res confecta est, si vera sit nonnullorum opinio: Moguntinam civitatem in dictæ vallis planitie usque ad tempora *Dagoberti* Regis stetisse, & ab hoc demum oræ *Rheni*, prout nunc existit, proxime fuisse admotam. Id autem afferunt & evincere conantur ex hisce fundamentis

I. Serarius *Rer. Mogunt. lib. 1. cap. 6.* ait: Trithemius *in vita S. Maximi cap. 17.* opinatur: Civitatem nostram extra hodiernos muros, ubi sacrarum Virginum monasterium est *Dalheimense*, quondam fuisse.

II. Piscator *in sua Moguntinensi ad Sorbillonem concertatione*: Tradit cana Patrum antiquitas & communis modernorum refert opinio, priora Urbis ejusdem mœnia, in spatiosa planitie, ubi modo leprosorium & Monasterium *S. Mariæ* in sacra valle cernitur, fundata fuisse; cui rei multæ quoque subterraneæ ruinæ & specus attestantur. Et

III. Serarius pergit, cum e *S. Stephani* porta, quæ agraria seu arvalis (gau-pfort) in Monasterium illud descendimus, sunt a latere muri antiqui defossi, qui totius ejus lateris vineas quasi sustentant. Ultra monasterium vero in Campis editioribus ad dextram stant adhuc hodie lapideæ moles, quas inferne continuas fuisse, docere videtur structuræ ratio & tumulus, sub quo defossa alia rudera, perpetuus. Nam quod iis quasi pilis aquæductum fuisse impositum dicunt aliqui, ut *Piscator* in Manuscripto, dicens ab Imperatore *Alexandro Mammeæ* factum, conjecturam nullam habet.

IV. Idem Serarius *lib. 1. Rer. Mog. c. IX.* de *Dagoberto I.* Francorum Rege notat: Eum *Moguntiam* ita redivivam fecisse ajunt, ut a vetere loco propius ad *Rhenum* ubi & hodie cernitur, eam traduxisse asserant. Sic enim Manuscriptorum liber unus: *Postea vero quando misericordiam cæli distillaverunt & divina miserante Gratia a Catholicorum Principibus reddita pace Christi Ecclesiæ conquieverunt, mutato loco supra litus Rheni, a quo prius ducentis plus minus passibus disparabatur, est restaurata* Moguncia *& a Francorum Regibus maximeque* Dagoberto *in pristinam, immo multo ampliorem dignitatem est revocata, caput scilicet effecta regni Orientalium Francorum ac Metropolis Galliæ Germaniæque cunctarum Urbium Cis-alpinarum*, & de S. Aureo Lectio 43. 44. & 45. *in Manuscripto*: ita *Postea autem Domino ventis & mari tribulationum hujusmodi sanctorum precibus, imperante; cessante penitus persecutionis immani rabie, sedatisque procellis, quibus Ecclesia quodam modo quassari visa est, reddita jam pace Ecclesiis miseratione Divina, regnantibusque jam catholicis Principibus, de restauratione Urbium, de reformatione Ecclesiarum ad honorem Dei, laudemque sanctorum cœperunt ipsi Principes cogitare seduloque operam dare. Igitur Francorum Reges & præcipue* Dagobertus *hujus nominis primus, qui vicesimus a* Pharamundo *crinito primo Francorum Rege Francos rexit, civitatem insignem Moguntiam ab* Attila, *ut dictum est, eversam, non in eo, in quo prius condita fuerat, sed in alio Rheni fluentis magis propinquo loco, ubi hodieque sita est, multo melius, multoque honestius, quam prius restauraverunt, anno verbigenæ sexcentesimo duodecimo, post eversam autem ipsam urbem anno Centesimo quinquagesimo octavo. Dico autem urbem Moguntiam multo melius, multoque* feli-

(1) *Hæc quoque fama micat*) *Brouverus* habet: *hic quod fana micant*. Et addit: sic correximus, quod vulgo in MS. *hic quos fama micat*, sed vindicant nostram lectionem quæ sequuntur, *& instaurata quod extant*. Ubi tamen alii sicut nos supra.

felicius a Catholicis Regibus restauratam, quam a Paganis Principibus conditam, quia (excepto eo, quod fluminis Rheni propinquior gratia majus quam antea incolis ejus commodum præstare videtur) cum prius superstitione gentili, idololatriæ serviens erat ferrea, nunc Divino cultui mancipata decore Christianæ Religionis est aurea. Hæc illi.

V. In vetere *S. Hilarii* Basilica omnes pene priores 38. Episcopos terræ mandatos fuisse fama est. Ex iis autem, cum primum *S. Albani* excitata fuit Basilica, in eam transtulit Richolphus Archi-Episcopus *S. Aurei* ejusque sororis *S. Justinæ* reliquias, uti refert *in Breviario Lectio* 2. *de S. Aureo Die* 16. *Junii*. Sed *anno Domini* 935. *die* 14. *Martii* Hildebertus Archi-Episcopus e primis illis Episcopis in eamdem Basilicam importavit decem, quorum nomina sunt *S. Crescens*, *S. Marinus*, *S. Gotbardus*, *S. Sophronius*, *S. Maximus*, *Sidonius prior*, *Sigismundus*, *Ludegastus*, *Luthvvaldus*, *Leovvaldus*. De hac sanctorum translatione Pontificum, ait *Trithemius*, quidam eo tempore carmine sic scriptum posteritati reliquit:

A Bonifacio *meruit qui pallia primo*
Is Pater Hilwertus *Archi præsul duodenus*
Comperiens ossa Patrum veneranda relicta
Intra Basilicam nunc Hilarii sacresanctam
E quibus hinc denos transvexit in ordine priscos,
Ut locus in signis conservet pignora dignis.
Attendens merita, simul ipsorum pia gesta
Hinc ut confratres Aureo collaterales
Efficit & tumulo stricto conclusit in isto.
Christi nongentos X. ter, semel V. legis annos,
Ut decimam quartam lucem vult Martius *addam*.

Serarius *lib.* 1. *c.* 31. addit e MS. *S. Hilarii extra civitatem antiquæ Venerationis capella, ubi primum Episcopium fuisse dicitur*. Idem repetit in *Hildeberto* Archiep. ubi tamen lapsum memoriæ admisit, cum pro *decem e primis Episcopis* quos *Hiltibertus* supra jam *lib.* 2. *c.* 26. in S. Albani Basilicam importasse scripsit, *S. Aureum & Justinam* posuerit, quos tamen *Richolfum*, in eamdem e *S. Hilarii* æde religionis studio transtulisse tum ibi, tum *c.* 17. *e Breviario Moguntino* memoravit. Joannis *T.* 1. *p.* 426.

Singula hæc asserta vel soli *Trithemio* opinanti, vel nudæ traditioni vel famæ (dicitur, narratur) neutiquam vero testibus legitime productis innixa nos adeo non convincunt, primum *Maguntiacum* debere inquiri in valle *S. Mariæ*, quin potius ex scriptoribus Romanis invicte demonstratum eamus: prima Civitatis nostræ fundamenta ad oram Rheni jacta fuisse. Quibus præmissis ex ætate Ecclesiarum *S. Joannis* & *S. Martini* ante *Willigisi* tempora successive Cathedralium ad & ultra tempora *Sidonii* producta secure concludemus: Aulam Baptismalem loco cui hodierna Metropolitana inædificata est, vicinam extitisse. A Fundamentis inchoemur.

Anno *Urbis Conditæ* 745. *ante æram Dionys.* 9. Drusus, ut frequentes Germanorum in Galliam irruptiones prohiberet, per omnem Rheni ripam *Quinquaginta Castella* in Gallico solo extruxit, testante Floro *lib.* 4. *cap.* 12. hæc ipsa Flori verba refert Serarius *lib.* 1. *c.* 5. ibique subdit: *Castelli vero nomen interdum etiam pro urbe aliqua ponitur vel urbis certe initio. Unde tot burgi, de quibus in Kilianeis notis cap.* 7. *dixi*. Mirandum hinc, quod modo dictus Serarius a sua sententia satis fundata aversus prima civitatis incunabula in tractu Dalheimensi quæsiverit; unice seductus & singulariter a molibus illis lapideis, quas mœnium reliquias credidit & suspexit, de quibus paulo inferius.

Tam eximiis operibus Drusus intentus trigesimo ætatis anno trigesimo post fatalem ex equo lapsum die morte præventus est in ipsa, cui jugum minabatur, Germania. Quantum Augustus & Roma omnis Drusi jacturam doluerint a Scriptoribus passim traditur, unde & ei præter alios plures honores cognomen Germanici datum, idemque ad filios ejus translatum est. Gallos Rhenenses tam mansueti Præsidis obitum deplorasse vel ex eo apparet, quod *Moguntiaci* honorarius ei tumulus erectus, & stato quotannis die a civitatibus Galliarum circa illum publice supplicatum. Svetonius *in Claud. cap.* 1. Dio *lib.* 55. *pag.* 549. Livii *Epit. lib.* 140. Eutropius *lib.* 7. *cap.* 8. Castellum *Moguntiæ* præcipuum fuisse vel ex eo apparet, quod illud honorario Drusi Monumento præ reliquis castellis quadraginta novem ad Rheni ripam extructis fuerit exornatum.

Validis Gallica Rhenensis ora licet muni-

ta esset præsidiis, Germani tamen eam *A.C.* 26. iterum invadunt atque diripiunt, cum *Tiberius* voluptatibus immersus, omnemque fere Reipublicæ curam abjiciens, nec Præsides, Legatosve in Provincias mitteret aut pristinos mutaret, nec militum præsidiorumque haberet rationem, ut numerum eorum suppleret; magno dedecore Imperii, nec minori Provinciarum discrimine. Svetonius *in Tiberio cap.* 41. Aurelius Victor *in Epit. cap.* 2. Confer. Schopplinus *Tom. I. p.* 219. *Alsatiæ illustratæ*, de Legionibus Rhenensis oræ custodibus & passim *in periodo Romana*.

Apud Grævium *Tom. VII. Thesaur. Antiquit. Roman.* Extat notitia Dignitatum omnium tam civilium quam militarium tempore Romanorum per Gallias; recensentur ibidem Præfecti militum sub dispositione Viri spectabilis *Ducis Moguntiacensis*. Præfecturæ omnes a *Saletione Antonacum* usque numero undecim Rheni oræ adjacentes, hanc contra Germanos tuebantur & sola Magontia, sedes præcipua Ducis, toties a Germanis infestata Rheni ripam relinqueret indefensam & duobus millibus a flumine passibus remota iners in valle quiesceret & secura?

Goswinus *in S. Albani vita cap.* 24. memorat: Cæsar *&* Drusus *terra marique victores hoc speciale privilegium suæ abscribebant potentiæ, ut quamcunque gentem vel regionem armis subigerent, statim eo loci municipia, urbes, arcesque fundarent, deductisque coloniis ad tutamentum Regni in Romanas leges & cæremonias, inque linguam Latialem indigenas cogerent. Testantur hoc urbes & arces per litora Rheni, perque totam* Galliam *ab ipso* Julio *vel auctoritate ejus fundatæ*. Exempla plura subjungit, in iisque post Agrippinam recenset *Moguntiam*.

Beatus Rhenanus *lib.* 3. *Rer. Germ.* 534. ait: Magunciaci *veterum inscriptionum magna copia est, ideo quod Romani ibi semper sint versati*, Limitem Rheni tuentes *& sub posterioribus* Augg. *Præfectus militum Armigerorum & præterea Dux Militaris, qui multas insuper militum Præfecturas gubernabat, illic sedem suam habuerint*. Sive enim locum hunc ab amœno situ, sive a Commoda Præfecturarum ad Rheni oram sitarum inter se communicatione, sive Germanorum callidas & sæpe sæpius attentatas irruptiones in *Galliam* aut *Germaniam* cis-Rhenanam spectaveris, Romani sicut alias civitates ita & nostram quasi sepem Germanis, sibi autem amœnissimum diversorium ad Rheni ripam statuere facile persuasi fuerint.

Quod autem moles illæ lapideæ Monasterio Dalheimensi proxime adjacentes mœnia civitatis Moguntinæ nunquam fuerint, ad oculum cuivis eas eminus & propius consideranti adhuc hodie demonstrari potest; nam pilæ hæ lapidares æqualiter vix non inter se distant, spatiaque intermedia lapidibus cæmentoque quidem obsita fundamentis carent, hinc inferne continua non sunt; idque sæpius examinanti probe innotuit, uti & quod hac ætate nostra moles ejusmodi altissima ex horto Monialium fuerit effossa ab adjacente alia plane separata & inferne non continua. Dein quo magis collem ascenderis versus *Finthen*, moles semper decrescunt; si versus Monasterium descenderis, moles surgunt altiores, immo altissimæ & superne horizontales; neque superiores pilæ cum inferioribus ullatenus quoad altitudinem sunt proportionatæ; Mœnia si fuissent, pilæ residuæ in vertice collis deberent altiores esse & ad pedem humiliores; contrarium autem in Aprico est. Tandem fatentur Ruricolæ, sese plurimas ejusmodi moles aut potius earum radices, ne fulcanti aratro forent remoræ, magno cum labore *Finthenam* versus eruisse, stetisseque has, prout notatum fuit, in una linea usque ad fontem (*Konigsbrunn*) in sylva, quæ eunti ad villam *Finthen* a latere sinistro est, hodiedum extantem. Hæc qui pensitaverit & aquæ ductus Italiæ præsertim Romanos viva mente revolverit, hasce moles aquæ ductui tempore Romanorum inserviisse absque hæsitatione enuntiabit.

Neque tamen crediderim, Civitatem nostram ad Rheni fluenta tantummodo hæsisse; Romani eam salubriori aere, prospectuque amœniori multum illecti extenderunt ultra colles Rheno vicinos; umbrosamque vallem (Dalheim) Tusculanis Laurentianisque, prout Romæ jam tum moris erat, exornare studuerunt. Sat superque hoc indigitant Romanorum reliquiæ *an.* 1734. *&c.* & antea extra portam Novam, nec non in munimentis noviter exstructis a *St. Philippo & Elisabetha* nuncupatis ultra numerum effossæ; puteique altissimi ibidem detecti, aliaque rudera hinc inde in campis residua nullum dubitandi locum

cum

cum relinquunt. Hodie dum novæ plantantur vineæ, agri sulcantur, altiusque effoditur limus, eruuntur *Penates*, *Numismata Romana*, *sarcophagi*, *urnæ*, *lagenulæ lacrymales*, *suppellex domestica &c.* indubia Romanarum ædium eo usque protensarum Documenta.

Reperimus tandem Genuina Urbis Aureæ initia, sed ubi locorum demum inquiremus Aulam nostram Baptismalem, cujus ne obscura quidem supersunt vestigia? Hanc Ecclesiæ Cathedrali, penes quam residere olim soleoant Episcopi, proximam fuisse nulli dubitamus. Disciplinam veteris Ecclesiæ ex supra allatis satis edocti; immo dilucide id ostendit Curia Episcopalis Metropolitanæ hodiedum contigua. Ast, Ecclesia Cathedralis ante modernam. nunc investiganda restat. Tentare saltem, si non assequi, liceat. Antequam Moderna Metropolitana excitaretur a Willigiso *Archiep.* in honorem Ss. Stephani & Martini, alia jam extitit hic Ecclesia ante tempora S. Bonifacii S. Martino *Turonensium Episcopo* sacra. S. Stephanum ante erectam Collegiatam huic Divo sacram in Patronum Metropolitanæ insimul electum esse, constat ex historia Moguntina & ostendit porta Peristilii ædis Majoris superior, cujus postis lateralis, qui ingredienti a dextris est, exhibet imaginem *S. Martini* & ille a sinistris *S. Stephani* incisam lapidi operis antiquissimi. Extitisse autem Ecclesiam *S. Martini* ante ævum *S. Bonifacii*, videre est in Traditionibus Fuldensibus apud Schannat. occurrit ibi *pag. 1.* in Karta vendicionis *Adalprahti* de *Wormacinse* An. 754.... *vendidi unam vineam infra murum civitatis Mogoncie publice* (solœcismos excusat ævum conditarum Traditionum) *quod sunt adfinis de una parte S. Martini & de alia parte, via publica pag. 13. lib. cit.* in Karta Bernharii An. 765..... *Dono vineam unam intus murum Mogoncie civitatis, quod sunt adfinis de una parte murus civitatis, de alia parte Aginoni, tertia parte* S. Martini, *quarta parte Beratruchi pag. 27.* in Karta *Uten* de *Wormacinse* An. 777... *Dono infra civitate Mogoncia areas II. de alia area ex uno latere habet Nandger, ab alio Votilmarus, tertio latere S. Martini, quarto latere via publica ... & dono aliam vineam foris murum civitatis non longe ab Ecclesia S. Victoris, ex uno latere habet Elisabeth, ab alio & tertio latere* S. Martini *quarto latere via publica pag. 45.* in Karta Wolfbaldi de Mogoncia An. 789.... *Trado in Mogoncia civitate publica unam arialem cum duobus mansis id est cum duabus casis ex una parte id est occidentali, ibi erit pars* S. Martini, *similiter ex septentrionali parte S. Martini, ab orientali vero plaga, via publica pag. 51.* in Karta Traditionis Landfrides de Mogontia An. 793... *Trado in Mogoncia illum curtelocum id est Hovestat & omnem edificium quod ibi constructum est mee proprietatis, juxta locum qui illorum civium vel totius vulgarici sermonis dictu nuncupatur ad Hrachatom in ripa Rhenis fluvii ... & sic terminatur in qualicumque parte supra dictus curtelocus id est Hovastat, ita ut in una regione tangitur via Regis & in alia tangitur pars* S. Martini *& in tertia parte Germandes filii Haganen. pag. 65.* in Karta *Adalleici* de Wormacinse An. 799. ... *Dono in Mogoncia civitate aream I. cum casa, cui est ex tribus lateribus* S. Martini, *in quarto latere Domini Regis*. (vestigium hic forte occurrit Palatii Regii in vicinia Metropolitanæ? facere huc etiam videtur memorata in superiori charta *Via Regis* & in eodem tractu etiamnum existens *Vicus Comitum die Brasen-Bass* vulgo *Braben-Bass*) *pag. 70.* in Karta Suvanagarta, Ann. 800. ... *similiter dono vineam unam intus murum Mogoncie civitatis ab uno latere habet* S. Martinus, *ab alio latere habet Gozza, tertio & quarto latere est antiqua mura pag. 92.* in Karta Traditionis *Fastburga* de Wormacinse An. 805. ... *Dono infra muro civitatis Mogoncie areas duas cum domibus, de una area habet ex duobus lateribus* S. Martinus, *tertio latere habet Ajolf, quarto latere est Hrenus....De alia area habet ex uno latere* S. Martinus, *ab alio latere S. Marta, tertio latere. S. Bonifacius, quarto latere Hrenus*. Hæc charta bene, summe autem notanda est Karta ingenuitatis Albuvini An. 819. *pag. 128.* in cuius fine: ... Actum in Mogoncia in Portico Ecclesie S. Martini majore.

Atque ex his tandem illustratur locus ille voluminis Manuscripti Carthusiæ Coloniensis, in cuius præfatione ante vitam *S. Bonifacii* Archi-Episcopi Mog. sic legitur: *Gallia atque Germania Martini se clipeo defendi præcipue*

gloriantur, qui easdem partim absens verbo edocuit, partim sua Venerabili præsentia malis imminentibus liberavit. Sic igitur quemadmodum & Apostoli post transitum suum, sub titulo nominis sui sedes Pontificales habere promeruit; ob singularem credo doctrinam, qua ita Ecclesiam Dei illuminavit, ut neminem primis gentium Doctoribus imitatione proximiorem dicas, si dicta omnia & bonorum operum exempla perlegeris, quæ ipse gessit in vita. Harum, quas dixi, Sedium *una est Turonica, ubi sacri Corporis reliquiæ locum illum omnibus Regum Palatiis honestiorem faciant; altera* Magunciaca, *tertia Trajectensis. Verum hæ duæ, Magunciacam dico & Trajectensem post annos a transitu ejus plurimos ob nimium ejus amorem, privilegio memorando nominis insignitæ sunt, in quibus usque hodie* Martinus *a fidelibus laudatur & honoratur propter admirandas & multiplices sanitates, quas ibidem plerique ægroti a Domino nostro Jesu Christo per suffragia tanti Medici consequuntur.* Serarius *lib. 1. c. 31.* ubi addit, quod auctor MS. se *S. Bonifacii* temporibus non multo posteriorem significet. A Joannide autem in nota ibidem adjecta rem acu tactam non fuisse examinanti patebit. Verba Biographi mox allata probe ponderari merentur; nobis enim innuunt sedem Pontificalem Moguntinam titulo S. Martini insignitam tempore *S. Bonifacii* jam fuisse perantiquam; nam eo ævo dicit auctor: *in hac sede* sc. Magunciaca *usque hodie* Martinus *a fidelibus laudatur & honoratur*. Cum igitur *S. Bonifacius* Martyrio affectus sit juxta Pagi *an. 755.* Biographus autem Bonifacianus de Ecclesia S. Martini tanquam de re valde antiqua loquatur, licet etiam post annos a transitu (Epocha transitus S. Martini incidit in annum 400.) ejus plurimos, licet post integrum seculum & ultra Ecclesia Moguntina *S. Martini* nomine insignita fuerit, facile tamen cum Ecclesia *S. Martini* hic noviter detecta attingemus tempora Venerandi Antistitis Sidonii qui circa *an. 548.* ope Berthoaræ aulam Baptismalem nostram extruxerat.

Accedit ad hæc, supra jam memorata Curia Episcopalis hodiedum residua pro more veteris ævi Ecclesiæ Cathedrali contigua. In ultimis temporibus de illa *Conradi III. A. M.* litteræ An. 1421.... *dass wir angesehen haben. die sunderlich Lieb und Gunst, die wir han zu dem Edlen Dieteric Herrn zu Erbach Dumherrn zu Mentze ... han Wir ime gelihen* Unsern Hoffe, *genannt der Thiergarten, also dass er den sin Lebtag inhaben, und darin wohnen soll, doch mit Behaltnus, so wir zu Mentzesin, dass wir dan Unser Lager, Herberg und Wesen darin haben und halten sollen.* als bisher; *ungeferlich.* citat quoque Joannis *Tom. 1. p. 682.* litteras Theodorici *Archi-Episcopi* ad fratrem suum *Diętherum de Erbach* ann. 1435. signatas, in quibus: Unsern Hof *der Thiergarten genannt und zu Mentz bey dem Dum gelegen*. Extant itidem *Litteræ* perplures *Bauni primi, secundi & tertii* antiquissimæ, quibus insertum plerumque legitur ... *bey offensitzendem Gericht vor Unsers Bischoffs Hof*. Per quæ verba indigitatur: ante Curiam Archi-Episcopi Judicia quondam sub Dio habita fuisse ad mallum, lapidem illum famigeratum tribus fulcris oblique impositum. De hisce judiciis Confer. Sorberi *Commentatio de Comitiis veterum Germanorum*. Neque, quod ante ævum *Willigisi* aliam cathedralem antiquiorem *S. Martini* Ecclesiam supra demonstraverim, prærogativis Veteris Ecclesiæ S. Joannis constanti Traditioni suffultis in minimo derogatum volo, immo potius pro fundanda magis intentione mea indubiis illas novisque documentis illustratum ibo. Quodsi verba Sifridi III. *A. M.* litteris an. 1230. editis inserta & a Gregorio IX. Pontifice aliquot annis post memorata ad litteram interpretari liceat, Ecclesia *S. Joannis* post Vandalicam civitatis Moguntinæ eversionem primo extructa & Cathedralis fuit. Fundamenta hujus rei inquiramus. Sifridus *Archi-Episcopus* fideli Patrum Traditioni quingentis & ultra annis quam nos propior Architecturam Ecclesiæ *S. Joannis* coram intuebatur; ætatem ex structura & ruinis ponderans rescribit Decano & Capitulo modo dictæ Ecclesiæ: *Tanto ad exaudiendum petitiones vestras animum gerimus promptiorem, quanto vos & Ecclesiam vestram ob integritatem devotionis vestræ sinceriori amplectimur benevolentia & favore. Cum igitur edificia & sarta tecta Ecclesiæ vestræ præ nimia vetustate ruinosa appareant, ut non solum detrimentum, sed & deformitatem visus inducant &c....* Huic relationi dein conformiter insistens Gregorius IX. in Brevi Apostolico Capitulo S. Joannis dato ait: ... *Venerabilis*

Fra-

Fetter noster Moguntinus Diœcesanus vester attendens, quod Ecclesia vestra, quæ in civitate Moguntinensi primo dicitur fuisse constructa, ruinam ex nimia vetustate minetur ... Quam firmas ac solidas Architecti veteres excitarint structuras, docet vel unica moles Drusi in monte S. Jacobi, quæ contra omnes temporum injurias ex *Seculo* I. immota perstat & residua, ita ut ejus lapides & cæmentum in unam petram coaluisse crederis. Quodsi ergo Ecclesia *S. Joannis* tempore *Sifridi* præ nimia vetustate ruinam minata fuerit, ætatem satis Grandævam habuerit necessum est, & ut probe id perspectum faciam, argumento ad hominem utor: intuere & examina *Metropolitanæ* hodiernæ structuram; stetit jam septingentis septem & viginti annis; tantum abest ut ruinam minetur, quin potius, si dent superi, totidem adhuc persistere possit annis. Si igitur junioris ævi structuræ ad annos millenos & ultra perdurare queant, da Ecclesiæ *S. Joannis*, quam *Sifridus* ex nimia vetustate ruinæ proximam vidit, tantum octingentos annos & ætatem tunc attigit *S. Hieronymi*, qui sic in memorabili ad *Ageruchiam* epistola: *Innumerabiles & ferocissimæ nationes universas Gallias occuparunt. Quicquid inter Alpes & Pyrenæum est, quod Oceano & Rhodano includitur, Quadus, Wandalus, Sarmata, Halani, Gipedes, Heruli, Saxones, Burgundiones, Alemanni & hostes Pannonii vastarunt*. Maguntiacum *nobilis quondam civitas capta atque subversa est & in Ecclesia multa hominum millia trucidata; Vangiones longa obsidione deleti &c.* Idem legere est in *Fredegarii Fragmentis*, ubi: Chrocus Rex Wandalorum cum Suevis & Alanis egressus de sedibus Gallias appetens, Consilium matris nequissimæ utens, dum ei dixisset: *si novam rem volueris facere & nomen adquirere, quod alii ædificaverunt, cuncta destrue & populum, quem superas totum interfice. Nam ædificia meliora quam præcessores, facere non potes, neque plus magnam rem, per quam nomen tuum eleves;* Qui Rhenum apud *Maguntiam* ponte ingeniose transiens, primum ipsam civitatem & populum vastavit. Contigit hæc vastatio circa an. 407. Et post hæc iniqua temporum fata ponimus initia Ecclesiæ *S. Joannis*. Cumque ex supra deductis & ex traditione summo Pontifici relata primo fuerit constructa, de se patet, eam eo usque saltem fuisse Cathedralem, donec prima *S. Martini* Ecclesia excitaretur.

Nova tandem Metropolitana Basilica ab Archi-Episcopo *Willigiso* magnifice ædificari cœpta *An.* 978. Lapso demum triginta annorum spatio ab eodem perfecta, ipso autem die consecrationis suæ teste Lamberto Schafsnaburgensi incensa est. Manum reædificandis hisce ædibus sacris denuo admovit idem Venerandus Antistes, sed morte præventus eam *Bardoni* Archi-Episcopo absolvendam reliquit, qui restitutam *An.* 1037. sacro cæremoniarum ritu inauguratus est. Quadraginta & novem annos *Willigisus* & *Bardo* impenderunt consummandæ ædi, quo tempore Chorus Metropolitanus profecto non cessavit a Divinis, sed ad antiquam Cathedralem Ecclesiam *S. Joannis* tanquam in sua reversus, peragebat sacra, donec ad novam *S. Martini* Basilicam cum dote & congregatione *S. Joannis* regrederetur. Hac de re Marianus: *S. Bardo*, inquit, *Archi-Episcopus præsente Conrado Imperatore Indictione V. IV. Idus Novembris consecravit Monasterium S. Martini, Sedis Moguntinensis, Archi-Episcopatus, immo omnium Francorum in honore S. Martini cum multis Episcopis & Venerabilibus viris*. Narrationi huic assentitur MS. ita referens: *S. Joannis Basilica Collegiata juxta Metropolitanam Moguntiæ posita non modicæ devotionis extat, quam idem S. Bardo Episcopus pro remedio animæ suæ dotavit. Veteribus ejus rebus cum dote & congregatione in novam S. Martini translatis & in hac veteri S. Joannis, de qua priorem Congregationem transtulerat, prædiis sua industria acquisitis, novam Congregationem restituit*. Cujus mutationis ne intercideret memoria, Majoris Canonici huic *D. Joannis* Collegio quotannis olim præbuere *V. solidos* pro pictantia, ut in veteri quodam *Manuscripto* additur; *hoc est*, portione esculentorum de piscibus & hujusmodi lautiore. Joannis *T.* 2. *p.* 693.

Quod illa Archi-& Episcoporum quondam sedes fuerit, sunt & alia indicia haud obscura; præterquam enim quod delecta sit hæc Ecclesia pro recondendis S. Bonifacii extis, Domini Majoris grato devotoque recognoscentes animo frequentatam olim a se hanc antiquam Cathedralem, peractis secundis vesperis S. Martini Episcopi stationem celebrant

ad

ad Ecclesiam S. Joannis, ubi solemne Dedicationis festum peragitur, cantant ibidem Completorium, & die insequente integrum persolvunt officium Divinum. Notat Codex MS. non junioris ævi, quod hac die Major Ecclesia teneatur interesse in Ecclesia S. Joannis omnibus horis; *in Matutinis Lectiones legant Canonici S. Joannis, quartum, quintum & sextum versum cantabunt Vicarii Majoris Ecclesiæ, septimum versum Capellani Regis & Episcopi, octavum Canonici Majoris*. Ad hæc Archi-presbyter Moguntinus *An.* 1300. suas adhuc celebrabat synodos in hac Ecclesia. Verba ex Originali profero: ... *Nos Heinricus de Rodinstein Canonicus & Archipresbiter Maguntinensis ... incolæ villæ Filzbach in futurum nostram synodum apud Ecclesiam S. Joannis Moguntin. visitabunt & ad ipsam synodum dictis temporibus universi & singuli venient, qui ad ipsam synodum veniendi cum aliis civibus Moguntinensibus de jure sunt astricti &c.* Diploma integrum cum alio, quod agit de auctoritate & jurisdictione Archi-presbyteri in Opifices & Institores Mogunt. circa sanctificandos Dies Dominicos & Festos, alibi dabimus. Ex prædeductis concludimus: certum partim & vero saltem quam simillimum esse, Cathedram *S. Joannis* & *S. Martini* in hoc tractu civitatis, quo nunc Metropolitana eminet, jam ante tempora *Sidonii* extitisse. Cum igitur muneris Episcopalis fuerit solemne baptisma conferre, Cathedrali ejus Ecclesiæ baptisterium plerumque (prout etiam hoc die videre licet) vicinum fuit; hinc de *Sidoniana Baptismali aula*, quam in valle *S. Mariæ* non amplius inquirendam arbitramur, ut idem teneamus, paritas rationis iubet.

Aulæ huic successit Ecclesia B. M. Virginis ad Gradus, si non in uno eodemque loco, saltem in eminenti Auctoritate habendi Baptisterium Episcopale.

CAPUT IV.

Ad Baptisterium Moguntinum confluunt etiam longius a Civitate dissiti, tempore Paschatis & Pentecostes baptizandi.

Assertum hoc ut comprobemus, adducere juvat *Canonem XII. Concilii Triburiensis* pro reformanda Disciplina Ecclesiastica *An.* 895. celebrati, ubi circa Baptisma celebrandum sic statuitur:

Sacrosanctum Baptismi mysterium sciant omnes in Christo regenerati, non nisi præfixis & legitimis in anno celebrari temporibus, cum hoc sibi privilegium, ut in epistola *Siricii Papæ* legitur *cap.* 2. & apud nos & apud omnes Ecclesias specialiter cum Pentecoste sua Dominicum Pascha defendit; in quo, ut legitur in *epistola Leonis Papæ cap.* 9. Orta est & virtus muneris & species actionis. Ad cujus rei confirmationem plurimum valet, quod ipse Dominus Jesus Christus, postquam resurrexit a mortuis, discipulis suis formam & potestatem tradidit Baptizandi dicens: *Matth.* 28. *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti*. De quo utique ante passionem potuisset eos instruere nisi proprie voluisset demonstrare, regenerationis gratiam ex sua resurrectione cœpisse. Additur sane huic Observantiæ etiam Pentecostes ex adventu Sancti Spiritus Sacra solemnitas, quæ de Paschalis Festi pendet articulo. Nam cum ad alios dies alia festa pertineant, hæc semper ad eum diem recurrit, qui resurrectione Domini est insignis, porrigens quodam modo manum auxiliantis gratiæ & eos invitans, quos a die Paschæ aut molestia infirmitatis aut longinquitas itineris aut navigationis difficultas interclusit. (1) Ut desiderii sui effectum dono Sancti Spiritus consequantur. Ipse enim Unigenitus Dei, qui in Pascha resurrexit, in fide credentium & in virtute operum nullam inter se & Spiritum Sanctum voluit esse distantiam, quia nulla est diversitas in

(1) Nemo presbyterorum baptizare præsumat, nisi in civitatibus atque temporibus constitutis, nisi ex causa ægritudinis vel certe necessitatis; Et loca illa auctoritatem & privilegia debita retineant. *Burchardus VVormat. in locis comm. ex Concil. Meldens. cap.* 48.

in natura; unde utrique sit proprium, non dissimile esse festum, ubi unum est Sacramentum; sicut tunc, ita & nunc in remissionem peccatorum Baptismi celebretur Sacramentum, qui idem Spiritus Sanctus, cujus hic celebramus adventum, est remissio omnium peccatorum. (1) Trina namque in Baptismate immersio triduanam imitatur sepulturam, & ab aquis elevatio instar est resurgentis de sepulchro. Periculo quocumque modo præoccupatis & desperatis omni tempore subveniendum & Baptismi Sacramentum est tribuendum, quia necessitas vix habet legem; si enim valida infirmitate occupati & desperati ad Ecclesiam provehi non possint, loco mundo perspecto Baptisma celebretur & procuratione presbyteri caute observetur & collocetur; usque ad octavum namque diem ipsa regeneratio sacra ab omni Christiano populo celebrabitur, quia resurrectio Domini octo diebus colitur. *Harduin. collect. Concil. Tom. VI. pag.* 442.

Ex prædeductis liquido satis apparet: solum Episcopum olim ministrum Baptismatis Ordinarium, hinc unicum quoque in Civitatibus, in quibus residebant Episcopi, Bapti-ste-

(1) *Trina immersio.*) *Seculo IX.* quæstio oriebatur an Trina an unica immersione baptizandum sit? *Concilium VVormatiens. annum 868. Canon. V.* sic statuit: Dum quidam sacerdotes in quibusdam partibus terræ trinam, quidam simplam mersionem faciunt, a nonnullis schisma esse conficitur & unita fidei scindi videtur. Nam dum partes diversæ & quasi contrario modo agant, alii alios non baptizatos esse contendunt. Proinde quid a nobis in sacramenti diversitate finiendum sit, Apostolicæ sedis informemur præceptis, non nostram sed paternam institutionem sequentes. Beatæ igitur memoriæ *Gregorius* Romanæ Ecclesiæ *Pontifex* efflagitante sanctissimo *Leandro* Episcopo de hac diversitate quid potius esset sequendum inter cætera rescribens, sic ait: De trina vero mersione Baptismatis nihil responderi verius potest, quam ipsi sensistis; quia in una fide non officit sanctæ Ecclesiæ consuetudo diversa. Nos autem, quod tertio mergimus, triduanæ sepulturæ sacramenta signamus, ut dum tertio ab aquis infans educitur, resurrectio triduani temporis exprimatur. Quodsi quis forte etiam pro veneratione summæ Trinitatis æstimet fieri, neque ad hoc aliquid obsistit, baptizandum semel in aquis mergere, quia dum in tribus subsistentiis una substantia est, reprehensibile esse nullatenus poterit infantem in baptismate vel ter vel semel mergere, quando & in tribus mersionibus personarum Trinitas & in una potest Divinitatis singularitas designari. Quodsi nunc usque ab hæreticis infans in Baptismate tertio mergebatur, finiendum apud vos esse non censeo, ne, dum mersiones numerant, Divinitatem dividant; dumque quod faciebant, faciunt, morem vestrum se vicisse glorientur. Quapropter quia de utroque sacramento quod fit in Sancto Baptismo, a tanto viro reddita est ratio, utrumque tectum, utrumque irreprehensibile in sancta Dei Ecclesia habeatur. Et ne forte cuiquam sit dubium hujus simplex mysterium sacramenti, videat in eo mortem & resurrectionem Christi significari. Nam in aquis mersio, quasi in infernum descensio est, & rursum ab aquis emersio, resurrectio est. Item videat in eo unitatem Divinitatis & Trinitatem personarum ostendi, unitatem, dum semel mergimus; Trinitatem, dum in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti baptizamus. Panditur hujus singularis baptismatis mysterium etiam Sacrarum Scripturarum exemplis, Paulo Apostolo attestante 1. *Cor.* 10. *Nolo vos ignorare fratres, quoniam Patres nostri omnes sub nube fuerunt, & omnes mare transierunt, & omnes in Mose baptizati sunt in nube & mari.* Mare quippe rubrum significat baptismum Christi sanguine consecratum, per quod populus Dei semel transiit. Ibi tamen tota erat Trinitas, præcedens populum in columna ignis & nubis; in igne quippe significatur Pater, in columna Filius, in nube Spiritus Sanctus. Jordanis quippe fluenta cum arca populus Dei semel transit, per quod significatur simpla mersio baptismatis, cujus Sacramento Ecclesia abluitur & de sæculi hujus laboribus per Baptismum quasi per Jordanem ad terram cælestis repromissionis ingreditur. *Harduin. Collect. Concil. Tom. V. pag.* 738.

sterium Episcopale extitisse, ad quod baptizandi per longinqua etiam itinera temporibus præfixis convenire debuerant; mentem nostram itidem circa situm Baptisterii in civitate nostra candide non minus quam fundate aperuimus. Sensis autem hisce nostris obstare videtur solemnis *Herioldi* Daniæ Regis Baptismus, quem celebratum ajunt in Monasterio *S. Albani* Moguntiæ; ita enim *Annales Eginhardi* ad *an.* 826. *Heriboltus cum uxore & magna Danorum multitudine veniens Moguncíaci apud S. Albanum baptizatus est*. (1) Nullatenus tamen a sententia nostra discedendum putem, cum e synchronis demonstrari valeat: Baptismum *Herioldi* non ad *S. Albanum* Moguntiæ, sed *Ingelhemii* (2) ubi *Ludovicus Pius* tunc morabatur, celebratum fuisse. Audiamus *Ermoldum Nigellum* Abbatem auctorem coævum de rebus gestis *Ludovici Pii* Augusti ab *an.* 781. usque ad *an.* 826. elegiace cantantem, apud *P. Bouquet de la Congregatione de S. Maur dans le Recueil des Historiens des Gaules & de la France Tom. VI. fol.* 56. ibi:

> Ebo (3) *redit gaudens, lucrisque Propheta futuris*
> *Æstuat, & Regi vota placenda refert;*
> *Qualiter* Heroldus (4) *Denorum Rector opimus*
> *Sacra lavacra Dei suscipienda petat.*
> *Cæsar at deinde pius grates persolvit opimas*
> *Cuncti Patri Domino, qui dedit omne bonum;*
> *Et jubet extemplo Imperii per jura subacti*
> *Omnibus obnixo, solvere vota Deo;*
> *Scilicet ut Christus, qui mundum sanguine totum*
> *Salvavit, redimat hos quoque ab hoste malo,*

En-

(1) Idem referunt *Pithæani Annales* e quibus *Rhegino* desumpsit; sic autem rem enarrant: *Mense Majo apud Ingalenheim* (Ingelheim) *habito conventu diversarum gentium legationes auditas absolvit* (Imperator Ludovicus Pius) *quo tempore Herialdus cum uxore & magna Danorum multitudine apud Moguntiam baptizatus est*. Et in ipsius Ludovici vita: *Herialdus e Nordmanniæ partibus cum uxore veniens, Danorumque non parva manu, Moguntiaci apud S. Albani cum suis omnibus sacri Baptismatis unda est perfusus, plurimisque muneribus ab Imperatore donatus*. His accedunt *Mabillonius in Annal. Bened. ad. annum* 826. & *Serarius Lib. IV. Rer. Mog.* Annales solummodo *Eginhardi* e vestigio insecuti. *Theganus* apud *Serarium* male allegatur & truncate, utpote qui apertis asserit verbis Baptisma *Herioldi* in *Ingelheim* celebratum fuisse. *vid. infra* not. 16.

(2) *Ingelheim* vocatur subin in *Eginhardi* Annalibus *suburbium Moguntinum*; tribus horis distat *Moguntia*, situm olim ad Rhenum propius. Palatium ibi magnificum & celebre a *Carolo M.* conditum, de quo *Poeta saxo in Annal. Caroli cap. postremo:*

Ingelenheim dictus locus est, ubi condidit aulam
Ætas, cui vidit nostra parem minime. Nunc Palatinatus Rhenani oppidum est. Palatium multis olim nominibus celebre ultimas exhibet ruinas.

(3) *Ebo*, *Ebbo Rhemensis Episcopus*, vir in Historia Ecclesiastica multum nominatus tum ob prædicatam inter *Danorum* populos tunc idolis servientes, Christi fidem, tum ob turbas deinde ab eo motas in *Ludovicum Pium Augustum*. *Pagius Baronium* secutus *Ebbonis* Missionem collocat ad *an.* 823. eamque in rem *Eginhardi* verba adfert: *Ebbonem Remorum Archi-Episcopum, qui consilio Imperatoris & Pontificis auctoritate prædicandi gratia ad terminos Danorum accesserat & æstate præterita multos ex eis ad fidem venientes baptizaverat, regressum fuisse*. Ebbonis igitur sacra expeditio spectat ad *annum* 822. neque corrigendi cum *Pagio*, sed amplectendi *Annales Fuldenses*, qui ad *annum* 822. habent: *Ebbo Remorum Episcopus genti Nordmannorum Evangelizavit verbum Dei*. Turbarum reus in synodo apud *Theodonisvillam* habitus: & depositus est *Ebbo anno* 835. sedi tandem suæ restitutus *Lotharii* Imperatoris edicto a quibusdam Episcopis Germaniæ & Galliæ in Palatio Ingelheimensi *an.* 840. *Sirmondus in Collect. Conciliorum ad hunc annum*.

(4) Varie nominatur ab Auctoribus, *Herialdus*, *Arialdus*, *Arnoldus*, *Heroldus*, *Herold*, passim *Herioldus*.

Engilin *ipse pius placido tunc tramite* Heim(1)
Advolat induperans (2) *conjuge cum sobole.*
Est locus ille situs rapidi prope flumina Rheni,
Ornatus variis cultibus & dapibus.
Quo domus alta patet centum perfixa columnis,
Quo reditus varii, tectaque multimoda.
Mille aditus, reditus, millenaque claustra Domorum,
Acta Magistrorum artificumque manu.
Templa Dei summo (3) *constant operata metallo*
Ærati postes, aurea & ostiola.
Inclita gesta Dei, series memoranda virorum
Pictura insigni quo relegenda patent:
Ut primo ponente Deo, pars læva recenset,
Incolitant homines te, Paradise, novi.
Inscia corda mali serpens ut perfidus Evæ
Temptat, ut illa virum, tangit ut ipse cibum.
Ut Domino veniente tegunt se tegmine ficus
Ut pro peccatis jam coluere solum.
Frater ob invidiam fratrem pro munere primo
Perculit, haud gladio, sed manibus miseris.
Inde per innumeros pergit pictura sequaces
Ordine, sive modo dogmata prisca refert.
Utque latex totum merito diffusus in Orbem
Crevit, & ad finem traxit ut omne genus.
Ut miserante Deo paucos subvexerat arca,
Et corvi meritum, sive, Columba, tuum.
Inde Habrahæ *sobolique suæ pinguntur & acta* (4)
Joseph *seu fratrum &* Pharaonis *opus.*
Liberat ut populum Ægypto jam munere Moses
Ut perit Ægyptus, Israel *utque meat.*
Et lex dante Deo geminis descripta tabellis,
Flumina de rupe, deque volucre cibus.
Et promissa diu quo redditur hospita tellus,
Ut Jesus *populo Dux bonus exstiterat.*
Jamque Prophetarum, Regum præmagna caterva
Pingitur, acta simul & celebrata nitent.
Et Davidis *opus,* Salomonis *& acta potentis,*
Templaque Divino ædificata opere.
Inde Duces populi quales quantique fuere,
Atque sacerdotum culmina seu procerum.
Altera pars retinet Christi vitalia gesta (5)
Quæ terris missus a Genitore dedit.
Angelus ut primo Mariæ *delapsus ad aures,*
Utque Maria *sonat: Ecce puella Dei.*
Nascitur ut Christus, *sacris longe ante Prophetis*
Notus, & e pannis volvitur utque Deus.
Ut pia pastores capiunt mox jussa Tonantis,
Cernere moxque Deum quo meruere Magi.
Ut furit Herodes, *Christum succedere credens*
Perculit ut pueros, qui meruere mori.
Ut fugit Ægypto Joseph, *puerumque reportat,*
Crevit ut ipse puer, subditus utque fuit.
Ut baptizari voluit, qui venerat omnes
Sanguine salvare, qui periere diu.
More hominis ut tanta tulit jejunia Christus,
Ut

(1) *Engilinheim.* vid. supr. *not.* 2.

(2) *Induperans* metri gratia apud Poetas sumitur pro *Imperans* acta *S. Cassiani* Mart. apud Illust. *Fontaninum* ad calcem *Antiqu. Arnoldus*, 345. ubi de *Juliano Apostata*:

> Unde erga Sanctos bellum commoverat excors.
> *Induperans* perimi & nullum super arva pacisci.

Inter latinos vocem Induperator usurpavit *Juvenalis satyra*. 4. *Odo* in Carmine *de varia fortuna Ernesti Bavariæ Ducis apud Martene Tom.* 3. *Anecd. Col.* 374.

(3) *Summo.* fort. summi.

(4) Fort. *sobolisque suæ.*

(5) Ex parte dextra Basilicæ Ingelheimensis Historia Novi, ex parte sinistra, Veteris Testamenti depicta videbatur.

Ut temptatorem perculit arte suum.
Ut pia per mundum docuit mox munia Patris,
Reddidit infirmis munia prisca pius.
Mortua quin etiam ut reparavit corpora vitæ,
Dæmonis arma tulit, expulit utque procul.
Discipulo ut tradente fero, sævoque popello
More hominis voluit ut Deus ipse mori.
Ut surgens propriis apparuit ipse ministris
Utque polos palam scandit & arva regit.
His est aula Dei picturis arte referta,
Pleniter artifici rite polita manu.
Regia namque domus late persculpta nitescit,
Et canit ingenio maxima gesta virum (1).
His aliisque actis clare locus ille nitescit,
Pascitur & visu, cernere quosque juvat.
Illic ergo pius Cæsar dat jura subactis,
More suo regni rite revolvit opus.
Ecce volant centum per Rheni *flumina puppes,*
Velaque candidolis consociata modis.
Denorum populis oneratæ munere, nec non
Heroldum (2) *Regem prima carina vebit,*
Te Hludowice *petens. Debetur hoc tibi munus,*
Qui facis Ecclesiæ crescere rite decus.
Jamque propinquabant ripæ, portumque tenebant,
Cæsar ab excelsa hæc prospicit arce Pius.
Mathfridumque *jubet; juvenum comitante caterva*
Ocius occurrat pro pietate viris.
Mittit equos faleris multos ostroque paratos,
Qui revehant homines ad sua tecta novos.
Francisco (3) *subvectus equo* Heroldus *adibat,*
Conjux atque Domus cuncta venire parat.
Cæsar eum gaudens celsa suscepit ab aula,
Ordinat expensas, distribuitque dapes.
Heroldus *Regem adclinis affatur opimum,*
Incipit ore sua vota referre prior:
Cæsar opime, tuas quæ res me vexit ad arces
Meque Domumque meam & genus omne simul
Incipiam narrare, jubet si vestra potestas,
Cæsareis promptus auribus atque canam.
Namque diu Patrum sectatus jura priorum
More mei generis hactenus usque tuli.
Et mea sacra meis semper Dis atque Deabus
Persolvi supplex & pia vota dedi.
Scilicet ut horum suffragia regna paterna
Servarent, populum, prædia sive lares:
Auferrentque famem, seu noxia cuncta potenter
Abstraherentque, darent prospera cuncta suis.
Ebo *sacer vester dudum Northmannica rura*
Ingrediens, aliter prædicat atque probat;
Namque canit cæli terræque marisque creantem
Esse Deum verum, quem decet omne decus;

Qui

(1) Sequitur in poemate descriptio picturarum, quæ exornarant Aulam Regiam; dein *Ermoldus* pergit: *His aliisque actis &c.*

(2) Tres adventus *Heroldi* Danorum Regis ad *Ludovicum Augustum* statuendi sunt. Primus ad *annum* 814. spectat ut infra notabitur. Secundus in *Eginbardi* annalibus, aliisque Chronologis refertur ad *an.* 823. quo is ad *Ludovicum* accessit, auxilium petens contra filios *Godefredi* qui eum patria pellere minabantur. Tertius vero *ad an.* 826. quo *Herioldus* baptizatus est & de hoc agit Poeta noster:

(3) *Francisco.*) Francico, Gallico. *In Annal. Franc. an.* 778. *Francisca* lingua sumitur pro Gallica. Vestitus patrius id est *Franciscus*. Apud *Eginbardum in vita Caroli M. pag.* 102. *Cuspis Franciscus, miles Franciscus, Franciscus mos*, apud *Hermoldum* nostrum Lana Gallica Italis dicitur *Francisca*, teste *Polydoro Vergilio lib.* 1. *Hist. Anglic.* quippe veteres Etrusci *Franciscos* appellabant, quos alii *Francos. Du. Fresne glossar.*

Qui geminos homines luti de semite primo
Fecerat, unde genus crevit in orbe virum.
Ille Deus summus natum transmisit in arva,
De cujus latere sanguis & unda fluit.
Hæc (1) *lavit mundum miserans mox crimine ab omni*
Atque renascenti cælica regna dedit.
Filius ille Dei Christus *vocitatur Jesus,*
Cujus chrisma beat nunc genus omne pium.
Hunc nisi confessus fuerit quisque esse Tonantem
Et pia Baptismi munera suscipiat,
Tartarei invitus properabit ad ima profundi,
Quo male Dæmonibus consociandus erit.
Ast quicumque cupit cæli conscendere sedem,
Quo manet omne bonum & procul omne malum.
Jam fateatur eum verum esse Deumque hominemque
Expurget nec non corpora fonte sacro.
In Patris & Nati seu nomine Flaminis almi
Membra salutiferis ter quoque mundet aquis.
Hic Deus est unus, quamvis sint nomina trina,
Par honor atque decus est, fuit, est, quoque erit.
Cætera, quæ manibus constant præficta, metalla
Idola vana vocat Præsul & esse nihil.
Hanc mihi, Cæsar amans, Præsul sanctissimus Ebo
Esse fidem vestram censuit ore suo.
Cujus ego exemplo verbis recreatus honestis,
Credo Deum verum, respuo sculpta manus.
Idcirco ad vestrum properavi remige regnum,
Ut mihi vestra sedes consociata foret.
Cæsar ad hæc Herolde *Tibi quæ poscis amice,*
Rite dabo, & grates inde rependo Deo;
Quo miserante, diu sectatus jussa celidri (2)
Christicolam tandem poscis adire fidem.
Ecce parate jubet, cuncti concurrite, Cæsar
Munera Baptismi rite parate, decet. (3)
Candidolas vestes quales gestare decebit
Christicolis, fontes, Chrisma seu latices.
Ordine bis gestis, sacris quoque rite paratis,
Cæsar & Heroldus *tecta sacrata petunt.*
Cæsar honore Dei (4) Heroldum *suscepit ab undis,*
Vestibus albidulis ornat & ipse manu.
Judith (5) *Reginam* Heroldi *pulcra Induperatrix* (6)
Fonte levat sacro, vestibus atque tegit.
Hlutharius *Cæsar*, Hludovici *filius almi*
Heroldi *natum sustulit a latice.*
Regis honoratos proceres relevantque decorant,
Ast alios plures turba levavit aquis.
O Hludowice *Deo quantas das magne catervas,*
Quantus odor Christo, te faciente, meat?

Hæc

(1) Fort. *hae lavit.*

(2) *Celidrus*. Chelydrus, Chelyndrus est idem ac Coluber. *Alanus in Parabol. c. 6. nonne Chelyndrorum moriuntur morsibus illi?* apud scriptores Ecclesiast. & in vitis sanctorum: *Diabolus* indigitatur. *Beda in S. Guthberto cap. 11. ne vaga pestiferi ludat vos aura chelydri. Jonas in vita S. Eustasii Abb. Luxov. n. 8. Exarsit more solito lividus adversus sanctorum famam Chelydrus.*

(3) Forte: *Parare decet.*

(4) Theganus de Gestis *Ludovici Pii*, *sequenti*, ait, *anno* (id est 826.) *erat in Palatio Ingulenheim & ibi ad eum venit Eriolth de Dania, quem Dominus Imperator elevavit de fonte Baptismatis.*

(5) Theganus prioribus addit (4) *& uxorem ejus elevavit de fonte Domna Judith Augusta.*

(6) Vid. supra: *Induperare* ad Not. 2.

Hæc tibi lucra diu, Princeps, servata manebunt,
Abstrahis ore lupi, quæ facis esse Dei.
Vestibus albatus Herold, *seu corde renatus*
Jam Patris eximii candida tecta subit.
Cæsar ei celsus prægrandia munera donat,
Qualia Francorum gignere rura valent:
Consertam chlamydem gemmis seu murice rubro,
Aureus in gyro quam quoque limbus arat.
Dat lateri insignem Cæsar, quem gesserat, ensem,
Aurea quem comunt cingula rite data.
Aurea mox geminos constringunt vincla lacertos,
Femora gemmatus balteus ejus obit.
Et caput insigni donatur rite corona,
Perstringuntque pedes aurea plectra suos.
Aurea per dorsum resplendent tegmina latum,
Ornanturque manus tegmine candidulo!
Munera præterea matronæ regia Judith
Congrua namque dedit, gratificumque decus;
Scilicet ex auro tunicam gemmisque rigentem,
Conficit, ast qualem arte Minerva sua.
Aurea vitta caput gemmis redimita coronat,
Atque munile tegit pectora grande nova.
Flexilis obtorti per collum it circulus auri,
Armillæque tenent brachia fœmineæ.
Femora lenta tegunt auro gemmisque peracta
Cingula, dorsa tegit aurea cappa suum.
Nec minus interea Hlutharius *ornat amore*
Heroldi *natum vestibus aurigeris.*
Cætera namque cohors Francisco more paratur,
Vestimenta sibi Cæsar amore dedit.
Interea Missarum aderant jam sacra parata,
More vocat signum ad culmina sacra homines &c. &c.

Integrum hoc poema si excutias nihil de *Moguntia*, nihil plane *S. Albani* Basilica in eo reperire est, immo satis aperte rem tradit peractam in *Ingelheim*, ubi *Herioldus* advenisse, a *Ludovico Pio* peramanter exceptus, expositisque votis suis e sacro fonte levatus esse in magnifica Basilica Ingelheimensi graphice describitur.

Neque aliter scripto reliquit *Theganus N.* 4. relatus; quibus igitur synchronis adhærendum magis quam *Eginhardi Annalibus*, qui non tam certo Auctore feruntur. *Otgarius* Archi-Episcopus Moguntinus Regios hosce hospites sacro baptismate lustravit. *Cointius ad an.* 826. *n.* 23. putat superstitem in vivis tunc fuisse *Haistulfum* Archi-Præsulem & hinc Serarium nonnullosque alios, qui tradunt, *Otgarium* ejus successorem Regem & Reginam baptizasse deceptos esse; verum, cum satis constet *Otgarium* an. 825. sedem Moguntinam adiisse, diremta nunc hæc controversia. *Pagi ad an.* 826. *n.* 14. *p.* 529.

Poema nostrum inter *scriptor. Rer. Ital. Tom. II.* ex vetustissimo Codice Cæsareæ Vindobonensis Bibliothecæ editum est cum notis a *Ludovico Antonio Muratorio* Seren: Ducis Mutinæ Bibliothecæ Præfecto. *Daniel Nesselius in sciagraphia Magni Corporis Historici an.* 1692. *Vindobonæ edita de MS. Codice Unico*, ubi poema *Ermoldi Nigelli* delitescebat, ait: Scriptura Codicis perantiqua est & cæteris temporum *Caroli Magni* & *Ludovici Pii* Manuscriptis Codicibus simillima; ideoque affirmare ausim hunc vel illum ipsum esse authenticum Codicem, qui Imperatori *Ludovico Pio* oblatus est, vel saltem eodem ævo ex illo esse descriptum. Fuit is olim, priusquam in Augustissimam Bibliothecam Cæsaream translatus est *Viri Cl. VVolffgangi Lazii*, ut apparet non solum ex propria ipsius manu, quæ nonnullis locis in margine cernitur, verum etiam ex testimonio *Johannis Jacobi Frisii*, quod in Bibliotheca Gesneriana ab illo auctius edita exstat his verbis: *Ermoldi Nigelli* exulis ad *Ludovicum Pium* Imperatorem de rebus ab eo gestis Libri quatuor elegiaco carmine conscripti exstant *Viennæ* Austriæ apud *VVolffgangum Lazium*.

CA-

CAPUT V.

Ecclesia B. Mariæ V. ad gradus (1) hodiedum asservat Baptisterium Episcopale, ad quod stationes e Metropolitana haberi solitæ satis innuunt Antiquorum & supra recensitorum rituum vestigia.

Conferamus nunc antiqua cum præsentibus: BAPTISTERIUM EPISCOPALE, quod in fronte hujus opusculi Moguntinum per excellentiam compellavimus a Præposito, Decano & Capitulo Ecclesiæ Moguntinæ a pluribus sæculis haberi & teneri debuit & consuevit, prout innuunt litteræ *Henrici III. A. M. an.* 1329. Decano & Capitulo B. Mariæ V. ad gradus datæ, quarum tenor est:

Henricus D. G. sce Moguntinæ sedis Archi-Episcopus, sacri Imperii per Germaniam Archi-Cancellarius, Dilectis in Xpo Decano, & Capitulo Ecclesiæ S. *Mariæ* ad gradus Mag' salutem in Domino.

Cum in Ecclesia vestra causa devotionis pro exoranda in ea Beata Maria Virgine & Divina gratia imploranda frequens & magnus sit populi concursus, ac multoties ipsa ecclesia, que arcta fore dignoscitur, venientes ad eam non sine magna & interdum nociva pressura hominum, recipiat difficulter, aliquando etiam nonnulli, qui ad eam venire desiderant ipsam intrare non valeant præ pressura; Nos ex his & aliis certis, veris & rationabilibus causis Nos ad hoc moventibus volentes per nostram sollicitudinem pastoralem super hoc, & prout etiam ad nos pertinet, providere; volumus, mandamus & præsentibus ordinamus, quod *Baptisterium* seu *Fons Baptismalis*, vestram Ecclesiam in præmissis & aliis impediens, quod quasi in medio Corporis vestræ Ecclesiæ per Honorabiles Viros Præpositum,

(1) Occurrit jam ad an. 805. *Ecclesia S. Mariæ* in Traditionibus Fuldensibus pag. 92. in charta Traditionis Fastburga de Wormacinse, ubi .... *Dono infra muro civitatis Mogoncie areas duas .... de alia area habet ex uno latere Sanctus Martinus, ab alio latere Sancta Maria, tertio latere Sanctus Bonifacius, quarto latere Hrenus*. Sed cum incertum sit, an hæc Ecclesia *Sanctæ Mariæ*, nostra, de qua agimus, fuerit, ad certiora convertimur. Hodiernæ Ecclesiæ *B. Mariæ Virginis ad gradus* (zu den greden dictæ) initia reperimus circa finem seculi Decimi, ubi *Willigisus* Archi-Episcopus hisce sacris ædibus Valvas æreas, (2) præclara Medii ævi monumenta, donaverat. Hanc Ecclesiam tum temporis Unicam Baptismalem *Sifridus I.* Archi-Episcopus seculo undecimo in Collegialem evexit. (3)

(2) Teste hac, in earumdem medio ab una valva ad alteram proccurrente scriptura: *Willigisus Archi-Episcopus valvas ex Metalli specie effecerat primus*. Notari præterea meretur, quod Privilegium ab *Adelberto I.* A. Moguntinensibus concessum, ut eo securius ab omni oblivionis injuria præservaretur, valvis istis sit incisum. Vid. *Gud. Tom. 1. p. 116.*

(3) *Marianus Scotus* Collegialis ad gradus Epocham annotavit: *Anno 1069. Ego miser Marianus jussu* (Sifridi I.) *Episcopi Moguntinensis & Abbatis Fuldensis feria VI. ante Palmas, III. Non. Aprilis post annos 10. meæ inclusionis solutus, secundo includor. Consecratio novi Monasterii S. Mariæ in Moguntia 9. Calend. Decembr.* Trithemius in *Chron. Hirsaug.*: *Anno 1071. Constituit etiam idem Archi-Episcopus claustrum B. Mariæ semper Virginis ad gradus in Civitate Moguntina, quod multis prædiis & ornamentis dotavit*. Coincidunt igitur secunda inclusio *Mariani* & consecratio *novi Monasterii S. Mariæ* in unum annum & diem supra notatos. Quod vero nova Collegialis appellatur monasterium, pro stylo illius ævi est, quo Canonici in Communi vivebant. Superest in Curia Decanali commune quondam Fratrum Refectorium nec non Campana operis antiquissimi non arte fusoria, sed malleis & clavis compacta, quæ e communi Dormitorio vocabat ad preces, ad communem mensam, ad studia &c. &c. Confer Eruditam *Dissert. cl. Durr. de Monasterio S. Martini*.

tum, Decanum, Capitulum, Canonicos & personas nostræ Majoris Ecclesiæ Moguntinæ haberi, & teneri debuit seu consuevit, per eos deinceps sub modo, & forma, dispositione, & quantitate, quibus & prout per ipsos hucusque habitum est, & nequaquam aliter, habeatur. (1) Et quod nihilo minus dictum *Baptisterium*, ut sit ante altare *Bti Andreæ Ap.* in dicta Ecclesia situm & nullatenus alibi ponatur & poni debeat, competenti tamen spatio inter ipsum altare & dictum *Baptisterium* derelicto; cum ibi minus quam in alio loco vestræ Ecclesiæ, dicta vestra Ecclesia per præfatum Baptisterium in præmissis & aliis occupetur. Consuetudinibus, Ordinationibus seu statutis in contrarium hucusque habitis non obstantibus quibuscumque. Datum *Moguntiæ* Anno Domini MCCCXXIX. 17. Kal. Januar.

Quod autem hæc Archi-Episcopi ordinatio ad effectum mox deducta non fuerit, fecere tempora turbulenta, contentio inter duos Archi-Episcopos, dissidia inter clerum & cives, frequens totius cleri ex urbe discessus, & bella funestissima catenatim insecuta. Remansit igitur Baptisterium in medio Ecclesiæ usque ad annum 1700, quo translatum est facellum *S. Ægidii* vel sic dictum chorum parochialem.

Pertinet hoc Baptisterium ad Ecclesiam Metropolitanam, quæ illud sub modo & forma, dispositione & quantitate, quibus & prout hucusque habitum est (verba sunt præfati Diplomatis *Henrici III. A. M.*) habere & tenere debuit. Hinc Benedictio Fontis Baptismalis peragitur a Prælato (vid. præfatio) vel hebdomadario chori Metropolitani. Infantes in Plebania Metropolitanæ nati ab ejusdem Parocho hic sacro regenerantur lavacro, Parochus vero Ecclesiæ Collegiatæ B. M. V. ad gradus ab Episcopali hoc Baptisterio tanquam re aliena manus reverenter abstinet & infantes in tractu suo parochiali natos baptizat in Collegiata S. Mauritii.

Baptisterium eminebat quondam in medio Ecclesiæ ferreis clathris undique septum, & ut hodie videre est, ex vario ære fusum, multisque figuris Christi & Apostolorum hinc inde exornatum cum hac inscriptione, quæ nonnisi maxima cum industria erui poterat:

Disce Millenis trecentenisque vicenis
Octonis annis manus hoc Vas Docta Johannis
Fondit ad imperium de sommo Domno dictum,
Hunc anathema ferit, Vas hoc qui lædere quærit.

Verba: *ad imperium de sommo Domno dictum*, mandatum Archi-Episcopi significant & asserta nostra haud parum probant.

Baptisterium olim Moguntiæ unicum.
Vid. Cap. 4.

Cum vero in dies crevisset hominum numerus, sollicitudo Archi-Episcoporum plures constituit intra & extra civitatem parochias, nec non Ecclesiis parochialibus vix non omnibus pro majori commoditate concessit jus Baptisterii: mutato interea ritu per immersionem conferendi Baptisma. Remansere tamen hinc inde Observantiæ antiquæ signa haud obscura; nam sicut ex *Prospero Lambertino* annotavimus *cap. 2. §. 7.* quod unicum Bononiense Baptisterium magno Parochorum illuc pertinentium concursu sacretur, sic quoque in usu erat, quod in debitam recognitionem Baptisterii primi & unici primarius Civium Moguntinorum Parochus ad Divum *Quintinum* solemni ad fontem Baptismalem stationi interesse & Prælato loco Archi-Episcopi quam plurimis & Ecclesiæ & Imperii negotiis præpediti Baptisma benedicturo Librum Ritualem apportare debuerit. *Videatur præfatio.*

Aschaffenburgi præter Collegiatam Ecclesiam SS. *Petri & Alexandri* duæ sunt Parochia-

(1) Conveniens profecto & peculiari laude dignum est, quod Prælati & Capitulares Metropolitanæ Honorabiles Archi-Episcopi Fratres & in Solio Archi-Episcopali successores hanc prærogativam Baptisterii Episcopalis & antiqui ritus memoriam in stationibus ad Fontem tam sollicite hucusque conservaverint.

chiales, una ad *Beatam Virg.*, ad *S. Agatham* altera, neutra tamen habet Baptisterium, sed infantes ex his parochis & filialibus isthuc pertinentibus deferuntur ad Collegiatam sacro fonte abluendi, in cuius medio pro more veteris ævi eminet Baptisterium. *Francofurti ad Mœnum* ante an. 1452. unica parochialis Ecclesia erat Collegiata *S. Bartholomæi*; ob populi vero multitudinem, & ad evitandum animarum periculum *Capellæ sanctorum Trium Regum in Hospitali in Sachsenhusen* & *Sancti Petri in Novo oppido* erigebantur in Ecclesias curatas, filiales tamen; ut in iis omnia sacramenta per curatos sacerdotes ministrentur, solo Baptismo dempto, qui in Matrice Ecclesia *S. Bartholomæi* tantum, per eos, qui per Decanum & Capitulum Ecclesiæ *S. Bartholomæi* ad hoc in filialibus pro tempore ponentur; populo in *Sachsenhusen* per curatum *Ecclesiæ trium Regum* & populo *Novi oppidi* per curatum *Sancti Petri* conferatur. *Ita authenticum Diploma* anni prædicti.

Ecclesiæ Cathedrales olim tantummodo habuere Baptisteria & quidem in Ecclesiis separatis. Ita supra Cap. 2. §. 7.

Quod & iste mos *Moguntiæ* obtinuerit, docet Aula Baptismalis a *Sidonio* Antistite erecta, & Ecclesia *B. Mariæ V. ad gradus*, quæ Metropolitanæ Baptisterium in *hunc usque diem asservat*.

Cum olim baptismus per immersionem conferretur & ingens baptizandorum multitudo undique conflueret, necessum erat Ecclesiam a Cathedrali separatam pro sacro hoc ritu peragendo assignare.

Supersunt & alibi Antiquæ huius observantiæ illustres reliquiæ, tempe *Wormatiæ* in Ecclesia *S. Joannis Baptistæ* Cathedrali propius adjacente.

Metropolitanæ *Coloniensi* versus septentrionem adhæret sacellum; quod vulgo *Pasculum*, Germanice *Pesch* nuncupatur; ad quod alius quam per ipsam Metropolitanam publicus accessus non est, ibi fons Baptismalis est, ad quem benedicendum in Vigiliis Paschæ & Pentecostes omnis clerus Metropoliticus cum cruce accedit. Quod olim Baptismalis Ecclesia in Australi parte Cathedralis *Hildesheimensis* extiterit, videre est apud *Bollandum in vita S. Godehardi num. 23. quarta Maji*, ut refert *Edmundus Martene de antiquis Ecclesiæ ritibus*.

In Cathedrali *Augustana* non extat Baptisterium sed in Ecclesia *S. Johannis Baptistæ* a *S. Udalrico an. 960.*, fundata. Neque fons Baptismalis habetur in Ecclesia Cathedrali *Eichstettensi*, sed Canonici Presbyterales benedictionem Baptismatis peragunt in Collegiata ad *Divam Virginem*.

Ut plura taceam, unicum adhuc exemplum adduco e Metropolitana *Trevirensi*, quæ Baptisterium habet in conrigua Ecclesia *Beatissimæ Virginis* honori dicata, ad quam deferuntur infantes baptizandi tam ex districtu parochiali intra *immunitatem* sito, quam ex filialibus *Olivia* cis rivum, & *Kernisheit*.

Binis per annum vicibus olim Baptisma solemne collatum, observavimus.
Cap. 2. §. 8. & Cap. 4.

Multiplicato autem populi & Ecclesiarum parochialium, nec non Baptisteriorum numero, concessa quoque fuit Parochis facultas quovis opportuno tempore baptizandi. Ne vero pristini ritus intercideret memoria, jubet Ecclesia ut binis per annum vicibus aqua Baptismalis solemniter benedicatur. Per octavam paschæ conferebatur baptismus, & hisce diebus neophyti candido videbantur habitu, quem deponebant in Octava. *Aug. in octav. Pasch. serm. 1: ait: Paschalis solemnitas hodierna festivitate concluditur, & ideo hodie neophytorum habitus commutatur.* Ex hisce præmissis dilucide nunc explicatum arbitramur antiquam circa Baptisteria ritum, nec non ad oculum exhibitas hodiedum residuas priscæ Observantiæ reliquias. Contrahamus ergo vela, & alias Ecclesiæ Moguntinæ antiquitatibus indagandis, prout tempus & negotia ferent, manum admoveamus.

A. M. D. G.

P. D.

P. D. C. CHARDON BENEDICTINI

DE SUSCEPTORIBUS,

Qui prioribus Seculis dabantur baptizandis

DISSERTATIO IV.

Nunc primum latine reddita ex ejus historia Sacramentorum, & a F. A. Z. S. J. adnotationibus illustrata.

I. PAtrini ii vocabantur, qui baptizandos Episcopo offerebant, immersosque atque sacro e fonte prodeuntes illos suscipiebant: quod disertis verbis ait Concilium Arelatense VI. (can. 27.) *Et patrini eos, quos de lavacri fonte suscipiunt*. Quia etiam de causa *susceptores* etiam dicti sunt. Quoniam vero Ecclesiæ spondebant pro illis, quos Jesu Christi membris Baptismo adscribendos exhibebant, seque eorum fidei vades præstabant; nomine quoque *sponsorum* donati sunt; atque hoc eos nomine appellat Tertullianus (lib. de Bapt.), cujus locus una simul antiquitatem hujus consuetudinis ostendit, & onera „ quibus se se objiciebant, qui quempiam offerrent baptismo abluendum. (1) Patrinorum meminit ille in eo celebri loco, ubi videtur suadere velle, baptismum non esse nisi ab eo, qui rationis usu jam præstet, suscipiendum. *Quid necesse est*, inquit, *sponsores etiam periculo ingeri?* In Oriente quoque Patrinorum usum fuisse constitutum ostendit pseudo-Dio-

(1) De Patrinorum origine lubet aliqua uberius adnotare. Enimvero si qui sub Dionysii Areopagitæ nomine circumferuntur libri, ejus essent, aut Constitutiones Apostolicæ S. Clementem Auctorem haberent, bac de re non esset cur disputaretur, nam apud utrumque Scriptorem Patrinorum mentio occurrit. Isaacus Jundt, qui a. 1755. *de Susceptorum Baptismalium origine* commentationem edidit Argentorati, a Tobia Pfannero deceptus Dallaum scribit susceptorum institutionem ad v. sæculum detrudere, quum tamen ille *de cultibus Religiosis Latinorum* p. 10. Genevensis editionis a. 1671. diserte adserat, *patrinorum officium jam in usu fuisse apud Christianos secundi Seculi exeuntis*. Certe Tertullianus *sponsorum* meminit; neque vero credibile est quo Tertullianus scribebat tempore primum invectos illos fuisse, præsertim quum parvulorum baptisma ab ipsis Ecclesiæ incunabulis usitatum sponsorem postularet, qui pro parvulis *fidejussores responderent, quod abrenuntiarent diabolo, pompis & operibus eius*, ut loquitur S. Augustinus *Serm.* 116. *de tempore*. Neque tamen quod Walafridus *de reb. Eccles. c.* 26. docet, crediderim solum occasione baptismi parvulorum sponsores institutos. Ecclesia enim etiam pro adultis videtur ab ipso suo exordio exegisse, ut non sine vade, ac fidei sponsore quisquam ad baptismum accederet. Nam si posterioribus seculis id postulavit Ecclesia, multo magis hoc prioribus illis persequutionum temporibus, quibus facilius esset susceptam fidem deserere, atque in minore fidelium numero videtur Ecclesia requirere debuisse. Quare nec Polydorum Virgilium moror, qui ab Hygino Papa constitutos primum Patrinos ait *l.* 4. *de Invent. rer. c.* 4. nec Spencerum, Rivetum, citatumque Jundt, qui a Patrinis in Baptismo Proselytorum apud Hebræos usitatis eorumdem in Ecclesia morem arcessunt.

Dionysius, qui illos ἀναδόχους appellat (de cælesti hier. c. 2. & 7.) quod nomen latino susceptores respondet. (1)

II. Si primis Ecclesiæ seculis jubebantur qui ad baptismum adtedebant, patrinos habere, qui pro ipsis sponderent; multo id magis necessarium fuit posterioribus seculis, quibus infantes fere soli offerebantur baptizandi; ut enim scite ait Anonymus auctor (in notis Baluzii in capitularia p. 1178. tom. 2.), cujus homilia legitur in antiquissimo Lugdunensis Ecclesiæ MS. Codice, infantes, qui nondum loqui sciunt, peccatorum remissionem accipiunt per fidem eorum, qui ipsos e sacris fontibus suscipiunt; & certe, addit ille, oportet ut qui polluti sunt per peccatum suorum parentum secundum carnem, salventur per fidem suorum parentum secundum spiritum. Itaque videmus, Patrinos deinceps non ad unum baptismum requisitos fuisse, sed etiam ad Catechismum, & ad Confirmationem; ut Johannes de Janua (in Glossario Cangii V. Catechizari) Jureconsultus quæsierit, an *Catechismus dirimat matrimonium;* cui quæstioni respondet juxta Glossam, *quod per catechismum Baptismi, & confirmationem Episcopi contrahitur compaternitas.* Differunt tamen in hoc, quod licet per Baptismum, & Confirmationem contracta compaternitas impediat, & dirimat matrimonium, illa tamen quæ contrahitur per Baptismi Catechismum adeo est exilis & invalida, quod vix impediat matrimonium contrahendum, numquam autem dirimit jam *contractum*. (2) Hanc spectavit consuetudinem Glaber Rodulphus in vita S. Guillelmi Abbatis Divionensis, dum ait (n. 4.) *Filium, quem ei uxor pepererat, Catechumenum fieri per manum Imperialem præcepit, quod ille* (Berengarius Rex Italiæ, Imperator etiam dictus) *ut monitus fuerat, impleri mandavit, ac propria puerum sustulit dextera, eique nomen indixit* Willelmum, *quem scilicet postmodum Regina conjux illius ex sacro fonte suscepit baptismatis*. Hinc intelligimus, quid Flodoardi verba illa (*in Chr. an.* 945.) significent: *Gerberga Regina filium peperit*, qui Carolus ad catechizandum vocatus est.

III. Mos etiam fuit plures in variis hisce circumstantiis patrinos sibi adsciscere, ut testificatur Hyginus Papa (*de consecr. dist.* 4.), nisi necessitas cogeret unum tantum ad hæc omnia adhibere. *In Catechismo*, inquit ille, *& in Baptismo, & in Confirmatione unus patrinus fieri potest, si necessitas cogit. Non est tamen consuetudo Romana, sed per singulos singuli suscipiunt*. In Chronico Urspergensi ad ann. 1124. monentur parentes, *ne etiam filios suos, & filias suas ad baptismum teneant, sed sibi patrinos quærant*. Et patrinos inter, & filiolos intercedebat adfinitas, ut in legibus Henrici I. Angliæ Regis sancitum sit: *Qui alicujus filiolum vel patrinum occiderit, erga eum & parentes mortui conjunctim reus sit, & crescat emendatio secundum* Weram, *sicut* Manbota *secundum Dominum*. In multis tandem Conciliis plures statuuntur adhiberi *Patrini, in levatione scilicet maris duo mares, & una femina, in feminæ vero levatione unus mas, & duæ feminæ*, ut in Eboracensi *a.* 1195. *c.* 4. Sarisleriensi *a.* 1217 *c.* 119. Coloniensi *a.* 1280. *c.* 4.

IV. Patrini olim quos e sacro fonte susceperant, iis raro nomina imponebant; etsi exempla non desint, quum Guntramnus Rex Gregorio Turonensi teste (*lib.* 10. *hist. Franc. c.* 28.) Nepotem suum, cui patrinus fuit, Chlotarii nomine donarit, sed ut dicebam, rarum id fuit: sæpe etiam nomina in Baptismo non mutabantur. Nam ut alias ostendimus quinque aut sex prioribus seculis mos non fuit infantes statim ab eorum nativitate baptizare, nisi in mortis discrimine essent constituti. Itaque sua jam nomina habebant tam

(2) Aliis etiam vocabantur nominibus, *Compatres* etiam dicti sunt, *Patres Spirituales, fidejussores, fideiductores, fidedictores, Vades, Patres, gestantes*. Consule Vicecomitem lib. I. cap. xxx.

(1) Binghamius (*Orig. Eccles. lib. XI. c.* 8. §. 12.) huic adfinitati, nuptiarumque inter ejusmodi adfines prohibitioni succenset; sed perperam. Vide Vicecomitem *l.* 1. *cap.* 34. & Tournelium (*de matrim. p.* 265. *Ven. edit.* 1731.)

tam infantes quam adulti, quum ad Baptismum offerebantur; eaque fere servabant. Utrorumque etiam nomina pluribus ante Baptismum diebus exquirebantur, Ecclesiæ matriculæ inscribenda. Juxta vulgatum Ordinem Romanum in magno scrutinio de quo egimus, dabant Catechumeni nomina, ut scriberentur. Siricii tamen temporibus Romæ obtinuerat mos ea dandi quadraginta vel etiam pluribus ante Baptismum diebus; hic enim Pontifex *generalia baptismatis tradi* prohibet *Sacramenta* aliis quam *electis*, *qui ante dies quadraginta vel eo amplius nomen non dederint*.

V. Ipso quadragesimæ initio Competentium nomina in Hierosolymitana Ecclesia scribebantur. *Intrasti*, inquit S. Cyrillus (*Cathec.* 3. *n.* 4.), *eo loco dignus habitus nomen tuum inscriptum est ... satis longum habes intervallum, quum pœnitentia* XL. *dierum tibi detur*.

VI. Ex his, atque ex interrogatione, qua in scrutiniis ex infantibus ipsorum nomina exquirebantur, ut animadvertit Hugo Menardus (*p.* 350. *nov. edit. t.* 3.) in ea Gregoriani Sacramentarii verba: *quis vocans?* illud sequitur, eos ante Baptismum sua habuisse nomina, multoque magis adultos. Romanorum ritus fuit nono a nativitate die maribus, puellis octavo nomina imponere, ut ex Macrobio (*l.* 1. *Saturn. c.* 16.) discimus; atque hi dies dicebantur *dies lustrici*, *quibus infantes lustrantur*, *atque eis nomina imponuntur*. (1) Idem decimo a nativitate die faciebant Græci, Hesychio teste, juxta Aristotelem vero septimo, (2) ac quibusdam ritibus hæc cæremonia peragebatur, fenedulas supra focum describendo, quibus propterea, ut Hesychius, Suidas, aliique adnotarunt, nomen ἀμφιδρόμια. (3)

VII. Veteres quoque Franci nonnisi nono die nomina infantibus dare consueverunt. Constat id ex ea Salica lege, in qua dicitur: *Si quis infantem ... natum antequam nomen habeat infra novem noctes occiderit*. (4) Verosimile admodum est, antiquos Christianos suos mores his consuetudinibus conformasse, exceptis, quas omnino abjecere superstitionibus. (5) Græci hodieque nomen infantibus non imponunt, nisi octavo ab eorum nativitate

(1) Quod quidem M. Antoninus Philosophus Imperator mutasse videtur, tricesimo die præfinito. Confer Capitolinum in ejus vita c. 9. ubi alii tamen legunt *intra tertium diem*; Sed nescio an satis bene.

(2) Diffidentes Græcos Scriptores ita conciliari posse existimat Vicecomes *l.* 2. *c.* 14. ut vel alterutrum diem eligere unicuique liberum fuerit, vel Athenienses quidem (horum enim diserte meminit Suidas) decimo die, reliqui Græci septimo nomen imposuerint.

(3) Perperam heic Chardonius Amphidromia cum diebus Nominalibus confundit; illa enim quinto a nativitate die celebrabantur. Vide Suidam verbo ἀμφιδρόμια. Heinc Plautus quasi ex more Græciæ scribit. (Truc. II. 4. 69.)

Quin diis sacrificare hodie pro puero volo
Quinto die quod fieri oportet.

(4) Tit. XXVI. lege V. Sed apud Joh. Georgium Eccardum p. 151. legitur *infra* VIII. *noctes occiderit*.

(5) Ethnicas dierum lustricorum superstitiones quas insectatur, ita Persius describit (Sat. II. 31. & seqq.)

Ecce avia aut metuens divum matertera cunis
Exemit puerum; frontemque atque uda labella
Infami digito, & lustralibus ante salivis
Expiat, urentes oculos inhibere perita.
Tunc manibus quatit, & spem macram supplice voto

Nunc

tate die, ut ex eorum Enchologio constat. Apud Moscovitas Sigismundo Libero auctore (*de rebus Moscoviticis cap. de Baptismo*) ipso nativitatis die infantibus nomen datur, etsi nisi post quadraginta dies, morbi caussa excepta, non baptizantur.

VIII. Quoniam in hoc argumento versamur, jucundum fore curioso lectori arbitror, si addidero, quod in itinere D. Gentilis (*t. 2. p. 36. & seq.*) invenio de tempore, quo Sinenses infantibus nomen imponunt. *Ubi infans natus est*, inquit ille, *intra mensem parens ejus blandum illi nomen imponit* Siaoming *lactens*, iis diminutivis nominibus simile, quo Europæi suos puellos compellant, atque uno hoc nomine toto infantiæ tempore distinguitur. At quum infans animum cœpit ad litterarum studia conferre, novo a patre donatur nomine, quod familiæ nomini postponitur (nostris enim moribus Sinensium mores maximam partem adversantur); quare ubi dicimus ex. gr. Petrus Alemannus, dicunt illi Alemannus Petrus. Tandem ubi juvenis virilem ætatem adtigit, pileolus virilis illi traditur, ac tunc nomen ad amicorum arbitrium mutat, novumque, quo donatur, deinceps servat. Sæpe etiam fit, ut hoc nomine litteras, aliaque a se scripta consignent. Narraverat antea Gentilis, familiæ illos nomine uti ad hæc subscribenda, etsi isto numquam appellantur, nisi quis dignitate illis multum præstaret; tunc enim huic illos eo nomine vocare liceret.

IX. Ut ad argumentum nostrum redeamus, quæ de tempore, ac circumstantiis, in quibus infantes nomine donabantur, exceptione non caret. Plura nempe habemus exempla nominum in Baptismo traditorum infantibus, atque adeo adultis, qui quoad eam diem vocati fuerant, nomen in ea sancta cæremonia deponebant; (1) sed non id instar ordinariæ regulæ fuit. (2) Theodosius Junior Imperator, Athenaidem Philosophi Atheniensis filiam, antequam eam duceret, baptizari jussit, eam-que

Nunc Licini in campo, nunc Crassi mittit in ædes.
Hunc optet generum rex & regina: puellæ
Hunc rapiant: quicquid calcaverit hic rosa fiat.

Sed etsi Christiani a superstitionibus plurimum abhorrerent, aliquas tamen in nominibus imponendis servarunt olim, ut ex Johanne Chrysostomo; qui ea illos de caussa exagitat (hom. XXII. in c. 4. ep. 1. ad Corinth.) animadvertit eruditissimus Jesuita Martinus de Roa *Singularium locorum, ac rerum* l. 2. c. 20. *Quum nomen filio imponendum sit, omissa Sanctorum appellatione, quemadmodum majores faciebant, adcensis lucernis, & his nominibus impositis, quæ plurimum duraverit, ejus nomine filium appellant; hinc eum diuturnius victurum conjectati*. Hæc Chrysostomus.

(1) Videtur heic indicare Chardonius, adultis in Baptismo tum nomina imposita solum fuisse, quum priora deponerent. Atqui etsi vera sunt quæ hactenus ex Menardo accepit, adultos tamen filios suos Christiani aliquando nullo prænotabant nomine, antequam ad Baptismum adducerent. Confirmat hoc liber Manualis Dodanæ ad Willelmum filium, editus in appendice ad seculum IV. Benedictinum part. 1., in cujus cap. 7. Willelmum filium primogenitum sic illa adloquitur: *hæc verba a me tibi directa lege, intellige, & opere comple, fratremque tuum parvulum, cujus modo inscia sum nominis, quum baptismatis in Christo non acceperit gratiam, insinuare, nutrire, amare, ac de bono in melius* provocare non pigeat. Porro etsi *parvulus* hic dicatur, videtur Willelmus potius adultus puer; quam infans fuisse, quum *de bono in melius provocari* potuerit; quis enim hæc de lactente puello intelligat? Hic tamen nullo ad eam diem nomine fuerat appellatus, quum *baptismatis in Christo non accepisset gratiam*. Sed ratio ejusmodi satis ostendit communem fuisse usum nominis in Baptismo tantummodo imponendi.

(2) Alia, quam quæ heic Chardonius mox recitabat, in hanc rem profert exempla Martenius l. 1. c. 1. a x. n. 3. Sed noluissem, id a viro docto instar Canonis pronunciatum ibi fuisse: *qui ex paganis ad Christum convertebantur, nomine gentili abjecto, novum adsu-*

 me-

que *Eudociam* in Baptismo Episcopus Atticus nominavit ex nomine Matris Imperatoris, ut docet Socrates (*l. .. c. 21.*). Refert Gregorius Turonensis (*lib. 8. hist. Franc. c. 22.*) quemdam Diaconum, cui nomen Waldo, in Baptismo Berteramnum fuisse appellatum. Carolus Magnus Imperator Romæ quum esset a. 781. filium suum baptizari curavit ab Hadriano Pontifice, qui Caroli Manni non amplius, sed Pipini nomine eum appellari voluit. (1)

X. Plura exempla recitari possent infantium, qui in Baptismo nomen acceperunt; quod usitatum erat, ubi paullo post nativitatem baptizabantur. Verum hæc non probant, consuevisse generatim id fieri; atque adfirmare possumus, quin vereamur, ne erroris redargui possimus, consuetudinem nominum in baptismo infantibus tradendorum vere tum primum obtinuisse, quum statim ab eorum nativitate baptismus illis conferri universim cœpit, nempe circa XII. seculum. Revera discimus ex nostrorum Regum capitularibus tum quoque quum Christiana Religio toto late Orbe diffusa fuit, adeo non fuisse parentes sollicitos de baptismo infantibus conferendo, ut necesse fuerit illos legibus, ac gravibus pœnis indictis cogere, ne diutius different

mebant : qui vero ex Christianis parentibus progeniti erant, hi aut nullum nomen ante baptismum habebant, aut indictum mutabant vel etiam aliquando retinebant. Nam de Christianis quidem recte constituta hæc sunt; de Paganis vero generatim illud enunciari quis potuit? Nam ut T. Flavii, Clementis Martyris, Constantini Imperatoris, aliorumque id genus virorum exempla præteream, in actis S. Bonifacii Martyris legitur: *Judex autem ait ad eum: quid vocaris? Beatus Bonifacius dixit: jam dixi tibi quia Christianus sum: si autem vis discere* COMMUNE *nomen meum, Bonifacius vocor*. Similia legimus in Actis S. Thallelæi apud Bolland. ad XX. Maji p. 180. n. 2., quæ legitima ne sint, an spuria (quod Tillemontio videtur) nihil in rem nostram facit. *Quid porro illud sibi vult*, inquit doctissimus Canonicus Mazochius in Kal. Neap. p. 297., *quod heic* COMMUNE *nomen vocant? An non potius* Christiani *nomen* commune *omnibus dicendum erat*, Bonifacii *vero aut* Thallelæi *proprium? Atqui ne dubita, quin id ex consuetudine Hellenistarum petitum fuerit, quibus* κοινὸν *&* commune *tantumdem est, quod profanum, & immundum; quod alibi* carnale nomen *dicitur, ac Spirituali opponitur. In actis S. Hilariani (apud Boll. ad 16. Martii) Tatianus Diaconus de nomine interrogatus respondit: nomine carnali* Tatianus *vocor, Spirituali vero* Christianus. *Ex eo vero Bonifacii, & Thallelæi responso tandem ediscimus ecqua mens Martyribus fuerit, quando nomen pristinum suum non audentes depromere, ejus loco se* Christianos *vocabant. Nam qui sic se gerebant, nomina sua pristina pro impuris habebant, utpote die* lustrico, *uti appellabant non sine sacris imposita*. Hactenus præclaræ eruditionis canonicus. Sed hæc ostendunt, Paganos quum ad fidem Christi conversi tandem baptizabantur, non semper profana sua nomina dimisisse. Abjecisse tamen aliquando præsertim, quum essent idolorum vocabula, testificatur etiam Eusebius lib. de Martyr. Palæstinis cap. XI.

(1) Hinc vides a Sacerdotibus, aut baptismi Ministris imposita interdum fuisse nomina: quod etiam ostendit Cedullæ Regis Occidentalium Saxonum exemplum, cui Sergius tempore baptismatis *Petri nomen imposuit*, ut ait Beda lib. V. hist. Angl. cap. 7. Hodieque apud Moscovitas, ut Sigismundus Liber testificatur loco supra cit., *nato infante mox adcersitur Sacerdos ante januam habitationis in qua est puerpera, certas stando recitat orationes: pueris nomen imponit*. Supra vidimus a susceptoribus nomina aliquando, etsi raro imposita. Parentes porro sæpissime filiis suis nomina dabant. Sic S. Nicetius Lugdunensis Episcopus a matre sua nomen accepit. Idem de Sagomere & Cladomiro Chlodovei ex Clotilde filiis narrat auctor antiquus de gestis Francorum c. 14. apud Chesnium T. I. hist. Franc. pag. 700. Confer Martenium n. V. Ordo S. Baptismi servatus in Ecclesia Chaldæorum, Nestorianorum, ac Malabarum apud Assemannum l. 2. Cod. Liturg. pag. 211. *Propinquos* patrinos esse aperte significat. Quamobrem Diamperitana Synodus a. 1599. habita falso indicat Act. IV., patrinos a Malabaribus in baptismo non adhiberi.

ferent filiis suis tam necessarium salutis subsidium procurare. Ejusmodi illa est in capitularibus Caroli Magni editis a. 789.: *Similiter placuit his capitulis inserere, quod omnes infantes infra annum baptizentur.* Tum additur: *Statuimus, ut si quis infantem* intra circulum anni *ad baptismum offerre contempserit; si de nobili genere fuerit, centum viginti solidos* fisco componant; *si ingenuus, sexaginta; si litus* (mediæ scilicet conditionis homo liberum inter, & servum) *triginta*. Hinc patet, infantes, quum fere aliquot saltem a nativitate mensibus baptizarentur (ipsa enim lex nihil amplius postulabat, quam ut infra annum baptizarentur) nomina autem secundum Francorum consuetudinem aliquot tantum dierum post nativitatem intervallo darentur, sua habuisse nomina, antequam ad baptismum offerrentur. Quod si obiicias, inquit P. Menardus, tricesimum Canonem Arabicum Concilii Nicæni, & locum illum epistolæ S. Dionysii Alexandrini (*apud Euseb. l. 7. c. 2.*), in qua Christiani suis infantibus Apostolorum nomina dedisse perhibentur, respondeo, nullam eorum canonum habendam esse rationem, quum minime authentici sint; quod vero ad S. Dionysium spectat, eum quidem id narrare, quod Christianis parentibus in nominibus imponendis solemne erat; non tamen adserere, id ab illis in Baptismo factum fuisse. Suam enimvero sententiam confirmat Menardus Jesse Ambianensis auctoritate in ea, quam de baptismo edidit, epistola; in ea enim hæc leguntur: *Veniant ad Ecclesiam tertia hebdomada quadragesimæ, feria secunda, & antequam ingrediantur, scribantur nomina infantium ab Acolitho.*

XI. Quod ex S. Dionysio retulimus de ea parentum Christianorum consuetudine, id ad summum intellige de Oriente, in quo multos post quartum seculum novimus Apostolorum, & Martyrum nominibus appellatos; (1) sed in Occidente vel nunquam, vel raro illud servatum fuit, sive quo tempore adhuc Romanorum imperium vigebat, seu postquam ad Barbaros transiit; quum omnia ferme eorum, quorum historia meminit, nomina profana sint. Patres aut matres suis illa infantibus fere dabant, eaque sæpe imponebant nomina, quibus suarum familiarum spectatissimi viri fuerant appellati, aut etiam extranei, quos amabant. (2) Ita ab Antiochenis scimus filiis suis, Meletii nomen libenter datum fuisse,

(1) Confer Chrysostomum a me supra citatum atque ea præsertim verba observa, *omissa Sanctorum appellatione, quemadmodum majores faciebant.*

(2) Hæc universim dicta falsa sunt. Nam Veteres Christiani a mysteriis, quæ quo infans natus erat die, celebrabantur, sæpe illi nomen imponebant. Sic doctissimus Eques Victorius in Dissertatione Philologica in nonnulla monimenta Sacræ vetustatis nuper edita p. 4. Paschasii, cujus antiqua meminit Inscriptio, nomen ducit a festis Paschalibus, in quibus ortus fuerat; Epiphanii nomen ab Epiphaniæ festo die ec. Aselli, Asellici, Lupi, Ursi, Ursuli, Palumbæ, Pecorii, Leæ, Tigris, aliorumque animalium nominibus delectabantur maxime Christiani, ut pridem notarunt eruditi viri, atque veteres Inscriptiones produnt, idque humilitatis, patientiæ, aliarumque virtutum caussa, quæ ab his potissimum brutis animantibus exprimebantur. Sed etiam virtutum ipsarum nomina Christianis erant perfamiliaria. Hinc Sperati, Spei, Fidei, Caritatis, Eusebiæ, Innocentiæ, aliaque id genus sexcenta nomina, quæ in lapidibus, atque Ecclesiasticis tabulis occurrunt. Sanctorum quoque nomina fuisse in Occidente Christianis olim usitata ostendunt nomina Laurentii in Inscriptione anni 265. apud Muratorium (T. I. Novi Thesauri p. 383. 1.) ac Petri in lapide a. 377. quem idem Muratorius describit (ibid. p. 388. 2.) *Multæ quoque occurrunt in vitris pictis* (inquit Benedictus XIV. in præstantissimo opere de Servorum Dei Beatific. & Beat. Canoniz. Lib. IV. p. 2. cap. 29. n. 19.) *quæ extrahuntur ex Cœmeteriis Urbis, Imagines Apostolorum nominibus inscriptæ; nec tamen omnes referre Apostolos ipsos, non paucos autem repræsentare Martyres quosdam, qui laudabili exemplo Apostolorum nomina in Baptismo susceperunt, accurate adnotavit Senator Buonarruoti de vitris figur. 3. tabul. 14. & figur. 3. tabul. 19.* Non tamen hæc ita Christianis in usu erant, ut a profanis prorsus nominibus abstinerent. Nam & Deorum Ethnicorum, quos tamen contemnebant, nominibus vocatos illos

se, vivente ipso ejus nominis sancto Episcopo, quod eum magni facerent amarentque. Qua de re illos summopere laudat S. Johannes Chrysostomus (*hom. in Gen.* 21.), hincque occasionem sumit Christianos hortandi, ut profana dimittant, vel proavorum nomina, sed sanctorum potius hominum, quorum exemplis ad virtutem incendi maxime possunt, liberis suis appellationes imponant. Ex amicitia quoque, quæ cum Roberto Francorum Duce ipsi erat, factum est, ut Rollo primus Normannorum in Neustria imperii conditor prius illud barbarum nomen in Baptismo permutaret Roberti adscito nomine; quod anno contigit 911. Nonnisi sub XII. seculi finem, initiumque XIII. sanctorum nomina in Baptismo universim dari cœperunt, (1) quibus addita fuere cognomina ex loco, in quo, quis natus erat, aut e sua regione desumpta. Sic sententiarum Magister dictus est *Petrus Lombardus*, alius *Petrus Pictaviensis*; hic *Petrus Abailardus*, ille *Johannes Scotus*, aut *Johannes de Hunz* &c. Ante id temporis familiarum cognomina in Gallia, Italia, Germania usitata fuisse non novimus; quilibet suo nomine, & singulari quidem vocabatur. S. Bernardo exempli caussa non aliud nomen fuit, quam Bernardi; Gerardus ejus frater, uno Gerardi nomine denotabatur; sic de aliis. Hæc sanctorum nomina non erant, aut saltem in iis impertiendis habita ratio non fuerat Virorum Sanctorum, qui illis fuissent appellati; hoc totum ex arbitraria fiebat electione parentum, qui hac in re fere id spectabant, quod supra dicebamus. Possumus tamen adfirmare, in quibusdam Occidentis Ecclesiis antiquam esse piam sanctorum, quorum patrocinio juventur, nomina infantibus imponendi consuetudinem; nam ut docet Vicecomes ex Cæremoniali Beroldi, Mediolani ex vetere instituto Archiepiscopus in Paschatis pervigilio tres baptizabat infantes, quorum primum Petrum, secundum Paulum, tertium Johannem appellabat. (2) In P. Martenii libro de antiquis Ecclesiæ ritibus, (l. 1. c. 1. a. 16.), aliqua de Pa-

los reperimus. *Mercurium* habemus in lapide Muratoriano p. 376. 4. *Janum* in alio Muratoriano Marmore p. 387. 1. *Mercurium* alium in Inscriptione, quam refert Marangonius in Appendice ad Acta S. Victorini Episcopi Amiterni, & Martyris. *Venerium* apud Boldettium p. 477. Langobardis in Italiam dominantibus nomina plane barbara invecta fuere; idque quod Chardonius Romano adhuc Imperio vigente factum contendit, omnino obtinuisse perspicuum est.

(1) Nunc juxta Catechismum Romanum (*cap.* 2. *de Bapt.*), quando nomen imponitur baptizato ab aliquo sumendum esset, qui propter excellentem animi pietatem, & Religionem in Sanctorum numerum relatus sit, ut quivis nominis similitudine excitaretur ad imitationem Sanctitatis, & virtutis. Non desunt tamen plurimi, quibus Cæsaris, Pompeii, Artaxerxis, atque adeo Floræ, Herculis, &c. nomina. Tournonius in decreto pro Madurensibus, & Malabaribus Ecclesiis lato præceperat, ut semper imponeretur baptizando a baptizante nomen alicujus Sancti in Martyrologio Romano descripti, interdictis omnino nominibus idolorum, vel falsæ Religionis Pænitentium, quibus Gentiles utebantur, & Neophyti appellari consueverant, antequam per baptismum essent divinæ Gratiæ renati. Jubente Clemente XII. hæc decreti illius pars ad examen revocata est a Cardinalibus Generalibus fidei Quæsitoribus; atque XII. Kal. Februar. an. 1733. responsum ab Eminentissimis Patribus fuit, *moderandam esse decretum*, *deleto verbo* præcipimus, *cum clausula* curent, quantum fieri potest, *firma remanente interdictione quoad nomina idolorum*, & *falsæ religionis Pænitentium*; idque responsum confirmavit Pontifex litteris editis IX. Kal. Sept. 1734.

(2) Similia quis fortassis videbitur sibi invenisse in Pontificali insignis Ecclesiæ Apamiensis in Syria, annorum 500. quod Martenius edidit; recuditque Assemannus *lib.* 2. *Cod. Liturg. p.* 75.: *Deinde baptizat ipse Pontifex unum, aut duos, aut tres ex ipsis infantibus, Johannem, Petrum, & Mariam*. Sed heic tantummodo exempli gratia nomina ista fortasse adscripta sunt, præsertim quum in MS. Codice Bibliothecæ S. Genoviefæ Parisiensis apud eosdem Martenium, & Assemannum legamus: *deinde Sacerdos accipiat de Sale benedicto*, & *p*-

Patrinis, deque Matrinis invenio, quæ me effugerunt, quæque antequam finem huic disquisitioni imponam, addi a me debere existimo.

XII. 1. In Constitutionibus Apostolicis decernitur, (l. 3. c. 16.) *ut virum suscipiat Diaconus, mulierem Diaconissa, ut decore traditio infrangibilis sigilli administretur*. Hæc videntur plures patrinos excludere, quos tamen supra vidimus in usu deinde fuisse. Can. 22. Nicæni Concilii Versionis Arabicæ, uti & S. Sebastiani acta hanc disciplinam confirmarent, si fides hujusmodi monumentis posset adhiberi. (1) Sed illud verum est, Conc. Metense ann. 888. c. 6. statuisse, *ut infantem nequaquam duo, vel plures, sed unus a fonte baptismatis suscipiat*; *quia* (inquiunt hujus Concilii Patres) *in hujusmodi secta diabolo datur locus, & tanti ministerii reverentia vilescit*. (2) Notat P. Martenius, canonem hunc haud fuisse observatum, ac paullo post Patrinorum, & Matrinarum numerum adeo auctum, ut aliquando sex simul essent, tres scilicet in singulos sexus. Ad hunc reprimendum abusum constitutus proculdubio est, ut initio vidimus, Patrinorum, & Matrinarum numerus, vetitumque ne plures essent, quam tres. (3) Consuetudo hæc videtur servata XV. seculo, atque adeo extremo seculo admodum adulto. Scripsit ad me amicus meus, quo cum hoc opus communicavi; consuetudo duos Patrinos, unamque Matrinam dandi pueris, puellabus duas Matrinas, atque Patrinum unum diu viguit; regestum, addit ille, habeo baptismorum familiarum de Vandomo, de Longueville, & de Guisa XV. & XVI. seculi, ubi hæc disciplina servata semper reperitur. Anno quoque 1620. locum habuit, ut constat ex regestis nostræ Parœciæ, quæ consului; statuta Synodalia Virdunensis Episcopi de Dompmartin idem statuunt, eumque numerum excedere vetant, *nam*, inquiunt (fol. verso 17.), quod *amplius est*, *a malo est*. (4)

XIII.

& ponat in os infantis tribus vicibus, ter interrogando de nomine infantis, sic dicendo: Johannes vel Maria, vel aliter, accipe &c. Ut ut se res habet, antiquissimam in Mediolanensi Ecclesia esse imponendi baptizandis Sanctorum nomina consuetudinem ostendit S. Ambrosius *in exhortatione Virginitatis* (lib. 1. c. 3. n. 15.)

(1) Immo ex actis illis S. Sebastiani colligeremus, pro 64. utriusque sexus baptizandis, tantum unum Patrinum, & duas Matrinas satis fuisse, Sanctum nempe Sebastianum, Beatricem, & Lucinam.

(2) Statuerat id ipsum Leo Pontifex apud Gratianum) de consecr. dist. 4. cap. 101.) his verbis: *non plures ad suscipiendum de baptismo infantem accedant, quam unus, sive vir, sive mulier. In Confirmatione quoque id ipsum fiat.* Unum quoque Patrinum indicant ordines Baptismi a Martenio, & Assemanno divulgati Calensis, S. Germani a Pratis, Gemmedicensis, Apamiensis.

(3) Adde Conciliis ibi citatis Bajocense ann. 1280. cap. 4. Wigorniense ann. 1240. cap. 5. Exoniense ann. 1287. Statuta Richardi Episcopi Sarum in Anglia cap. 19. Statuta Synodalia Ecclesiæ Trecorensis cap. 8. Statuta Johannis Episcopi Leodiensis an. 1287. c. 2. n. 8. Eumdem numerum definiunt Statuta Stephani Cantuariensis Archiepiscopi ann. 1222. apud Mansium T. II. Supplem. ad Concilia Labbeana Venetæ editionis col. 893. Concilium Scoticum ann. 1225. can. 55. (ibid. col. 943.) Statuta Cenomanensia ann. 1247. (ibid. col. 1128.)

(4) Hunc tamen numerum ad duos Patrinos redegerant Statuta Synodalia Johannis Raulin Episcopi Augustodunensis, idque sub pœna 20. Solidorum Turonensium, quam pœnam aggravant mulcta 100. Solidorum Statuta Ecclesiæ Catalaunensis cap. 7. Duos quoque indicat Ordo Ecclesiæ Lemovicensis apud Assemannum (p. 84.), itemque ordo Syrorum Maronitarum a Stephano Aldoensi emendatus, ac dispositus (ibid. p. 309.) Unum solummodo constituunt Statuta Synodalia Ecclesiæ Biterrensis ann. 1342. edita cap. 9. aliaque a Martenio citata l. 1. c. 1. a. 16. n. 13. Sed Concilium Tridentinum Sess. 24. cap. 1. gravissimo decreto sanxit, *ut unus tantum sive vir, sive mulier, juxta Sacrorum canonum instituta, vel ad summum unus & una baptizatum de baptismo suscipiant*.

XIII. 2. Excommunicati, publici Pœnitentes, & Monachi Patrini munus obire non debent (Capitular. l. 6. cap. 182., & Conc. Parif. VI. l. 1. c. 54.). Id Monachis prohibet Concilium Antiffiodorenfe (cap. 20.) in hæc verba: *non licet Abbati filios de baptifmo fufcipere, nec Monachis commatres habere*. Hæc quoque uti præcedens conftitutio obfervata non fuit. Quod conftat ex noftrorum hiftoricorum teftimonio (*Hift. Lud. VII. apud Chefnium T. IV. c. 7.*), qui narrant Philippo Ludovici VII. Regis filio tres Abbates patrinos datos fuiffe, ac tres nobiles feminas matrinas. Tandem Concilium Parifienfe ann. 829., Metenfe quod nuper citavimus, & ftatuto S. Bonifacii Moguntini ftatuunt ad fponforum munus admitti eos tantum debere, qui ad illos, quorum aliquomodo patres fecundum fidem effe debent, inftituendos effent idonei. Elias Uticenfis Epifcopus ab hoc officio arcet nondum Sacramento Confirmationis munitos. (1) S. Carolus vetat Presbyteros effe Patrinos (2). Virdunenfia idem Religiofis profeffis, & Monialibus interdicunt, quibus (addunt illa) jure prohibitum eft præftare fe *Compatres*, & *Commatres* (hæc ipfa verba funt). Eadem ftatuta vetant Patrinorum, & Matrinarum officio fungi infantes, ejufque decreti hanc reddunt cauffam, quia ridiculum eft fpiritalem alterius patrem eum effe, qui fecundum naturæ leges pater effe non poteft. Statuunt tandem, injungendum effe Patrinis, ac Matrinis, ut filiolos fuos, aut filiolas, ubi per ætatem inftitui poterunt, doceant Orationem Dominicam, falutationem Angelicam, & Symbolum. (3)

AD

(1) Monachis quoque id interdixit Eugenius IV. in cap. placuit 2. 16. quæft. 1. Irregulares, aliofque comprehendunt Statuta Synodalia Ecclefiæ Nemaufenfis cap. 13. *Prohibemus autem diftricte, ne in patrinum irregularis aliquis admittatur, nec aliquis alius qui excommunicationis, vel interdicti fententia eft ligatus, vel qui non eft confirmatus*. Confer ordinem Ecclefiæ Lemovicenfis apud Affemannum lib. 2. Cod. lit. p. 83. Concilium Moguntinum apud Vicecomitem (p. 196.) parentibus filiorum id prohibet: *nullus proprium filium, vel filiam de fonte baptifmatis fufcipiat*. Huc fpectat Urbani II. decretum (*can. quod autem quæft. 4.*) Olim tamen parentes Patrinorum munere fungebantur. Vide Auguftinum Epift. 23. ad Bonifacium.

(2) Id tamen licuiffe olim Presbyteris, & Diaconis negari non poteft. Nam refert Gregorius Turonenfis lib. 6. hift. Francorum Theodoricum a Ragaemodo Epifcopo de lavacro Sancto fufceptum fuiffe, a Muritta vero Diacono Elpidophorum Victor Vitenfis (*de perfec. Vand. lib. 3.*), quamquam non crediderim hoc officium præcipue Diaconis, & Diaconiffis impofitum, ut putavit Binghamius.

(3) Id nempe præcipuum Patrinorum munus fuit, præfertim quum adulti baptizabantur. Nam Patrini infantium, uti & adultorum, qui aliqua infirmitate impediti refpondere ipfi pro fe non poterant, debebant præterea ad diverfas interrogationes in baptifmo refpondere. Vide Binghamum lib. 11. cap. 8. §. 4. & 6. Debebant autem filios fuos tum ante, cum poft Baptifmum inftituere, & eorum fpiritualis vitæ moderatores effe. Confer Binghamum §. 8. & Martenium art. 16. n. 15. Quid in Scrutiniis præftarent Patrini prima parte c. 8. docet Chardonius. In ipfo etiam baptifmo fulcire, ac fuftentare baptizandos debebant. Qua in re Ordo Lemovicenfis ab Affemanno editus p. 86. hæc ftatuit: *Matrina debet expoliare puerum, & tradere Patrino, qui accipiet fubtus fcapulas . . . & deferentes puerum ad fontes, omnibus apparatis, & Patrino tenente eum nudum in porta Ecclefiæ, & Matrina in manu, & pede, fi fit confuetudo in illa Ecclefia, vel faciendo cæremonias confuetas dicit Presbyter &c.* Capite X. Secundæ hujus partis alia de Patrinorum officio poft baptifmum dicenda erunt. Duo adhuc reftant dicenda. Primum eft, fufceptorum nomina ab antiquiffimis temporibus una cum Catechumenorum nominibus fuiffe in Ecclefiafticas tabulas relata. Teftem habemus pfeudo-Dionyfium de Ecclef. hierarch. cap. 2. Alterum eft, Statuta Synodalia Ecclefiæ Avenionenfis ann. 1337. præcipere, *quod Patres, & Matres infantes natos,*

vel

AD CAPUT II.

P. JOHANNIS CABASSUTII

ORATORII DOMINI JESU

De veterum Ecclesiarum situ, partibus, & structura

DISSERTATIO V.

I. VEteres Ecclesiæ, illæ saltem, quæ ob amplitudinem, & hominum confluentium frequentiam, Basilicæ vocabantur, quatuor constabant partibus, quarum prima, quæ ingressuris obvia erat, Græce προνάον, Latine *vestibulum*, seu porticus dicebatur, atque pro foribus Ecclesiæ structa erat: non tamen sacra censebatur, etsi sacræ structuræ proxime adjaceret. Secunda pars Græce πρε-νάον, Latine *Navis*, seu gremium denominabatur: huc populus ad divina officia conveniebat. Tertia pars aliquot gradibus supra navim assurgens Græce dicebatur ἀνάβαθρον ab ἀναβαίνω, quod est ascendere, Latine vero *suggestum* nominabatur. Isto ex loco Scripturæ sacræ ad populum legebantur, & sermones a concionatoribus habebantur, Episcoporum constitutiones, Imperatorum etiam edicta quandoque promulgabantur, Psalmi etiam sollemniter concinebantur, aliæque Divini Officii partes. Frustra igitur vir quidam doctissimus chorum ab ambone sejungit: cui refellendo sufficiat Laodicenus can. 15. *Non oportere præter Canonicos cantores, qui ambonem ascendunt, & ex membrana legunt, aliosque alios canere in Ecclesia*. Quarta denique pars Ecclesiæ Græcis ἱερατεῖον, nec non ἁγιαστήριον, itemque ἱερὸν βῆμα, Latinis *sanctuarium*, *sacrarium*, *sacrum Altare* dicebatur, eoque loco divina mysteria, & sacrificia sollemni ritu celebrabantur.

II. Ut autem singillatim quas diximus partes exploremus, Vestibulum, ac porticus nihil aliud erat, quam tectum humilioris situs, ab Ecclesiæ tecto, quod sublimius erat, distinctum, columnis, aut arcubus suffultum, qualia visuntur ante plerasque Romæ Basilicas sacras. Hic locus, cum non esset muris conclusus, ventis, & solaribus radiis pervius, & apertus erat. Hic assentire minimum possum Scriptori tametsi peritissimo, qui pœnitentium secundæ classis, hoc est Auditorum stationem in illa porticu collocat; depellitque ab ea primum, hoc est flentium, ordinem, quos ad aream sub dio vult omnino ablegatos. In primis enim certum indubitatumque est, Auditores pœnitentes fuisse intus Ecclesiam admissos, eorumque stationem ideo dictam audientium fuisse, quia lectiones Scripturarum audiebant, quæ divinum præcedebant Officium: & finitis lectionibus Psalmodiam, deinde Missam catechumenorum dictam, postmodum Evangelii cantum, postremo Evangelicam prædicationem distincte, & intelligibiliter audiebant; & post aliquot Sacerdotum preces super istis pronunciatas, foras voce Diaconi dimittebantur. At nihil horum sub porticu fiebat, aut fieri audi-

vel nasciturος ultra unum diem naturalem non differant baptizare, & quod cum aliqua persona infantem faciet baptizari, eidem infanti, vel ejus matri, seu commatri, vel nutrici non præsumat dare, vel mittere aliquid nisi solum albam, & cereum in baptismo. Addamus & hoc plane singulare, Johannem Spatarium, auctore S. Theodoro Studita l. 1. ep. 17. in filii sui baptismo pro susceptore adhibuisse S. Demetrii Martyris imaginem.

audirique poterat, sed intra Ecclesiæ fores, ac limina. Præterea quis nesciat distinctas fuisse a lugentibus Auditorum stationes? At vero innumeris, & perspicuis priscorum Patrum testificationibus liquido constat, flentium, seu lugentium locum fuisse ad fores Ecclesiæ, quarum tamen limen transilire vetabantur. At vero, ut ad metam illam auditores se sisterent, transilienda primum eis porticus erat; quippe quæ foribus illis objecta erant. Omissis testibus aliis innumeris audiamus can. 11. Gregorii Neocæsariensis, aut si quis sit alius eius auctor, gravis certe, & antiquitate venerandus, *fletus extra januam oratorii est*. Deinde subiungit, *auditio intra portam in Narthece*. Non igitur eis portam, ad quam porticus pertingebat, sed inter eamdem, seu intra oratorium in quo decantabantur divina Officia, legebantur divinæ Scripturæ, pronunciabantur de pulpito ad plebem sermones; quarum omnium rerum auditioni obstrictum erat genus pœnitentium secundum, hoc est Auditores. Similiter Basilius ad Amphilochium can. 56. de voluntario homicida, quem ante omnia stationi fletus per quadriennium addicit, sic decernit. *Debet quatuor annis deflere stans extra fores oratorii*. Idemque can. 75. de incestuoso qui propriam sororem vitiavit. *Triennio defleat stans ad fores domus oratoriæ*. Non igitur reum ordinis flentium amandat procul extra oratorii valvas ad aream aliquam sub dio; sed stationem ad oratorii valvas assignat, & canoni satisfit, si propter januam consistat, dum limen oratorii non transiliat. Et vero si pœnitentibus istiusmodi orandum sub dio fuisset, periclitandum illis de morte fuisset ingruente imbrium vi, aliave tempestate.

III. Ingressis Ecclesiæ januas primum occurrebat pars illa navis, quæ νάρθηξ dicebatur, eratque pœnitentium Auditorum statio. Toto enim cælo aberrarunt, qui Narthecem Auditorum locum, ac stationem existimarunt esse porticum extra Ecclesiæ sanctæ ambitum, & laquearia structam, tectoque humiliorem: satis enim superque jam ostensum est, Auditores constitisse intus sacram Ecclesiam, flentesque in ipso vestibulo, seu porticu. Sapientius itaque locum Gregorii Neocæsariensis ἐν νάρθηκι Baronius *Tom. II. ad an. Chr.* 263. *n.* 29. sic exponit, *in loco quem nartheca vocant, seu in ferula*; quam vulgaris interpres, qui multis fraudi fuit, dum vertit in *porticu*. Huiusce vero denominationis caussam congruentem nullam video, præter eam, quam tradit Joannes Meursius in suo Lexico Græcobarbaro: Quia (inquit) ibi pœnitentium statio erat sub Ecclesiasticæ censuræ ferula: id enim, idest *ferulam*, sonat νάρθηξ. Flentes autem, quasi projectitii, & alieni ab ingressu Ecclesiæ, manuumque impositione Sacerdotali, non dignabantur nomine filiorum sub ferula constitutorum, juxta illud Pauli Hebr. 12. *Quod si extra disciplinam estis, ergo adulteri, & non filii estis*.

IV. Audientes pœnitentes loco intus Ecclesiam antecedebat aliorum pœnitentium ordo, qui *substrati*, seu prostrati dicebantur. Atque isti simulque audientes una cum catechumenis, atque energumenis, ad vocem Diaconi proclamantis: *Exeant qui non communicant*, remanentibus tamen ad usque finem collectæ pœnitentibus quartæ classis, qui *consistentes* nuncupabantur; eorumque statio, ac ordo *consistentia* quarti generis pœnitentium, qui a tergo populi ad Eucharistiæ participationem admissi, exortes tamen erant sacræ communionis. Quæ ultima populi versus Sacrarium statio, a Basilio dicitur μέθεξις, idest *participatio*, nimirum communionis.

V. Navim ingressis occursabat tabulatum, aut murus intermedius virorum stationem a feminis dirimens, pertingensque a primis Ecclesiæ foribus ad usque ambonem, & Sanctuarium. Ex utraque parte janua occurrebat, cujus præfectura incumbebat ex parte feminarum ostiariæ Diaconissæ. Januæ vero, quæ viris aditum aperiebat, custodia penes ostiarios Clericos erat. In hisce sexuum separationibus ordines utraque ex parte servabantur pœnitentium, & participantium, a nobis jam commemorati; quibus ex parte feminarum adjungebantur sacræ Virgines ad intimam stationem Sanctuario proximiorem: sicut ex parte virorum intima occupabant Monachi, quo tempore proprias Ecclesias non habebant, ut ex Dionysii hierarchia Ecclesiastica, & ex Ambrosii ad virginem lapsam epistola colligitur. Per gemina etiam Navis, seu gremii latera, in quibusdam Ecclesiis producebantur hinc inde porticus arcubus, vel columnis fulfultæ, intra quas distincta erant sacella, seu oratoria, ad secre-

tius,

tius, si luberet, orandum: ut commemorat Paulinus in epistola ad Severum, in quibus altaria erecta erant. Scribit etiam Ambrosius epist. 33. ad virginem Marcellinam sororem suam, postquam tumultum graphice descripsit ab Ariana Imperatrice Justina concitatum adversus ipsummet Ambrosium Episcopum, quem plebs Mediolanensis studiose custodiebat intra Basilicam sacram, quam Justina furens sancto Episcopo, & Orthodoxis eripi, & Arianis tradi, immissis intra illam armatis contendebat. Postquam demum Justinæ filius Valentinianus Imperator pacem denunciari, militesque ex Basilica occupata pedes efferre jussit, scribit Ambrosius in illa communi Fidelium lætitia, *milites ipsos irruentes in Altaria osculis significasse pacis indicia*. Igitur non unicum stabat intra ad templum Altatare, sed plura hinc inde dispersa. His adde majus Altare, quod erectum intus Sanctuarium erat, fuisse armatis inaccessum, & cancellis circumclusum, illuc enim aliis quibuslibet quam Sacerdotibus, & sacris Diaconis accedere nefas erat. Altaria itaque illa, quibus nova pacis denunciatione lætantes milites oscula figebant, inferius per circuitum Navis collocata erant, & hinc inde dispersa. Magnus præterea Romæ Pontifex Gregorius I. lib. 1. epist. 50. ad Palladium, meminit Ecclesiæ cujusdam, quæ tredecim Altaria continebat. Quorsum vero tot Altaria, si semel dumtaxat intra unam Ecclesiam licebat offerre sacrificium, ut nonnulli putaverunt.

VI Altera Ecclesiæ pars erat, ut dictum est, Ambon; choros nimirum muro circumseptus, ad quem gradibus aliquot ascendebatur ex paullulum subjecta navi. Situs erat ambonis intermedius navi, & Sanctuario. Ex ambone minores Clerici psallebant, ut liquet ex præcitato canone Laodiceno 15. Itemque Carthaginiensis IV. Concilii can. 10. & ex Romano sub S. Gregorio anni 595. Ibidem Diaconus sollemniter in Missa sanctum concinnebat Evangelium, proclamabantur Episcoporum edicta, & jussiones, denunciabantur excommunicati, recitabantur ex diptycis fidelium tum viventium, tum defunctorum nomina, legebantur a Clericis lectoribus sacri libri, atque ad populum sermones habebantur. Supersunt Romæ integri duo vetustissimi ambones, quo præsens, dum essem in comitatu Eminentissimi Cardinalis Hieronymi Grimaldi Aquisextiensis Archiepiscopi, exacte observavi. Horum unus est in Ecclesia Sancti Clementis Papæ, & Martyris ad Amphitheatrum: alter in Ecclesia Sanctorum Martyrum Nerei, & Achillei. Prior ille ambon duo continet pulpita, singula utrique lateri cohærentia; cum tamen unicum sit, Sanctorum Nerei, & Achillei pulpitum muro navis cohærens.

VII. Quatuor, ut plurimum erant in ambonibus portæ, ex quibus geminæ ad Navim spectantes vocabantur ὡραῖαι *speciosæ*, aliæ pariter geminæ ad Sanctuarium præbentes ingressum dicebantur ἅγιαι πύλαι *portæ sanctæ*. Istarum cura, & custodia Subdiaconis incumbebat, quibus prohibent Synodi Laodicenæ canones 21. & 22. ab his januis discedere, atque eisdem vetant in Sanctuarium, & Diaconium se ingerere.

VIII. In Ecclesiis Græcorum locus erat amboni, & Sanctuario intermedius, qui nunc σωλῆνον nunc σωλεῖος nunc σωλεία legitur appellatus, eratque ambone, seu choro paucis aliquot gradibus elevatior: atque eousque ad Eucharistiam participandam procedebant laici, & cum eis Clerici, qui ob aliquam culpam fuerant ad laicam redacti communionem. Qua de re tractatum supra fuit in *Dissertatione V. de veteribus olim in sacra Eucharistia adhibitis ritibus*. Solea itaque interjacebat inter ambonem, & Sanctuarii cancellos. In hisce objectis Sanctuario cancellis erant apud Græcos dictæ sacræ portæ. Mihi quidem adhuc incompertum est, utrum tempore Chalcedonensis Synodi, Senatus, qui ante cancellos considebat, esset intus, an extra cancellos, an in sanctuario, an in solea. Certe vel Principum ambitione, vel Clerici socordia factum fuerat, ut Principes primum, deinde Optimates aulæ, multa sibi indebita in Ecclesiis Græcorum præriperent; ut addiscimus ex congressu Theodosii senioris cum Ambrosio Mediolanensi Episcopo, coram quo suam ille excusat in Sanctuario præsentiam, eo quod nesciverit usum ceterarum a Constantinopolitana Ecclesiarum, in qua Patriarcha Nectarius ipsum in Sanctuario voluerat residere. Perspecta etiam est Nicolai Romæ Pontificis expostulatio apud Michaelem Orientis Imperatorem, qui etiam inter sacra officia Constantinopolitanum Patriarcham ad suos

pedes abjicere non verebatur. Refert Hiſtoricus Nicetas ſolium Imperatoris intra Conſtantinopolis Eccleſiam longe eminentius fuiſſe Patriarchali Sede. Illa ſane Chalcedonenſis Œcumenica Synodi expreſſio, actione 1. *Reſidentibus magnificentiſſimis, & glorioſiſſimis Judicibus, & Ampliſſimo Senatu in medio ante cancellos ſanctiſſimi Altaris* videtur ambigua, num intra, vel extra ſacros cancellos ſederent illi Magiſtratus. Sed tamen mirum eſt, ſi Sanctuarium Eccleſiæ Chalcedonenſis tantæ fuiſſet amplitudinis, ut ambitu ſuo tam multos Antiſtites, tamque numeroſam Optimatum, & Senatorum multitudinem complecti poſſet.

IX. Quartæ demum Eccleſiæ partis diverſa erant nomina, Sanctuarium, Secretarium, Tribunal, Sancta Sanctorum Latinis; Græcis vero ἱερατεῖον, ἱερὸν βῆμα, τὰ ἅγια, τῶν ἁγίων ἁγιώτερον, eratque pars Eccleſiæ ſacratiſſima penitiſſimaque. Hujus in medio ſitum erat ſub tabernaculo Altare primarium, ad quod Sacerdos ſacrum celebrans ſtabat facie ad populum verſa: quo etiam ſitu pleraque adhuc Romæ viſuntur altaria, præcipua nimirum quinque Baſilicarum præcellentium, quæ Patriarchales nuncupantur, Lateranenſis, Petri in Vaticano, Pauli in via Oſtienſi, S. Mariæ Majoris in Eſquiliis, & Laurentii in agro Verano, prætereaque Cæciliæ trans Tyberim, Sabinæ, Alexii, Pancratii, Euſtachii, Nerei atque Achillei. Tabernaculum vero altari ſuperpoſitum, fornix erat lapidea, aut ex metallo quatuor columnis ſuſtentata, qualis etiam nunc viſitur in altaribus jam memoratis. Eidem etiam nomen *Ciborii* promiſcue a Græcis, & Latinis tribuitur, ut paſſim legitur in libro Pontificum Anaſtaſii. Germanus inſuper Conſtantinopolis Epiſcopus κιβώριον iſtud deſcribit, conſtans ſuperne ampla teſtudine, & quatuor inferne columnis altare ambientibus. Quin etiam huic voci Græcam tribuit etymologiam a κιβὸς, ideſt *arca*, & ὁρᾶν, quod eſt *videre*, quaſi ſit Arca viſionis, ſeu manifeſtationis Domini Salvatoris. Latini vero deducunt a *cibo* id nomen, hoc eſt ab Euchariſtico pane, quo ad perennem vitam alimur. Simile in præcedenti diſſertatione vidimus de Orario, cujus etymon Græci, latinique ſinguli ad propriam linguam referunt. Nec deſunt qui vocem *Myſterium*, alii ad Græcam, alii ad Hebraicam originem referant, hi ad radicem *Satar*, alii ad Græcum μύω, quæ utraque vox ſignificat abſcondere, claudere: & *Miſtar abſconditum, res abdita*. Unde facile deducitur *Myſterium*.

X. Sanctuarium porro ipſum, interjectis cancellis, a reliqua Eccleſia fuiſſe diviſum, non modo tradit Chalcedonenſe Concilium, ſed etiam meminit Gregorius Nazianzenus in oratione 150. ex quo verbum Dei populo prædicabat. Euſebius etiam Cæſarienſis lib. 10. hiſt. Eccl. c. 4. loquens de ſtructura Baſilicæ Tyri a Paulino ejuſdem civitatis Epiſcopo dedicatæ, hæc dicit: Locus erat Sanctuarii in ſpeciem quadratam columnis ſublimibus undique circumſeptus, quarum media intervalla interſtitiis ex ligno inſtar retis, aut tranſennæ cancellatis in mediocrem, & æquabilem longitudinem circumcluſa. Additque, altare in Sanctuarii meditullio ſitum fuiſſe. Ibidemque adjungit a fronte hujus templi poſitum fuiſſe fontem uberes aquas profundentem, ad quem manus abluebant quicumque locum ſacrum ingreſſuri erant. Paulinus etiam Nolanus Epiſcopus aliorum meminit fontium, ad introitum Eccleſiarum conſtitutorum, epiſt. 12. ad Severum, & epiſt. 31. ad Aletium; quibus arguitur, conſuetudinem religioſam, quam Judæi ſervabant, manus abluendi ante ſacras preces, quam refert Ariſteas, lib. de ſeptuaginta Interpretibus, ad primos quoque Chriſtianos pervaſiſſe, ideoque ſolitos fontes pro foribus Eccleſiarum collocare.

XI. Præterea ita diſponebatur Eccleſiarum ſitus, ut ad Orientem ſpectarent. Clemens Papa & martyr de Eccleſiæ ſtructura loquens lib. 2. Conſtitutionum c. 6. *Primum quidem* (inquit) *ſit longa, & ad Orientem converſa*. Hoc idem ſignificat Tertullianus adverſus Valentinum c. 2. idemque aſſerit Paulinus in relata ad Severum epiſt. 12. Hoc idem atteſtatur loco citato Euſebius, de ſtructura memoratæ Tyri Eccleſiæ. Qui præterea lib. 3. vitæ Conſtantini cap. 36. deſcribens fundatum a Magno Conſtantino in loco Dominicæ Reſurrectionis templum, tres illius partes ad Ortum perſpexiſſe perhibet. Templi quoque Salomonis anteriorem partem Solis ortum proſpexiſſe teſtantur oculati teſtes Ariſteas, & Joſephus, atque ex horum teſtificatione Ribera, in opere ſuo de templo Judaico, & Baronius ad annum Chriſti 57. num. 103.

Quin

Quin etiam quamplurimis veterum auctorum testificationibus convincitur, religiosum apud Romanos fuisse, ante prædicatam Christi fidem, ut quatenus fieri posset, dum falsis numinibus cultum adhibebant, aut sacrificabant, id agerent converso ad Ortum aspectu. Hunc ritum Numam Regem Romanis Deos invocantibus præscripsisse tradit Plutarchus in ipsius vita. Eodem referuntur hi Virgilii versus lib. 8. Æneid.

Surgit & ætherei spectans Orientia Solis
Lumina, rite cavis undam de flumine palmis
Sustulit, ac tales effundit ad æthera voces.

Ejusdem ritus idem pariter meminit Æneid. l. 12.
Illi ad surgentem conversi lumina Solem
Dant fruges manibus salsas,

Quo loco Servius ait: *Disciplinam cæremoniarum sequutus est, ut Orientem spectare diceret eum, qui esset precaturus.* His adde Ovid. l. 4. Fast.
His Dea placanda est, hæc tu conversus ad Ortum
Dic quater:

Sed & Vitruvius de templorum architectura l. 4. c. 5. hæc prodit: *Ædes autem sacræ deorum immortalium ad regiones, quas spectare debent sic erunt constituendæ, uti si nulla ratio impediverit, liberaque fuerit potestas, ædis signum quod erit in cella collocatum, spectet ad vespertinam cæli regionem: ut qui adierint ad aram immolantes, aut sacra facientes, spectent ad partem cæli Orientis, & simulacrum quod erit in æde. Et ita vota suscipientes contueantur ædem, & Orientem cæli.* Quo etiam argumento Tertullianus in Apologetico dicit: *Sed & plerique vestrum affectatione aliquando cælestia adorandi, ad solis Ortum labia vibratis.* Huc pertinet dictum illud Latini Pacati in Panegyric. *Ut divinis rebus operantes in eam cæli plagam ora convertimus a qua Lucis exordium est.* Denique Clemens Alexandr. lib. 7. Stromatum, sollemnem plane fuisse hanc ad orientem conversionem in actibus ad religionem spectantibus indicat.

XII. In Sanctuario, præter intermedium Altare, geminæ hinc inde mensæ collocatæ erant, quales etiam nunc conspiciuntur marmoreæ in Sanctuario commemoratæ sanctorum Martyrum Nerei, & Achillei Ecclesiæ. In ea quæ ad lævam erat, reponebantur vasa sacra cum suis velis, simulque panis consecrationi, sacræque communioni destinatus, partim etiam eulogiis post sacram synaxim distribuendis assignatus. Mensam istam Græci *propositionem* vocant, cujus accessum etiam ipsis Subdiaconis, nec non sacrorum vasorum contactum interdicit Laodicena Synodus can. 21. In altera ad dexteram erecta mensa reponebantur sacra Episcopi, vel Sacerdotis sacrificaturi vestimenta.

XIII. Per interiorem Sanctuarii circuitum dispositæ erant exedræ pro Sacerdotibus, atque his editior Cathedra Episcopalis in medio, ac intimo Sanctuarii hemicyclo e regione altaris; adeo ut sedens Episcopus, & altare, & populum recta prospiceret. Hujusmodi visitur solium, in illo sanctorum Nerei, & Achillei sanctuario, ex quo sanctus Papa Gregorius, (ut ipse de se perhibet) sermonem olim die horum martyrum natalitio ad populum habuit. Propter quæ venerandæ antiquitatis vestigia, sedulo admonuit, insculptis marmori litteris, nunquam satis laudatus ejusdem Ecclesiæ titularis Cardinalis Cæsar Baronius, ne quis posthac ejus speciem immutaret, aut lapidem moveret. Cujus etiam curam, & ministerium Sacerdotibus Oratorii S. Mariæ dictæ in Vallicella fecit attribui. Ista vero Pontificia sedes, tribus est elevata gradibus supra contiguas utrobique dispositas ex marmore Cathedras. De Cathedra Episcopi sic Augustinus scribit in Ps. 126. *Quomodo vinitori altior locus fit ad custodiendam vineam, sic & Episcopis altior locus factus est; & de isto loco periculosa redditur ratio.* Liturgia etiam Chrysostomi sedem vocat Episcopalem *quæ sursum est, Cathedram.* Clemens Papa, & Martyr lib. 2. Constitutionum Apostolicarum c. 61. similiter docet in medio Sanctuarii sedere Episcopum. Id est in medio penitioris parietis, qui Sanctuarium a tergo ambit. Additque sacrum Clerum ad ejus utrumque latus assidere.

XIV. Verumtamen ex ista Cathedra, quæ divinis Officiis inserviebat, sermocinari non solebant ad populum Episcopi; neque ex ambone, nisi minores Sacerdotes. Sed quando Antistes erat ad plebem concionaturus, apparabatur ei mobilis cathedra supra celsiorem

Altaris gradum e regione ambonis, atque navis. Eaque vigebat consuetudo tum in Orientalibus, tum in Occiduis Ecclesiis. Gregorius enim Nazianzenus orat. 150. ait se concionante cancellos vim passos, ac pene emotos a confluentis populi frequentia. Cancellorum autem objectu superius dictum est Sanctuarium fuisse a reliquo templo divisum. Et de Chrysostomo Socrates prodit peculiare hoc ei fuisse, ut extra Sanctuarium, quo melius a populo audiri posset, in ambonem prodiret ad concionandum, instar inferiorum Sacerdotum, quibus licitum non erat e Sanctuario sermocinari. Huc spectat pariter Prudentii Basilicam Hippolyti martyris describentis distichum, de Sanctuario sic loquens:

Fronte sub adversa gradibus sublime tribunal
Tollitur, Antistes prædicat inde Deum.

Et Sidonius Apollinaris in carmine eucharistico ad Faustum Rejensem Episcopum ita concinit:

Seu te conspicuis gradibus veneralilis aræ
Concionaturum plebs sedula circumsistit,
Expositæ legis bibat auribus, ut medicinam.

Supra memoratus Clemens meminit duorum, ut appellat, Pastophoriorum in Ecclesiis extruendorum lib. 6. Const. Apostol. cap. 61. Eadem significat Paulinus nomine *Secretariorum*, quæ dicit esse ad absidem epist. 12. ad Severum. Cum vero Absis peculiariter diceretur fornix, seu arcus ipsum Sanctuarium superne coronans; facile colligitur gemina illa Pastophoria, seu secretaria fuisse in fronte Sanctuarii hinc inde collocata; quorum unum inserviebat, (ut multis visum est) recondendæ sacratissimæ Eucharistiæ; aut (ut alii multi opinantur) erat ipsa quæ nunc vocatur Sacristia, & antiquitus Secretarium, quod idem nomen nonnunquam Sanctuario quoque tribuebatur, ut diversis paullo post testimoniis comprobabitur. Græce etiam Sacristia σκευοφυλάκιον vocabatur, & Sacristiæ præfectus, seu Æditus σκευοφύλαξ, latine Sacrista, Custos æditus. Alterum vero Secretarium, seu Pastophorium sacris Ecclesiasticis libris recondendis usui erat. Testificatur Paulinus se quod ad lævam erat Secretarium hoc disticho inscripsisse:

Si quem sacta tenet meditandi in lege voluntas
Hic poterit residens sacris intendere libris.

Idemque de altero Secretario ad dexteram sito a se descripti Templi, scribit a se superpositum fuisse distichum istud:

Hic locus est, veneranda penus, quo conditor; & quo
Promitur alma sacri pompa ministerii.

XV. Sacræ reconditorium Eucharistiæ solebat antiquis ut plurimum esse armarium, ac repositorium ad Sanctuarii latus, ut colligitur ex supra allegatis Clementis, & Paulini locis. At vero secundum Turonense Concilium can. 3. prohibet in imaginario ordine componi Dominicum corpus, sed iubet in Altari reponi sub titulo Crucis. Poterat quidem esse loculus affabre dispositus in illa Crucis mediana parte, qua duo ligna, rectum, & transversum, committebantur; aut certe titulus Crucis pro ipsamet Cruce ibi usurpatur, ut velit Concilium, Eucharistiam in medio Altaris recondi intra loculum situm sub pede Crucis. Alibi præterea solebat Divinum Sacramentum reponi, & asservari intra suspensam supra sanctum Altare columbam, vel pyxidem, vel arculam auream, vel argenteam, ut colligitur ex supplice libello, quem Œcumenicæ quintæ Synodo Clerici, & Monachi Antiocheni obtulerunt, actione 1. Severum Pseudopatriarcham hæreticum accusantes subreptarum furto columbarum ex auro fabricatarum, quæ fuerant ad sacras aras appensæ, itemque aliarum argentearum, quæ fuerant in Baptisteriis collocatæ, ad communicandos (ut conjicio) recens, pro vigente tunc consuetudine, baptizatos. Legimus insuper in Basilii Græce conscripta vita, Amphilochio attributa, columbis argenteis inclusam de more fuisse in templis Eucharistiam. Quem ritum suspendendi vasculo Augustissimum Sacramentum, quod funiculo serico elevari, aut demitti olim ad populi communionem soleret, vidimus ad usque nostram ætatem perdurasse in Metropolitana Aquarum Sextiarum Basilica. Sed jam prorsus inolevit, introductis commodioribus tabernaculis primario Altari superpositis. Extat Venantii

For-

Fortunati carmen de Turri, quam Felix Bituricensis Episcopus ex auro fabricari curaverat, ad condendum intus vivificum Sacramentum. Is vero Felix huic Turonensi secundæ Synodo legitur subscriptus. Asservatæ præterea in templis Eucharistiæ exemplum habet Optatus Milevitanus lib. 2. contra Parmenianum, in illo Donatistarum scelere, qui, facta in Ecclesiam orthodoxam irruptione, depromptum inde sacratissimi Corporis Sacramentum canibus devorandum projecerunt: sed conversi canes ad sacrilegos, non Eucharistiam, sed illos impios dentibus, & efferata rabie lacerarunt. Taceo epistolam ad Jacobum fratrem Domini, quæ meminit asservationis sacrorum fragmentorum hujus Sacramenti intra Sacrarium, quæ Clementi Papæ attribuitur; quæ quidem pseudepigrapha, & supposititia est, opus tamen antiquum, & demonstrans prisci temporis usum.

XVI. *Secretarii* vocabulum diversa significat. Primum apud Jurisperitos usurpatur pro secreto judicis auditorio, in quo seorsim tum partes, tum testes audiebantur. Apud Ecclesiasticos vero Scriptores diversa connotat: nunc ipsum Conclave, in quo vasa sacra, & alia ad sacrificium spectantia, omnisque ad templi cultum, & ornatum pertinens suppellex asservatur: nunc illam etiam Sanctuarii partem, in qua vela, vasaque, & indumenta sacra ad sacrificium decenter apparabantur, tum in Diaconio, tum in mensa protasis, ut superius descripsi: nunc demum pro toto ipso Sanctuario usurpantur. Sic enim tertium Carthagine habitum Concilium inscribitur, *In Secretario Basilicæ Restitutæ*. Et quartum Carthaginiense similiter; *in Secretario Basilicæ Fausti*. Septimum pariter in eadem civitate, in *Secretario Basilicæ Restitutæ*. Et Milevitanum, in *Secretario Basilicæ*. Atque Africanum plenarium, in *Secretario Basilicæ*. Cæsaraugustanum, in *Secretario*. Arelatense secundum can. 15. diserte *Secretarii* nomine Sanctuarium exprimit. Liberatus Diaconus in Breviario c. 13. vocat *Secretarium* Ecclesiæ S. Euphemiæ locum, in quo Synodus inita est Chalcedonensis. Denique Gregorius Magnus lib. 2. epist. 54. Sanctuarium similiter *Secretarii* appellatione designat.

XVII. Græca etiam vox βῆμα duplex Ecclesiasticum significatum complectitur seclusis aliis, & prophanis significationibus. Nam præterquam quod Sanctuarium persæpe significat, usurpatum pariter pro *Ambone* legitur, vocisque origo, ac etymon utrique rei convenit, *ab ascendendo*. Gregorius Nazianzenus, Invectiva 1. in Julianum, postquam retulit istum militiæ Christianæ infamem desertorem, olim in Ecclesia Clericum Lectorem fuisse, subiungit *ambonis ascensu honoratum*. Siquidem ex ambone legebatur: solis vero sacris Clericis, quales minime censebantur Lectores, Sanctuarium ingredi licebat, ut perspicue decernunt Laodicenæ Synodi canones 21. & 22.

XVIII. Denique Baptisteria non intra, sed extra Ecclesiam constructa erant: quale hodie visitur Constantinianum juxta Basilicam Lateranensem, quam utramque fabricam Constantinus a fundamentis erexerat. In primariis item Etruriæ civitatibus Florentia, & Pisis, Metropolitanarum Basilicarum Baptisteria seiuncta ab eis cernuntur, veterisque hujus consuetudinis certam fidem facit Cyrillus, Catech Mystag. 1. Paulinus etiam in sæpius præfata epist. 22. Baptisterium refert a se inter duas Basilicas extructum.

P. D. JOHANNIS MABILLONII BENEDICTINI

De Ecclesiarum, seu Basilicarum forma, & dispositione apud Francos

DISSERTATIO VI.

Ex lib. I. de Liturg. Gallic. cap. VIII.

I. NOn una fuit apud majores nostros ecclesiarum, seu basilicarum forma. Aliæ quippe in modum crucis, aliæ recto parietum & porticuum seu alarum ordine, aliæ in orbem constructæ erant: quædam laquearibus vel tabulatis, nonnullæ fornicibus instructæ omnes in absidem seu arcum desinebant, atque Orientem spectabant, quem morem *usitatiorem* vocat Paulinus in epist. 12. ad Severum, quæ est 32. in novissima edit. Unde Stephanus Episcopus Tornacensis in Epist. 86. ad Lucium Papam III. ait, Parisiensis Ecclesiæ S. Benedicti formam *dissimilem* & *dissidentem* esse *ab aliis ecclesiis*, utpote *quæ a parte sanctuarii respiciebat Occidentem, ab introitu Orientem*. Aptissima est huic loco basilicæ a Perpetuo Turonensi Antistite conditæ descriptio apud Gregorium in Historiæ lib. 2. cap. 14. *Habet in longum pedes centum quinquaginta quinque, in latum sexaginta habet, in altum usque ad cameram*, id est fornicem, *pedes quadraginta quinque. Fenestras in altario triginta duas, in capso viginti; columnas quadraginta unam: in toto ædificio fenestras quinquaginta duas, columnas centum viginti: ostia octo, tria in altario, quinque in capso*. Hoc loco Gregorius totam ecclesiam dividit in partes duas: quarum una dicitur *altarium*, altera *capsum*.

II. Quid sit *capsum*, non promtum est definire. Hac voce navim (quam vocamus) ecclesiæ, vel caput seu absidam cum choro adjuncto designari constat. At quo minus id de absida interpreter, illud facit, quod ostia quinque capso assignentur. Quod non absidæ, sed navi convenire potest. Sic dicitur *capsa navis* in actis Martyrum Africanorum apud Baronium ad annum 302. num. 123. ad designandam imam veræ navis partem. Postea tamen *capsum* etiam, & *capitium* appellata est illa ecclesiæ pars, in qua altare locatum, *Presbyterium* vulgo appellata, ut doctissimus Cangius observat. Gregorius in ejusdem lib. cap. 16. describit aliam ecclesiam, quam S. Namatius apud Arvernos edificavit, *habentem in longum pedes centum quinquaginta, in latum pedes sexaginta; in altum infra capsum usque cameram pedes quinquaginta, in ante absidem rotundam habens; ab utroque latere ascellas*, id est porticus, *eleganti constructas opere; totumque ædificium* IN DOMUM CRUCIS *habetur expositum. Habet fenestras quadraginta duas, columnas septuaginta, ostia octo*. Quod scribit Gregorius, *in ante absidem rotundam habens*, mihi prima lectione referri videbatur ad *capsum*. Nam si ad Ecclesiam referas, scribendum fuisset *habentem*. Ex quo inferebam, *capsum* ab abside fuisse distinctum cum ante se absidem *rotundam* haberet. Verumtamen postea satius visum est, *habens* referri ad ecclesiam, & *habentem* legi oportere. In utraque ecclesia, quam ex Gregorio descripsimus, octo erant *ostia*: & *tria* quidem ad *altare* seu presbyterium, *quinque* ad *capsum*. De illis tribus, quibus ad presbyterium patebat aditus, intelligendus Paulinus in Natali x.

Trinaque cancellis currentibus ostia pandunt.

Totidem enumerat Paulus Silentiarius: *tribus autem portis totum septum Sacerdotibus patet*, in æde scilicet S. Sophiæ. In *capso*, quod reliquam a Presbyterio ecclesiæ partem apud

nos

nos complectebatur, quinque ostia erant, tria nimirum in majora porta ad Occidentem: duo ad bina latera.

III. Non omittenda est hoc loco descriptio ecclesiæ Gemeticensis, qualis a S. Filiberto Abbate sæculo septimo condita est. *Introrsus domus alma fulget, habitantibus digna, ab Euro surgens ecclesia*, CRUCIS INSTAR *erecta, cujus apicem obtinet alma virgo Maria, altare ante faciem lectuli condente beatissimo Filiberto, pictum gemmarum lumine, comtum auri, & argenti congerie. Ab utroque latere Johannis, & Columbani aræ dant gloriam Deo. Adorat a Borea Dionysii Martyris, & Germani Confessoris ædicula: in dextris nobile permanet S. Petri Oraculum*, id est Oratorium: *e latere habens S. Martini sacrarium*. In hoc contextu plana, & perspicua fere sunt omnia, nisi quod non satis explorata est *lectuli* notio. *Lectus* seu *Lectulus* aliquando altare, aliquando sancti tumulum significat. In actis S. Anstrudis Abbatissæ Laudunensis nu. 33. Adalsinda, quæ ei successerat, cælitus admonetur, *ut lectum citius faciat ædificari*. Quod cum ab alia Sanctimoniali, cui id revelatum fuerat, audisset, *intellexit lectum illum significare altare*. At in actis S. Trudonis num. 25. quidam *ante lectum piissimi Patris*, id est ante ejus tumulum, se prostrasse dicitur. Quo sensu passim apud auctores mediæ ætatis reperitur, ut apud Gregorium in lib. 1. de miraculis S. Martini cap. 35. ubi *lectuli* S. Martini pro tumulo meminit. Omnino dici potest, *lectulum* hoc loco esse mensam ipsam altaris, cujus summa pars *altare* appellatur ab hoc auctore, qui sæculo septimo scribebat.

IV. A proposito non digrediemur, si referamus id quod Beda Venerabilis in lib. 1. de historia monasterii sui num. 5. commemorat, videlicet Benedictum cognomento Biscopum, Oceano transmisso Gallias petiisse, ut *cæmentarios, qui lapideam sibi ecclesiam*, id est *cum tabulatu lapideo*, uti explicat Willelmus Malmesburiensis monachus, *juxta Romanorum, quem semper amabat, morem facerent*, postularet. Deinde cum opus *ad profectum* accederet, rursus *legatarios misisse in Galliam, qui vitri factores, artifices videlicet Britannis catenus incognitos, ad cancellandas ecclesiæ, porticuumque, & cænaculorum ejus fenestras adducerent. Factumque est, & venerunt nec solum postulatum opus compleverunt, sed & Anglorum ex eo gentem ejusmodi artificium nosse discere fecerunt. Ad hæc cuncta quæ ad altaris, & ecclesiæ ministerium competebant, vasa scilicet vel vestimenta, quia domi invenire non potuit, de transmarinis regionibus advectare religiosus emtor curabat*. Ubi vides, quanta fuerit majorum nostrorum in ornandis locis sacris sollicitudo, & industria præ aliis. Guthberctus Abbas Anglicanus, cum rursus vitri artifices apud se deessent, aliquem *qui vitrea vasa bene posset facere* petiit a Lullo Episcopo Moguntino. Confer Alfredi Regis vitam.

V. Quo ritu fieret primis illis temporibus Ecclesiarum apud nostrates dedicatio, satis explicat Gregorius in lib. de gloria Confessorum cap. 20. ubi Oratorii ab se factam dedicationem describit. Et primo quidem in alia sancta basilica *vigiliis noctem unam ducentes*, inquit, *mane venientes ad cellulam, altare quod erexeramus, sanctificavimus*. Deinde *regressi ad basilicam, sanctas reliquias exinde, solemniter radiantibus cereis crucibusque, admovimus. Erat autem Sacerdotum ac Levitarum in albis vestibus non minimus chorus, & civium honoratorum ordo præclarus; sed & populi sequentis ordinis magnus numerus. Cumque sacrosancta pignora, palliis ac mappis exornata, in excelsum deferremus, pervenimus ad ostium Oratorii. Ingredientibus autem nobis, subito replevit cellulam illam fulgor terribilis*, &c. Concilium Arausicanum II. in dedicatione basilicæ a Liberio Patricio constructæ celebratum est anno 529. Lege Vigilii Papæ epistolam ad Profuturum Episcopum Bracarensem. Quales ad dedicationem reliquiæ adhiberentur, constat ex eodem auctore, aliisque qui reliquiarum nomine intelligunt, quidquid aliquo modo Sanctum aliquem, ejusve tumulum attigerat, scilicet pannos, linteamina, & alia id genus. Consulendus hac de re Gregorius in lib. 1. de Miraculis S. Martini cap. 11. & lib. 1. de gloria Martyrum cap. 28. ut multa alia loca prætercam, ecclesiarum nostrarum partes breviter explicaturus.

VI. Atque ut ab altari, quæ sacratior ecclesiæ pars est, exordiar; de eo hoc statutum habemus in Concilii Agathensis can. 14. *Altaria placuit non solum unctione chrismatis, sed etiam sacerdotali benedictione sacrari*. Et in

in concilii Epaonensis can. 26. *Altaria nisi lapidea chrismatis unctione non sacrentur*. Formam altaris ecclesiæ S. Petri apud Burdegalam describit Gregorius in lib. 1. de gloria Martyrum cap. 33. *Hujus altare positis in altum pulpitis locatum habetur: cujus pars inferior, in modum cryptæ, ostio clauditur, habens nihilo minus & ipsa cum Sanctorum pignoribus altare suum*. Multa ejusmodi altaria edita, & super cryptas locata supersunt in Ecclesiis Gallicanis. Ad hæc altaria quibusdam gradibus ascensus erat, ita ut sub gradibus fideles oraturi possent consistere, ut pluribus ostendi in Præfatione 1. sæculi 3. num. 79. Ejusdem prope formæ erat in basilica S Cypriani martyris *analogius*; *in quo libro superposito, cantatur aut legitur*, inquit Gregorius in lib. 1. de gloria Martyrum cap. 94. *Nam ex uno lapide marmoris totus sculptus adseritur: id est mensa desuper, ad quam per quatuor gradus adscenditur: cancelli in circuitu, fulcter columnæ: quia & pulpitum habet, sub quo octo personæ recipi possunt*.

VII. Qui historiam Eucharisticam nuper composuit Rocus Minister, negat ante sæculum octavum in una Ecclesia plura fuisse altaria. Ad hoc autem revincendum sufficit unus Gregorius M. qui in lib. 5. epist. 50. ad Palladium Santonensem Episcopum, *tredecim altaria* testatur fuisse in ecclesia quadam, in honorem Apostolorum ab ipso Palladio constructa. Et Gregorius alter superius in ecclesia S. Petri apud Burdegalam duo altaria memorat, unum *in pulpitis*, aliud in crypta sub illo Summo altari. Brennaci in pago Suessionensi tria erant altaria, in quibus (ut jam vidimus; Gregorius Missas tres celebravit. Non immoror pluribus testimoniis congerendis; vide quæ hac de re a nobis dicta sunt in Præfatione 1. Sæculi 3. ubi tabulas *itinerarias*, quæ vice altaris itinerantibus Sacerdotibus essent, in usu fuisse ante sæculum XI. contra eumdem Rocum demonstratum est.

VIII. Altaria ciboriis passim instructa erant, præsertim altare majus, quod prævios habebat cancellos, & picturas ex utroque latere ad parietes. Ciboria erant turritæ ædiculæ, quatuor minimum columnis innixæ, quæ ædiculæ altare tegebant more græcorum, apud quos *supra incontaminatam mensam vastum in aerem immensa turris exsurgit: quadrifidis vero argenteis arculus incumbens, argenteis perinde columnis attollitur, in quarum vertice argenteos pedes statuit arcus quadruplex*, ut de ciborio S. Sophiæ tradit Paulus Silentiarius apud eruditissimum Cangium. Anastasius in Gregorio 1. *Hic fecit beato Petro Apostolo ciborium cum columnis suis quatuor argento puro*: & in Leone III. *Fecit in basilica B. Petri apostoli, super altare majus, ciborium cum columnis suis quatuor ex argento purissimo deaurato; cum diversis historiis miræ magnitudinis*. In ejusmodi ciboriis crux in summo erat, uti etiam Romæ, teste Anastasio in Leone IV. *Sacrum desuper construxit altare, & ciborium cum cruce*. Huc spectat e nostris Hariulfus in Chronici Centulensis lib. 3. cap. 3. *super illa tria altaria habentur tria ciboria ex argento & auro parata: in quibus tres dependent coronæ, singulæ per singula, ex auro, gemmisque paratæ, cum aureis cruciculis, aliisque ornamentis*. Itaque in summo ciborio cruces seu cruciculæ erant, uti etiam in ciboriis, quæ super Sanctorum tumulos erecta erant, apud Gregorium Turonensem Episcopum in lib. 2. de gloria Martyrum cap. 20. Aliud ciborii genus ævi posterioris videre licet apud Hugonem Abbatem Flaviniacensem pag. 166. Aliquando tamen columba loco crucis erat in sepulcris, ut de tumulo S. Dionysii Gregorius tradit in lib. 1. de gloria Martyrum cap. 72. Hæc observatio de cruce super ciboria alicujus momenti in consequentibus erit ad explicandum can. 2. Concilii Turonensis. Ejus generis ciborium cum Eucharistia appensa recens Beccenses nostri restituerunt ad exemplum ecclesiæ B. Mariæ de Valle Gratiæ, in qua altare cum ciborio sex columnis innixo felicis memoriæ Anna Austriaca more antiquo, regia magnificentia erigi curavit.

IX. Gregorius Turonicus Antistes non uno in loco picturas ecclesiæ parietum memorat. Unus est in lib. 1. de gloria Martyrum cap. 65. ubi de basilica Antoliani martyris apud Arvernos, quam duæ mulieres perillustres construxerant. *Erectis parietibus super altare ædis illius, turrem a columnis, pharis, heracliisque transvolutis arcubus erexerunt, miram cameræ fucorum diversitatibus imaginatam adhibentes picturam*. Addit Gregorius hoc opus tam *elegans & subtile* fuisse, ut ruinæ periculum cernens Avitus Pontifex, *anticipans futuram columnarum fragem, injecit*

ferit tigna, afferesque vel tegulas amoveri. Quibus submotis, nec adjutoriis columnis appositis .... dato columnæ immenso pondere cum magno sonitu super altare, & circa altare diruerunt, completaque est ædis nebula de effracte calcis pulvere. Quem locum integrum refero, tum ut vox *calcis*, quæ in *caiicis* perperam mutata fuerat, restituatur: tum ut appareat (quod superius notatum) columnas ad altare erectas fuisse. At ex superiori testimonio etiam id constat, quod modo probandum suscepi, picturas parietibus ecclesiæ appositas fuisse. Hinc illa vox militum Gundobaldo, Chlotarii (uti se ferebat) filio insultantium apud eumdem Gregorium in Hist. lib. 7. cap. 36. *Tune es* PICTOR *ille, qui tempore Chlothacii Regis per Oratoria* PARIETES *atque cameras caraxabas?* & in cap. 22. agitur de puellis, & pueris Eberulfi qui *suspiciebant* PICTURAS PARIETUM *rimabanturque ornamenta sepulchri* B. Martini. Idem de Wiremuthensi ecclesia legitur apud Bedam in lib. 1. de hist. monaster. sui num. 6. Picturæ etiam erant in illo Baptisterio, quod Sulpicius Severus extruxerat, ubi imagines S. Martini, & Paulini Nolani adhuc viventis depingi curaverat. Quod de sua improbat Paulinus ipse in epist. nunc 32. ad Severum. Præclari sunt Ennodii versus in Baptisterio agello, ubi picti erant Martyres, quorum ibi reliquiæ conditæ erant.

Rapta sepulturis animavit corpora pictor
Funera viva videns mors eat in tumulos.
Illorum tamen iste locus complectitur artus,
Quos paries facie, mens tenet alma fide.

Paulinus mox laudatus in Natali IX. de S. Felice memorat picturas porticibus ecclesiæ appositas, in quibus historia Mosis ob oculos posita erat. Facti rationem hanc reddit nempe ut turba rusticorum non *docta legendi* visis sanctorum actis ad Christum convertatur: deinde ut qui vigiles noctem in ecclesia ducebant insomnes, his picturis animos pascerent, & a compotationibus averterentur.

X. Non itaque in altari erant picturæ aut imagines nisi admodum in velis, & arcubus cibotii. Quod eruditus Cangius observat in descriptione S. Sophiæ. Huc fortasse trahi potest id quod Optatus in fine lib. 3. tradit de Paulo, & Macario, qui dicebantur venturi, *ut interessent sacrificio; & cum altaria solemniter aptarentur, proferrent illi imaginem, quam primo in altari ponerent; & sic sacrificium offerretur*. Quo rumore ita perculsi sunt animi, ut sacrificium, velut *sacrum* ac detestandum, aversarentur. Sed compertum est falsum fuisse rumorem, *visa est puritas, & ritu solito solemnis consuetudo perspecta est*. Quamquam existimem, id potius de Constantis Imperatoris, quam de aliqua sacra imagine esse intelligendum. Non satis constat quo in loco esset illa Narbonensis ecclesiæ *pictura, quæ Dominum nostrum, quasi præcinctum linteo, indicabat crucifixum*. Christus vero cuidam Presbytero apparuisse dicitur, conquestus quod se nudum spectantium oculis exhibuissent. Monitus Episcopus *desuper velum expandi jussit*, apud Gregorium in lib. 1. de gloria Martyr. cap. 23. Dignum nostræ ætati exemplum.

XI. Venio ad ecclesiæ cancellos, quos sub arcu, ubi clerici psallebant, positos fuisse docet Gregorius in lib. 1. de gloria Martyr. c. 39. qui locus etsi ad S. Pancratii ecclesiam, quæ non procul a Romæ urbis muro erat, pertineat, hic tamen non videtur prætermittendus. Ait itaque S. Pancratium severum fuisse de perjuris ultorem. *Ad cujus sepulcrum si cujusquam mens insana juramentum inane proferre voluerit, priusquam sepulcrum ejus adeat, hoc est antequam ad cancellos, qui sub arcu habentur, ubi clericorum psallentium stare mos est, accedat; statim aut arripitur a dæmone, aut cadens in pavimentum emittit spiritum*. Cancelli clericorum chorum, & altare a laicis separabant, sicuti præscribit can. 4. Concilii 2. Turonensis: *ut laici secus altare, quo sancta mysteria celebrantur, inter clericos, tam ad vigilias, quam ad Missas, stare penitus non præsumant: sed pars illa quæ a cancellis versus altare dividitur, choris tantum psallentium pateat clericorum*. Paullo aliter apud Græcos, ubi clericos ab altari separabant cancelli, quibus soli Sacerdotes continebantur, apud Cangium in Descriptione S. Sophiæ num. 70. Erant & cancelli ad tumulos Sanctorum. Gregorius in lib. 1. de miraculis S. Martini cap. 35. refert cujusdam factum, qui *lignum venerabile de cancello lectuli*, id est tumuli S. Martini abstulerat. Porro cancelli aliquando, vel saltem eorum ornamenta, constabant argen-

to, cui non pepercit Cæsarius Episcopus Arelatensis, illud expendens in captivorum redemtionem. *Videntur etiam hodieque*, ait Cyprianus in lib. 1. de ejus vita n. 17: *securium ictus in podiis, & cancellis, dum inde columnarum ex argento excutiuntur ornamenta*.

XII. Præter picturas, etiam *pallia* (ut vocabant) seu tapetia ex parietibus pendebant, *vela* in ostiis. Gregorius in lib. 1. de miraculis S. Martini cap. 13. ait hanc apud Italos *specialem* (mendose *spiritalem*) *vigere medelam, ut si quis pustulæ percutiatur vulnere, ad propinquum quod fuerit B. Martini oratorium habeatur perfugium: & aut ex velo januæ, aut palliolis quæ pendent de parietibus, quidquid primum raptum fuerit fit salubre*. Apud eumdem in l. 4. Hist. c. 31. avis quædam in *sacrarium sub velo* transiisse dicitur, & *cincidelem extinguere voluisse*, nisi *ab ostiariis* prohibita fuisset. Sacrarium locus est altaris quem locum vela ad ostia Presbyterii appensa tegebant. Inferiorum vero ministrorum id officii erat, ut *senioribus vela ad ostia sublevarent*, ex Concilii Narbonensis can. 13. Nepotianus, teste Hieronymo, maxime sollicitus erat; *si niteret altare; si parietes absque fuligine, si pavimentum tersum, si janitor creber in porta, si vela semper in ostiis, si sacrarium mundum, si vasa luculenta: & in omnes cæremonias pia sollicitudo disposita*. Ad hæc in ciboriis etiam vela quatuor ne sacra quorumvis adspectui paterent, suspensa fuisse colligi potest ex simili more non solum Græcorum, sed etiam Romanorum de quibus Anastasius in Leone III. *Fecit & in circuitu altaris alia vela alba, holoserica rosata, quæ pendent in arcu de ciborio, num.* 4. Quamquam de ejusmodi velis ad ciboria nullam invenio apud veteres auctores nostros mentionem. Illud etiam huc facit, quod pallas, quibus sacra tegebantur, non tenues, ut diximus, sed densas esse volebant nostrates Galli, ne misteria a quibusvis cernerentur, quæ cautio non fuisset necessaria, si velorum usum in ciboriis habuissent. Pavimentum vero ecclesiæ non raro *ex musivo*, id est celatis lapidibus, ut coloniensis Thebæorum apud Greg. in l. 1. de gl. Martyr. c. 26. Tectum aliquando ex *cupro* erat, ut de basilica S. Crucis & S. Vincentii legitur in vita Droctovei Abbatis. Sed hæc minutiora mitto.

XIII. Paulinus in epist. ad Severum loquitur de *secretariis duobus juxta aspidem*, refertque versus indicantes *officia singulorum*. Et quidem ad dexteram erat *veneranda penus, qua conditur*, & ex *qua promitur sacri pompa ministerii*, id est sacra suppellex, calices scilicet & reliqua: ad sinistram erant libri sacri, nempe libri Psalmorum, Evangeliorum, & Epistolarum simulque Missalis. Missalem hunc librum intelligit Gregorius in lib 2. Hist. cap. 22. ubi de Sidonio Arvernensi Episcopo loquitur in hunc modum. *Sanctus vero Sidonius tanta facundia erat, ut plerumque ex improviso luculentissime quæ voluisset nulla obsistente mora componeret. Contigit autem quadam die, ut ad festivitatem basilicæ monasterii*, scilicet B. Cyriaci, *invitatus accederet: ablatoque sibi nequiter libello, per quem sacrosancta solemnia agere consueverat, ita paratus a tempore cunctum festivitatis opus explicuit, ut ab omnibus miraretur, nec putaretur ab adstantibus ibidem hominem locutum fuisse, sed Angelum. Quod in præfatione libri*, subdit Gregorius, *quem de Missis ab eo compositis conjunximus, plenius declaravimus. Missale Gregorianum* inter primos appellat Otkerus seu Otkarius Pontifex Moguntinus in epistola ad Tattonem, quæ est 114. inter Bonifacianas.

XIV. 15. Denique in *Salutatorio* Sacerdotes sacras vestes induebant, causas audiebant, Synodos celebrabant, ibidemque aliquando manebant. Quod de Namatio Arvernorum Antistite tradit Gregorius in Hist. lib. 2. cap. 21. & de Eberulfo in l. 7. cap. 22. alia erat *domus ecclesiæ*; cuius meminit variis in locis idem auctor, haud dubie episcopalis ædes ecclesiæ adhærens: utpote in qua maneret episcopus, & convivia celebraret, ut patet ex Hist. lib. 7. cap. 27. & 29. & ex lib. 9. cap. 12.

XV. 16. Pene exciderat, quam prætermittere non licet, descriptio ecclesiæ Lugduni exstructæ per Patientem Episcopum: quam descriptionem Apollinaris Sidonius in epist. ad Hesperium, quæ est lib. 2. epist. 10. versibus exhibet in hunc modum.

Ædes celsa nitet, nec in sinistrum,
Aut dextrum trahitur, sed arce frontis
Ortum prospicit æquinoctialem,
Intus lux micat, atque bracteatum

Sol

Sol sic sollicitatur ad lacunar,
Fulvo ut concolor erret in metallo
Distinctum vario nitore marmor
Percurrit cameram, solum, fenestras:
Ac subversicoloribus figuris
Vernans herbida crusta sapphiratos
Flectit per prasinum vitrum lapillos.
Huic est porticus applicata triplex,
Fulmentis Aquitanicis superba:
Ad cujus specimen remotiora
Claudunt atria porticus secundæ
Et campum medium procul locatas
Vestit saxea silva per columnas.
Hinc agger sonat, hinc Arar resultat.
Hinc sese pedes, atque eques reflectit,
Stridentum & moderator essedorum:
Curvorum hinc chorus helciariorum
Responsantibus Alleluja ripis,
Ad Christum levat amnicum celeuma
Sic sic psallite nauta vel viator:
Namque iste est locus omnibus petendus
Omnes quo via ducit ad salutem.

Ecclesia ergo illa, Orienti obversa, laqueari deaurato ornata erat. Ex marmore fornix; pavimentum, & fenestræ, vitris versicoloribus distinctæ. Triplex in aditu porticus ad totidem portas: quarum una capacior, pœnitentes excipiebat. Media navis columnis ex marmore Aquitanico, id est e Pyrenæis montibus exciso, hinc inde vallata, quasi silvam saxeam exhibebat. Apud eumdem auctorem in carmine 16. Pontifex *concionaturus in gradibus venerabilis aræ* constitisse dicitur, *plebe circumsistente*, id est stante. Nam concionem sacram auditores non nisi stantes excipiebant, ut eximius Sirmundus ad hunc locum adnotavit. Neque hoc prætermeam, quod idem Sidonius in carmine 17. laudat *Gazetica vina*, Gregorio *Gazetum vinum*, supra in cap. 6. n. 4. ita dictum a Gaza Palestinæ, testante Isidoro.

LUDOVICI ANTONII MURATORII

De templorum apud veteres Christianos ornatu, ac de diurno in eis cereorum usu ad Cl. & Eruditissimum virum

ANTONIUM MAGLIABECHIUM

Ser. Etruriæ Ducis Bibliothecarium.

DISSERTATIO VII.

I. Si te judicem, Clarissime Magliabechi, in aliqua eruditionis causa sisterem, utique electioni meæ vel ipsi adversarii succensere non possent, quum virum omnino eruditissimum, & Reipub. Literariæ columen in illud tribunal advocarem, ex quo solida continuo foret expectanda sententia. Et revera nunc tibi hujusmodi munus injunctum velim, dum de sacris Ecclesiarum ornamentis loqui in animum induxi, non ut Paulinum meum tantummodo illustrem, sed ut consuetis etiam Novatorum calumniis ex parte occurram. Cardinalis Baronius vir æternum laudandus in Annal. ad A. C. 57. & 58. Ecclesias pluribus iisque ditissimis ornamentis antiquitus fuisse refertas magno eruditionis robore statuerat. Non multos vero ante annos tanti viri sententiam arrodere ausus est Johannes Henricus Ottius Calvinista professor in libro cui titulum fecit: *Examen perpetuum Historico Theologicum in Card. Baronii Annales*. Dicam neque malevolentia ductus, neque invidiam scriptori facturus; liber ille magno hiatu magna spondebat, sed in ridiculum murem festivissime fœtus evasit. Et profecto si aliud examen huic *examini* quis sibi reponendum sumeret, atramento citius, ac papyro destitueretur, quam ab erro-

roribus castigandis temperaret. Illam ego interim partem refellere decrevi, quæ de sacrarum ædium ornatibus agit beneficio Paulini potissimum fretus, quo nemo melius, nemo apertius hæc seculis futuris reliquis expressa. Laudat Ottius Alexandrum Severum, Ethnicum Imperatorem, utpote qui Templis aurum inferri vetuit, recitatis ad id Persii Carminibus:

Dicite Pontifices: in sacris quid facit aurum?
Quin superis justos mores, castosque probamus.

Atque hæc subdit: *Tu vero sodes confer hæc cum modernorum Pontificiorum templis, atque Monasteriis*. Ad annum vero 58. §. 36. relatis verbis Actorum 20. 8. *Erant lucernæ non paucæ in cœnaculo, ubi erant congregati*, hæc habet: *Hinc Baronius cereorum, lucernarum, seu luminum usum obtrudere nobis, & ex medio Judaismo, atque Gentilismo in Christianum orbem, ceu alter ceroferarius, inferre vult*. Tum ostendere pergit cereos olim in Ecclesia accensos non diurnis exercitiis, sed nocturnis adhibitos. Rem paucis expediam. Et quidem quum Paulini nostri carmina evolvo, tam ad unguem expressa intueri mihi videor Ecclesiarum nostrarum & usum, & ornamenta, ut nullam maiorem concordiam reperiri posse arbitrer. Pretiosa olim in sacris ædibus ornamenta fuisse, & quidem auro, & argento decorata en tibi Paulinus Nat. VI. testatur:

Cedo, alii pretiosa ferant donaria, meque
Officii sumptu superent, qui pulchra tegendis
Vela ferant foribus, seu puro splendidia lino,
Sive coloratis textum fucata figuris
Hi læves titulos lento poliant argento
Sanctaque præfixis obducant limina lamnis &c.

In Natali vero XI. præter alia non minori pretio insignia Crux aurea his versibus exprimitur.

Multa etenim suberant alia, ut novistis in ipso
Ornamenta loco, quæ sumeret, ut Crucis auro
Parceret; intus enim latitabant mystica vasa
Sumendis mandata Sacris.

Quo ultimo carmine non aliud intelligendum censeo, quam Calices, e queis Dominicus Sanguis hauriebatur a Fidelibus, aliaque hujusmodi vasa sacra. Aderant & lucernæ argenteæ

—————— Minus esset
Criminis, & pretii suspensam altaris ab ora
Longius, argentoque levem emendare lucernam.

Et infra: *Continuum scyphus est argenteus aptus ad usum*. Crux ipsa, quam adeo venuste Paulinus exprimit, non auro tantum gravis erat, sed & gemmis concinne exornatam gerens coronam sui pretium augebat. Ait de aureis, hoc est de Cruce, coronaque aurea, in quæ dextram latro porrexerat:

Quæ simul & variis scite distincta lapillis
Viderat ——————

Iterum S. Poeta coronam gemmis gravem asserit:

Prava corona subest variis circumdata gemmis.

Multis præterea verbis lampades describit:

At medio in spatio fixi laquearibus altis
Pendebant per ahena cavi retinacula lychni &c.

Idem Natal. 9.

—————— Tectoque superne
Pendentes lychni spiris retinentur ahenis,
Et medio in vacuo laxis vaga lumina nutant.
Funibus undantes flammas levis aura fatigat.

Natali 3. lampadum frequentiam circa altaria sic memoraverat.

II. *Clara coronantur densis altaria lychnis &c.*

Natali etiam VII. vitream lucernam; ut moris sui est, graphice describit, & Nat. XI. alias e metallo fabrefactas omnium oculis subjicit. Hæc & alia refert Poeta noster, partim etiam videnti populo describere non sustinet, ne tædium audientibus ingerat, atque compendii ergo:

Munera erant de more sita; hæc quæ cernitis illic
Omni prompta die. ——————

Illustris autem est candelabrorum mentio subsequentibus carminibus.

—————— vel circumfixa per omnes
Ordine dimenso quasi candelabra columnas,
Depictas extare gerunt quæ cuspide ceras
Luminæ ut inclusis reddantur odora papyris.

Quot igitur, quantumque pretiosa sacris in ædibus tum temporis ornamenta haberentur, ex-

expressum intuemur, quibus addere juvat quædam aliunde petita loca ne nudum Paulinum exhibeam. Theodoritus Lib. 1. cap. 31. Hist. διεκοσμεῖτο δὲ καὶ τὸ θεῖον θυσιαστήριον βασιλικοῖς τε παραπετάσματι, καὶ κειμηλίοις λιθοκολλήτοις χρυσοῖς. *Ornabatur autem, & divinum altare regiis velis, donariisque aureis gemmatis*. Eusebius in vita constantini Lib. 4. cap. 59. Apostolorum templum ab eodem Imperatore Constantinopoli describens interius tectum asserit universum auro fuisse contectum. Aur. Prudentius item Paulino coævus Peristeph. in Hymno S. Laurentii tyrannum sic adloquentem inducit.

Hunc esse vestris Orgiis
Moremque & artem proditum est,
Hanc disciplinam fœderis,
Libent ut auro Antistites.
Argenteis scyphis ferunt
Fumare sacrum sanguinem,
Auroque nocturnis Sacris
Adstare fixos cereos.

Ferventibus igitur in Christianam Religionem Ethnicorum minis etiam pretiosis vasis utebatur Ecclesia. Occulte id quidem propter timorem factum, sed tamen factum. S. Aug. Lib. 3. contra Cresconium cap. 29. hæc profert ex Gestis Proconsularibus habitis *Constantio Maximo Augusto, & Constantino Jun. Nob. Cæs. Coss.* A. C. 320. ut recte statuit Valesius, non vero ut putavit Baronius, 306. *Posteaquam apertum est, in Bibliotheca inventa sunt ibi armaria inania. Ibi protulit Sylvanus capitulatam argenteam, & lucernam argenteam*. Sed & ante scriptum erat *Calices duos aureos, itemque calices sex argenteos* ab eodem Sylvano traditos. Hæc Augustinus, ut Sylvanum evincat persequutionis tempore fuisse *traditorem*. Anastasius Bibl. (seu antiquior Libri Pontificalis Auctor) *in Sylvestro* præter alia vasa aurea, ac argentea hæc memorat: *Donavit patenam argenteam pensantem libras viginti, scyphos argenteos duo, qui pensaverunt singuli libras denas. Amas argenteas duas &c. & ibidem: Obtulit candelabra auricalcha septem ante altaria quæ sunt in pedibus decem &c.* Candelabra quoque exprimit Athanasius in Ep. ad Orthodoxos. Celebris autem S. Ambrosii sententia evasit in lib. 2. Offic. cap. 28. quam etiam Gratianus refert in c. aurum c. 12. qu. 2. Ait ibi: *Aurum Ecclesia habet, non ut servet, sed ut eroget &c. Quid enim dices: Timui ne Templo Dei ornatus deesset? Respondebit: Aurum Sacramenta non quærunt, neque auro placent, quæ auro non emuntur &c.* Prosequitur vero, & aperto sermone pretiosam sacris ædibus fuisse supellectilem asserit, omnium consensu probatam, & egenorum nihilo secius præsidio destinatam. Sunt hæc doctissime Magliabechi, venerandæ antiquitatis argumenta, quæ Novatoribus opponamus nostrarum Ecclesiarum ornamenta calumniantibus. Quid ergo Satyricum in nos producunt hæretici, ac Ethnicam, insulsamque sententiam canunt? *In Templis quid faciat aurum*, quærunt, sed eos elegantissime castigat Johannes Tomcus Bosnensis Epist. in Orat. pro Eccles. ornam.

III. Quod autem spectat ad alteram propositi partem, qua contendit Ottius cereos, lucernasque non nisi nocte accendi consuevisse in Ecclesiis, Paulinum ecce pro nobis stantem in medium adduco. Inquit iste Natal. III.

Clara coronantur densis altaria lychnis,
Lumina ceratis adolentur odore papyris,
Nocte dieque micant. Sic nox splendorque diei
Fulget, & ipsa dies cælesti illustris honore
Plus micat innumeris lucem geminata lucernis.

Nihil clarius occurrit. Sed & Nat. XI. sic ait.

——— His scyphulis incerta relucent
Lumina, cum fert festa dies.

Et infra scyphuli meminit ad continuum luminis usum destinati:

Continuum scyphus est argenteus aptus ad usum.

Qui & noctu diuque lucebat, quemque importuno sibi lumine micantem fur extinxit. Distinguendum itaque reor inter sacras antiquorum lucernas eo pacto, quo inter ævi nostri lampades, ac lumina distinguitur. Alia enim lumina nocturno tempori, alia diurno inserviebant, omnia tamen in templi cultum excogitata. Quæ lampas modo dicebatur relucere, quum ferebat festa dies, noctu hoc munere carebat. Audi subsequentes versus:

————— Tunc vero sine usu
Luminis ad speciem tantum suspensa manebat.

Superius vero alias descripserat lucernas nocti illustrandæ destinatas. At Ottius lucernas ha-

hasce nocturnas necessitati sacra facientium adscribit, non Ecclesiæ cultui. Allucinatur Calvinista, quandoquidem quum latro hic ad furta accessit, lampas illa nullis tum sacris peragendis lumen præbebat; quin expresse illam quavis nocte, immo per totam noctem, lucere consuevisse dignoscimus; ait enim de scypho loquens:

Hunc importuno sibi lumine prædo micantem
Protinus extinguit, namque id quoque noverat idem
Sæpe solere mori cum stuppa per arida longam
Conderet in noctem consumpto lumen olivo &c.

Igitur in pium Religionis sacræque ædis cultum noctu non minus quam interdiu lampades adhiberi solebant. Quo sane expressius nihil reperiri potest. Addam etiam Venantii Fortunati, qui uno post Paulinum seculo floruit. Describit ille lib. 5. carm. 5. diem festum Ascensionis, populorumque ad Ecclesiam concursum, & ait:

Undique rapta manu lux cerea provocat astra,
Credas ut stellis ire trahendo comas.
Lacteus hinc vesti color est, hinc lampade fulgor
Ducitur, & vario Lumine picta dies.
Inter candelabros radiabat, & ipse Sacerdos &c.

Nunc armis Baronii rem agam. Citat ille Epiphanii Epistolam ad Johannem Hierosol. Ep. ubi ait: *Quum venissem in villam, quæ dicitur Arablatha, vidissemque præteriens ibi lucernam ardentem, interrogassemque quis locus esset, didicissemque esse Ecclesiam &c. Accidit id quidem*; ut ait Baronius, *interdiu, nam noctu non mirum multas vidisse ubique lucernas*. Constat autem ex pluribus antiquis Patribus cereos laudabili usu in templis comburi solitos, quod probare supervacuum foret. Repetit tamen Ottius Hieronymi auctoritatem ab Annalium parente satis ibidem explicatam, & hic integram victoriæ spem sistit. Inquit S. Doctor advers. Vigilant. *Cereos non clara luce accendimus, sicut frustra calumniaris, sed ut noctis tenebras hoc solatio temperemus, & vigilemus ad lumen, ne cæci tecum dormiamus in tenebris. Quod si aliqui propter imperitiam & simplicitatem secularium hominum, vel certe religiosarum feminarum, de quibus vere possumus dicere:* Confiteor; zelum Dei habent, sed non secundum scientiam, *hoc pro honore Martyrum faciunt, quid inde perdis?* Verum hic animadvertendum negare Hieronymum non potuisse diurnam cereorum accensionem, quum id & in Occidente, & Hierosolymis in usu fuisse supra exploratum effecerimus, & ipse ibidem hæc habet: *Per totas Orientis Ecclesias, quando legendum est Evangelium, accenduntur luminaria jam sole rutilante non utique ad fugandas tenebras, sed ad signum lætitiæ demonstrandum*. Ipse quoque Vigilantius omnino mentis expers fuisset, si quum nullibi id moris comperissent, adhuc inflatis buccis hæc protulisset: *Videmus moles cereorum sole fulgente accendi*. S. Cyrillus Hierosol. Hieronymo antiquior in Præf. ad Catecheses, & alibi S. Gregor. Nazianz. Hieronymo coævus in Orat. 40. aliique testantur in Baptismate conficiendo luminaria incendi solita. Igitur diurnus cereorum usus negari non poterat. Causa itaque, cur incenderentur, Vigilantium ad calumniam Catholicis infligendam moverat; arbitrabatur enim id a religiosis populis fieri, quasi Martyres aliqua illustratione, & lumine crederentur egere, ut beati essent. Non vendo conjecturam meam, sed ipsam Vigilantii calumniam. Sunt ejusdem hæretici verba: *Magnum honorem præbent hujusmodi homines beatissimis Martyribus, quos putant de vilissimis cereolis illustrandos, quos Agnus, qui est in medio throni cum omni fulgore majestatis suæ illustrat*. Respondet ergo Hieronymus non clara luce accendi Cereos ab hominibus hac ratione adductis, sed ad lætitiæ signum, ut infra Evangelicis exemplis probat, neque sub hac prava opinione nocturno tempore solere luminaria incendi, sed ut noctis tenebræ hoc solatio temperentur, ne cæci cum Vigilantio in tenebris dormiant. Tum subsequitur, ac siqui forent inter seculares homines, feminasque religiosas, qui hoc facerent sub ea ratione, quæ Vigilantio in mentem venerat, eos excusat, & zelo Dei ac sine crimine id peractum evincit. *Si faciunt*, ait, *quid inde perdis? Causabantur quondam, & Apostoli, quod periret unguentum, sed Domini voce correpti sunt; neque enim Christus indigebat unguento, nec Martyres lumine cereorum*. En iterum Vigilantii mens expressa. Credebat ille cereos ideo in-

cen-

cendi a Fidelibus, quia lumine illo Martyres indigerent, & hunc illum Hieronymus prolato exemplo increpat. Si Christus cui unguenti nulla erat necessitas, feminam ungentem laudavit, cur & nos Christianum non commendemus, qui Martyribus lumine haud quaquam egentibus cereos accendit? At secundum scientiam non faciunt. Illud verum omne; neque enim Sanctorum beatitati quicquam confert terrenum lumen. Sed quid inde? Fides accendentibus prodest. *Quicumque*, ait infra egregius Doctor, *accendunt cereos, secundum fidem suam habent mercedem, dicente Apostolo: Unusquisque in suo sensu abundat. Idololatras appellas hujusmodi homines?* Idem etiam in Epist. ad Riparium dixerat: *Accensione ante tumulos Martyrum cerei idololatriæ insignia sunt?* Pergit vero Ottius, & hæc Lactantii verba lib. 6. cap. 2. laudat: *Num igitur mentis suæ compos putandus est, qui auctori, & datori luminis candelas, ac cereorum lumen offert pro munere?* aitque ita Papistis displicuisse, ut hanc propositionem inter Lactantii errores numerarint, causamque gentilium contra Doctorem Christianum defendebant. Sunt illustres calumniæ ignaro in nos brachio intortæ. Nemo inter ipsos Heterodoxos habetur, qui plures in Lactantio nævos non agnoscat. Qui graviores lapsus est in errores, in minorem hunc ruere potuit. Sed neque censura hic dignus Lactantius, ut mecum omnes consentient Catholici, quin potius ejus censores castigandi. Agit ille in Ethnicos, eorumque cœcitatem validis excipit argumentis, ea enim ducti Deo tamquam in caligine sito, luminibusque indigenti cereorum lumen offerebant. En aperta Lactantii verba: *Mactant igitur victimas opimas, ac pingues hostias Deo quasi esurienti, profundunt vina tamquam sitienti, accendunt lumina velut in tenebris agenti.* Id etiam aliis inculcat, quæ apud eumdem videre licet. Si a quibusdam e nostris hic Firmianus carpitur, hic ipsi censura se exhibent dignos, ut in aliis non paucis se exhibuere testimonio Possevini. Non diffiteor tamen hinc impudenti alicui hæretico ansam præberi posse Catholicum cereorum usum impetendi; sed videant illi, an eisdem in nos mucronibus pugnent, quibus in Gentiles ferebatur Lactantius. Nos Deo, luminum patri, lumina offerimus honoris gratia, non ut ab ejus oculis caliginem depellamus. Hoc in Lactantio potius excusandum, quam arguendum, qui nondum solidis Fidei rudimentis imbutus in arenam contra Ethnicos descendit, cui nil pensi fuit Religioni sacræ patrocinium parare, dum ejus adversarios profligaret. *Utinam*, de illo ait ad Paulinum nostrum Hieronym. scribens Ep. 13. *tam nostra confirmare potuisset, quam facile aliena destruxit.* Perverse igitur nos asserit Ottius contra Doctorem Christianum causam Gentilium suscepisse, neque minus sobrie litem nobis intentat, quia de Idololatria, ac Hebræis in Catholicam Ecclesiam cereorum usum derivemus. Plura sunt, quæ ex Ethnicis, Judæisque ad nos fuere translata, neque tamen ipsis Acatholicis stomachum movent, sed venerationem quam maximam incutiunt. Cur ergo nos hic arguendos impudenter arripiunt? Nimirum illis ego Hieronymum objiciam de proposito cereorum usu ita loquentem: *Non diffiteor omnes nos, qui in Christo credimus, de errore Idololatriæ venisse; non enim nascimur, sed renascimur Christiani. Et quia quondam colebamus Idola, num colere Deum non debemus, ne simili eum videamur cum Idolis honore venerari? Illud fiebat Idolis, & idcirco detestandum est; hoc fit Martyribus, & idcirco recipiendum est.* Augustinus, quoque lib. 21. contra Faust. cap. 10. hujusmodi verbis hæreticorum oppositionem occupat, de Paganorum Judæorumque Sacrificiis loquens. *Tantum*, ait, *interest inter Sacrificia Paganorum, & Hebræorum, quantum inter imitationem errantem, & præfigurationem prænunciantem. Sicut autem non ideo contemnenda, vel detestanda Virginitas est Sanctimonialium, quia & Vestales Virgines fuerunt, sic non ideo reprehendenda Sacrificia Patrum, quia sunt & Sacrificia Gentium, quia sicut inter illas virginitates multum distat, quamvis nihil aliud distet, nisi quæ cui voveatur, atque reddatur, sic inter Sacrificia Paganorum, & Hebræorum multum distat eo ipso, quod hoc solum distat, quæ cui sint immolata, & oblata; illa scilicet superbæ impietati Dæmoniorum, illa vero uni Deo &c.* Quid itaque, Magliabechi celeberrime, ad ista obmurmurabunt hæretici? Audiere tot veterum testimonia diurnum cereorum usum asserentia, Paulinum nostrum audiunt, quo nemo melius adversus illos hoc in proposito certat. Si tot Sanctos in prævaricatorum album conjiciendos arbitrantur, hoc illorum eruditioni, quum majora etiam audeant, integrum relinquamus. Vale.

JO: TOMCI MARNAVITII
EPISCOPI BOSNENSIS

Pro ſacris Eccleſiarum ornamentis, & Donariis, contra eorum detractores

DISSERTATIO VII.

ILLUSTRISSIMO, ET CANDIDISSIMO AUCTORI

LÆLIUS GUIDICCIONUS F.

ESTne, qui ſacris antiqua Templis neget ornamenta, & donaria, magno ſane auri, argentiq. conflata pondere? Maximam ego vel temeritatem, vel imperitiam, minime confutarim. Satis hiſce ſe tenebris Magni Conſtantini fulgor opponit; eoque Duce, tot Regum, quorum eſt munificentiæ in hiſtoriis bene longa, & diſerta recenſio. Eſt vero qui improbet recentiora ullus, tam improbus ſibi, tam aliis improbandus? Vix credam, niſi aſſerente te, candidiſſime Præſul. Hos tamen, ſi qui ſunt, ſummæ importunitatis reos, nolim opportunius, quam, te confutante, damnatos. Quid carpunt de Chriſtianorum liberalitate, quid negant? Fieri debuiſſe? Hoc eſt imponere velle ipſi Deo. Fieri etiamnum? At tu habes opponere continentes Principum largitiones; ejus præcipue, quem tuo operi tutelarem proponis. Quod nunc attinet dicere, non aliam duco promptiorem rei expediendæ rationem, quam & hodiernam pietatem. Vale, & me ama, humaniſſime Vir, obſervantiſſimum tui. Kal. Februarii 1635.

ÆTernæ Sapientiæ fons immortalis, & nunquam exhaurienda ſcaturigo Deus, poſtquam pietatis ſuæ pompa, expanſurus tandem aliquando bonitatis ſuæ divitias, haſtenus æternitatis arcano reconditas, Verbo ſuo cælos firmavit, & ſpiritu oris ſui virtutes eorum diſpoſuit, certaque lege, & gyro, vallatis abyſſis, fundamenta terræ appendit, & mirabili ſex dierum opificio, quicquid cæli, & terræ ambitu continetur, humani generis affectu ſactus opifex ipſe, opere manuum ſuarum fabricari minime eſt dedignatus, nunquam in poſterum ejuſcemodi ſervili, ut ita dicamus operi, manum admovit divinam; conſtituto ſiquidem cuſtode, & operatore mundanæ fabricæ, tamquam ſui operis vicario, homine, ſat habuit ſupremus rerum arbiter, & Rector, eidem, homini, Dominus auctoritate præeſſe, & benignus in omnibus, adeſſe pater. Verum enimvero ſicubi eum aliquando ſuæ oris indigum animadvertit, ſolita pietate ſua, ſi non manus omnipotentiæ humanis immiſcuit operibus, conſilio tamen, & magiſterio, ad ipſas uſque, quas mechanicas artes appellamus, univerſitatis Architectus deſcendere benignitate ſua ſibi complacuit. Ita ultricibus aquis enormia generis humani ſcelera expiaturus, unicum inter homines juſtitiæ cultorem Noeum cum ſtirpe exigua, miſeratus, eidem materiem, modum, proportionem, diſpoſitionem, exædificandæ ligneæ arcæ; ad præſervationem edocuit humanitatis extinguendæ, & per omnia inſtruxit. Pari benignitatis excellentia ſuæ, Salamonem optimi patris Davidis votum in domo extruenda, ipſimet quem cæli non capiunt, impleturum, Architecturam totius illius immenſi operis, ſignificavit, & expreſſit, atque ita univerſitatis Architectus bis hominem, ut in reliquis ad imaginem, & ſimilitudinem ſuam effictum, ita quoque in ejuſcemodi dote Magiſter ipſe effectus,

Ma-

Magiſtrum, & Architectum verbis expreſſis, & certis legibus, in minimis etiam præſcriptis informavit, & inſtituit. Et videbatur ſane ratio quædam, & convenientia id expoſcere, ut cum perfecta ſint omnia Dei opera, & judicia, imperfectam humanæ conditionis impotentiam per peccatum, perfectionis æternæ temperamento duceret, & inſtrueret, atque ita quidem ſe geſſit Deus cum homine, in iis quæ ad humanum ſpectant commodum. Verum enimvero ubi primum inſtituendi, vel augendi cultus illius, & obſervantiæ, cujus uti Dominus omnium, & æternitate ſua, ſatis ſuperque æternum felix, & beatus ineffabiliter, licet nullam habeat indigentiam, illius tamen præſtandi, & frequentandi, nos perenni, & ſevero tenemur officio, ni intra ingrati piaculi notam, terris inutile pondus velimus marceſcere, & iiſdem terris ſublati, æternis deſtinari ſuppliciis, ubi primum inquam contigit occaſio, non amplius verbis expreſſis, & certis legibus, præſcriptis, informandum duxit hominem, ſed aperto ſinu divitiarum ſapientiæ, & ſcientiæ ſuæ, ſine ullo menſuræ, & limitationis termino, incomprehenſibiliorum judiciorum, & ininveſtigabilium viarum arcanorum ſuorum, hominem effecit participem, ut ubertate divinæ ſapientiæ, divini cultus rationem, quæ nec ab ipſis in cælo beatis ſpiritibus, utpote nunquam a laudibus divinis ceſſantibus, ſatis præſtari poſſe videtur, admirandis potius, quam mortali induſtriæ imitandis modis curaret, excoleret, & illuſtraret. Ita in lege veteri quamvis Moyſi ſervorum amantiſſimo, Deus ipſe Arcæ, & Tabernaculi fœderis appellati, gloriæ ſui nominis, & memoriali divinæ ſuæ aſſiſtentiæ Iſraeliticæ genti, conſecrandorum, formam, & modum fabricandi dictaſſet, illorum tamen, & inſtrumentorum ipſis deſtinatorum, exornandorum, ſapientiæ, & ſcientiæ ſuæ munere communicato Belſeeli, viro non ex vulgari turba, ſed ex nobiliſſima Tribu Juda delecto, curam demandare voluit. At quomodo eumdem Deus elegerit, & ſapientiæ ſuæ participem effecerit, ex ipſius immortali oraculo, Moyſi aperto, trigeſimo primo capite Exodi, audiamus. Ecce, inquit Deus, vocavi ex nomine Belſeel filium Uri, filii Hur de tribu Juda, & implevi eum ſpiritu Dei, ſapientia, & intelligentia, & ſcientia in omni opere, ad excogitandum quicquid fabrefieri poteſt, ex auro, & argento, & ære, marmore, & gemmis, & diverſitate lignorum. Ita Deus, qui non contentus Belſeelem ſuæ ſapientiæ effeciſſe participem, Ooliab quoque ei in opere faciendo ſocium adjunctum, quin & plurimos alios inferioris notæ miniſtros in eodem opere futuros, & in eodem opificio famulaturos, pari dono illuſtravit. Ait enim: Dedique, & ſocium Ooliab filium Achiſamech de Tribu Dan, & in corde omnis eruditi poſui ſapientiam, ut faciant cuncta quæ præcepi tibi, Tabernaculum fœderis, & Arcam teſtimonii, & propitiatorium quod ſuper eam eſt, & cuncta vaſa Tabernaculi, menſamque, & vaſa ejus, candelabrum puriſſimum, cum vaſis ſuis, & Altaria thymiamatis, & holocauſti, & omnia vaſa eorum, labrum cum baſi ſua, & veſtes ſanctas in miniſterio Aaron ſacerdoti, & filiis ejus, ut fungantur officio ſuo in ſacris, oleum unctionis, & thymiamata aromatum, in ſanctuario, omnia quæ præcepi. Hæc ibi Deus: hinc Moyſes aperiens Iſraelitis divinam voluntatem, capite trigeſimo quinto, ejuſdem libri: ecce, inquit, vocavit Dominus ex nomine Belſeel filium Uri, filii Hur, de Tribu Juda, implevitque eum ſpiritu Dei, ſapientia, & intelligentia, & ſcientia, & omni doctrina, ad excogitandum, & faciendum opus in auro, & argento, & ære, ſculpendiſque lapidibus, & opere carpentario, quicquid fabre adinveniri poteſt, dedit in corde ejus. Ooliab quoque filium Achiſamech, de Tribu Dan, ambos erudivit ſapientia, ut faciant opera abietarii, polymitarii, ac plumarii de hyacintho, ac purpura, coccoque bis tincto, & byſſo, & texant omnia, ac nova quæque reperiant. Ita Moyſes. Quod opus quanta elegantia, præſtantia, & excellentia fuerit ab iis perfectum, quatuor integris capitibus eodem libro eſt videre, nimirum trigeſimo ſexto, ſeptimo, octavo, & trigeſimo nono. At quorſum hæc tam alto repetita principio, dicet aliquis, ex antiquæ legis jam abolitæ, & novæ legis obſervantia prorſus immutatæ documentis? Ut nimirum cognoſcamus ornamenta ſacrorum Templorum, & Altarium, divinis dicatorum myſteriis, nunquam ſatis potuiſſe ornari, & pretioſis illuſtrari donariis, adeo ut in hoc munere præſtando, langueſcat, & vel excel-

 len-

lentissima quælibet humana hebetetur industria, ni divinæ sapientiæ dono peculiari, mortalis ingenii ditetur acumen. Et ut pateat, si in lege veteri, unico Tabernaculo Fœderis, & Arcæ Testamenti, intra quæ, præter legis tabulas, nil aliud servabatur, & ubi animantium tantum carnes offerebantur Deo, & hoc apud unicam gentem Hebræam, exornandis, tantam ornamentorum elegantiam, majestatem, & pretium, Deus infusione suæ divinæ sapientiæ, expetiit, perpendamus, & cognoscamus qualia, & quam pretiosiora sacrorum Templorum, & Altarium Divinæ gloriæ dicatorum, in quibus non sanguis Taurorum, aut Vitulorum, sed ipsius Dei caro, & sanguis colitur, & imolatur, ornamenta conveniant augendæ Divini cultus magnificentiæ, per Ecclesias toto terrarum orbe, infinito numero dilatatas, comparatione protervæ Sinagogæ, in unico terrarum angulo reclusæ. Etenim licet David profiteatur Deum bonorum nostrorum minime egere, & idem Deus per Isaiam protestet Cap. 66. Cælum mihi sedes est, terra autem scabellum pedum meorum; attamen nostri muneris est, qui quicquid habemus, ex inexhausto beneficentiæ divinæ, accipimus, & possidemus, iisdem suæ largitatis donis largissimum datorem, tamquam verum eorumdem donorum auctorem agnoscere, & tamquam subditi Dominum, ac Regem tributis, ex redditibus, ab ipsomet assignatis gratuito nobis, excolere. Hinc Hebræorum eruditissimo Philo, libro, quem de Cherubim scripsit: si tota, inquit, terra aurum fiet, aut si quid pretiosius eo fuerit, ne quidem dignum Sandalium divini pedis esset. Est quidem cælum sedes Dei, & terra scabellum pedum ejus, at cum intra hoc ipsum scabellum, domum sibi sæpius extrui velit, & jubeat, ipsemet cujus cælum sedes est, jure merito in ejusmodi domo extruenda, pro domicilio Deo digno, viribus omnibus insudet humana industria sit necesse: præsertim cum non antris, vel speluncis, sed ut antiquorum Theologorum eruditissimus habet Origenes: In pulcherrimis mundi partibus, quærendus est Deus. Ipse David qui idcirco Deum profitetur esse Deum, quia bonorum nostrorum non eget, non autem, quia a nobis omni pretiosissimarum rerum apparatu coli renuat in terris, quippe, qui zelo Domus Dei, alibi se testatur exesum, quam immensas opes, quam divitem apparatum, quam pretiosam materiem, pro Domo Dei extruenda, Salamoni filio reliquerit, cui Deus ipse hanc curam delegarat, sacræ paginæ ad admirationem testantur, sane apparatus ille, quem David divino domicilio excitando destinavit videretur incredibilis, nisi sacris Scripturis haberetur expressus, etenim si quas impensas Domui Domini reliquit, auri talenta centum millia, argenti mille millia talentorum, ut habetur in lib. 1. Paralipom. cap. 29. præter æs, & ferrum sine pondere, ligna item, & lapides, & ex his alios onychinos, & quasi stibirios, & diversorum colorum, aliumque omnem pretiosum lapidem, & marmor Parium abundantissime, ad valorem nostræ monetæ supputabimus, teste teste doctissimo viro Johanne Lorino meo in sacris Scripturis Magistro, ter mille centum viginti tres milliones inveniemus, iis si addamus tria millia talenta auri de auro Ophir, & septem millia talentorum argenti, quæ de suo peculio ad deaurandos parietes templi reliquit, adcrescet summa sexaginta millionum, & quingentorum septuaginta millium scutorum argenti monetæ Romanæ; iterum si addamus, quod hortante Davide Principes Familiarum Israel, & proceres Tribuum, & Tribuni, & Centuriones, Principes possessionum Regis, dederunt in opera domus Dei, auri, nempe talenta quinque millia, & solidos decem millia, argenti talenta decem millia, & æris talenta decem, & octo millia, ferri quoque centum millia talentorum; addentur octoginta quatuor milliones, & centum quinquaginta, & unum millia, & quadrigenta quinquaginta octo. Præter lapides, quos habentes apud se omnes dederunt in Thesauros domus domini, ex quibus constituitur summa: termille, centum viginti tres Millionum, & septingentorum viginti, & unum mille monetæ Romanæ, quem admirandum plane Thesaurum postquam pius Rex longa oratione, ut habetur extremo capite, libri secundi Paralipomenom Deo obtulit: ait: quæ de manu tua accepimus dedimus tibi, & paucis interjectis: Domine Deus noster, omnis hæc copia quam paravimus, ut ædificetur domus nomini sancto tuo, de manu tua est, & tua sunt omnia: ita ibi. Extabat tempore Davidis Arca testamenti, & Tabernaculum fœde-

de-

deris, cum omni illa pretiosissima pompa, & mirabili ornatu, quæ divinæ sapientiæ communione Belseel concinarat, augeri tamen eamdem pompam, & apparatum, & pretiosissimo Templorum omnium, quotquot in terris assurrexere, numini æterno dicata, concludi, & ornari, placuisse sibi, disertis verbis testatus est Deus Salamoni, ut habetur cap. 9. lib. 3. Regum, dum alloquens Salamonem super extructa sibi domo: sanctificavi, inquit, domum hanc, quam ædificasti, ut ponerem nomen meum ibi in sempiternum, & erunt oculi mei, & cor meum ibi cunctis diebus. Ita ibi Dominus de domo nomini suo innumeris impensis extructa, sicuti numquam legitur locutus, de Tabernaculo Fœderis, & Arca testimonii, quamvis nomini suo sacratis, & communicatione suæ sapientiæ exornatis. Hebræorum itaque pietati erga Deum, ne Catholica Ecclesia inferior haberetur, ut ea quæ sacratiori cultu, respectu Sinagogæ, divinis semper est addicta obsequiis, pretiosissimis ejuscemodi ornamentis, sacras Domos, & Deo dicata Altaria augere, ornare, & illustrare, jure merito studuit, & studet, omnium sæculorum a Christo nato, nobilissimis exemplis, toto terrarum orbe coruscantibus. At inquiet aliquis: fortassis utilius immensas gazas, quibus materialia sanctorum Templa onerantur, in vivis Templis ab egestate relevandis, posse collocari, alacriorique oculo, pupillam divinitatis fruituram creaturis dexteræ suæ impensis beneficiis, quam inanimatis parietibus ornamentis appensis. Non nego, non abnuo, eam vel ipso Deo, teste, semper fuisse opis in egenos impensæ vim, apud omnium bonorum datorem Deum, ut quæcunque minimo cuilibet, ex suis creaturis, ipsius amoris intuitu, fuerint erogata, pro sibi erogatis accepta tulerit; verum eodem patrono contendo; exquisitioris operis dona in illius cultu collocata, ita ei fuisse cordi, ut obstrepentibus etiam eius discipulis, unguentum a Magdalena, in divinum illius caput effusum, expeditius fuisse venundati multo, & dari pauperibus; eiusmodi sententiæ idem reclamaverit, & Magdalenæ factum approbaverit. Vult etenim universorum conditor, ut fratris egestate laborantis, quilibet misereatur, cum unicuique mandaverit de proximo suo; sed idem etiam præcipit, ut debitum honorem ipsimet, omnium parenti deferamus, & sicuti fratrem affectu dilexisse, effectu longe ab eo abfuisse, amori Christiano non satisfit, ita Deum patrem votis, & vocibus agnoscere non sufficit, ni vota, & voces, factis evidentioribus comprobentur. Novi optime tam veteres, quam posterioris ævi Patres complures, consuevisse deplorare egestatem miserorum fame pereuntium, dum ditissima patrimonia, ingensque vis auri, in Deo sacratis ædibus, & Altaribus illustrandis effunduntur. Ita Bernardus medii ævi inter antiquos, & recentiores, dum Monachorum quorumdam superfluas picturas, & ornatus parietum reprehendit cap. 96. Fulget, inquit, Ecclesia in parietibus, & in pauperibus eget; suos lapides induit auro, & suos filios nudos deserit; de sumptibus egenorum, servitur oculis divitum. Ita ille, eique consimilia plures alii. At quis non videt hanc deplorationem eos perstringere, qui ommissa omni cura egenorum, toti sunt in ornandis sacris parietibus Ecclesiarum, vel ut melius dicam, qui ea quæ pauperum sunt usibus destinata, quales, ut plurimum monasteriorum bona dignoscuntur, ad Altarium ornamenta convertunt, cum & Bernardus, & reliqui Patres omnes, decorem domus Dei dilexerint in primis, & omni ornamentorum studio fuerint locum habitationis divinæ prosequuti, ut passim in eorumdem scriptis est videre, si namque ipsa veritas præcipit, Deo, quæ sunt Dei, Cæsari, quæ Cæsaris, reddenda, nullum dubium est, etiam pauperibus assignata, Deo minus arridere; & e contra, nullatenus Deo debita, Cæsari, vel pauperibus atribuenda. Immo ante omnia Regnum Dei quærendum oblationibus, primitiis, & decimis, utriusque testamenti paginis, docemur, & instruimur. Non unico oculo, sed duobus, non una aure, sed & altera, manibus item duabus, & pedibus, præditum fecit hominem Deus, ut utrique parti occurrere idoneus, unum agat, aliud non ommittat, scilicet, ut erga Deum, sicuti filius erga parentem, se exhibeat, proximum porro, tanquam fratrem minime negligat. Vidua in Evangelio pauperrima licet, laudatur voce Salvatoris, & plus omnibus in Gazophilacium intulisse prædicatur, cum tamen duo minuta

ta, unicum quadrantem efficientia, jecisset in illud, quod ut idem Dominus ait: de penuria sua omnia quæ habuit, misit totum victum suum. Adeo vitæ propriæ, decorem domus Dei prætulisse, fuit apud supremum judicem Deum, res magni æstimata. Nec dubium quicquid Deo datur, & offertur, ex debito obsequio licet, id totum cum uberrimo fœnore dari, plurimis sacræ Scripturæ documentis, & ipsius Dei voce, qui centuplum in hoc mundo promittit, & in alio vitam æternam. Ita ut dona Deo oblata minime donantium facultates exhauriant, sed centuplicato fœnore adaugeant, unde multo commodius, quam ante donata Deo sua, egestati miserorum valent occurrere, & quidem nullus legitur Deo dicatis ædibus ornandis addictus, qui & erga pauperes non fuerit effusus. David ipse adeo largus in sacris donariis, ut prodigalitatis accusari posse videretur, nonne alia ex parte, illum. bearum prædicat, qui intelligit super egenum, & pauperem, cum ipse tota die misereretur pupillo, & commodaret egeno, & sua disperderet, & daret pauperibus? Alter novi testamenti David, maximus Imperatorum, & Sanctissimus Constantinus, qui domibus Deo extruendis, & sacris altaribus exornandis, longissimo post Octavianum Augustum imperii spatio, Romani fisci opes vacuavit, ut ad pauperiem ab Ethnicis ipsis, sub extrema imperii tempora devenisse, livore impietatis reprehendatur; pauperum curam eam habuit perpetuo, ut præter ipsius effusissimam largitatem in egentes ab Eusebio suse descriptam, Cardinalis Baronius, & nos ex eorum utroque, in ipsius vita, nuper in Regiæ sanctitatis Illyricanæ fecunditate edita, plurimas ejus leges pro pauperibus sublevandis ab egestate protulerimus, quibus non contentus, demum toto terrarum orbe vectigalia publica remisit, suumque patrimonium ad supplendas egenorum necessitates publicavit. Deo semper novis fœnoribus ipsius liberalitatem adaugente. Quicquid latret impia gentilitas. Cum quod nulli Romanorum Principum contigit, Indorum Reges pretiosissimis muneribus, amicitiam ipsius, & pacem poposcerint, & acceptam usque ad exitum vitæ coluerint; ut hæc pluribus suo loco ostendimus in ejus vita. Basilium Imperatorem post Constantinum, decorem domus Dei dilexisse in primis tradunt scriptores, ut sicut Tursellinus scribit, non facile alius plura templa, vel instauraverit, vel condiderit, ac is idem iisdem testibus, in summa caritate annonæ, apertis publicis horreis, cum maximo fisci detrimento, populi inopiam levavit, nec unquam persuaderi sibi passus est, ut vectigalibus prædecessorum incuria, maximo ærarii publici detrimento, deperditis, exigendis, nedum augendis, assiduorum bellorum onere gravatus licet, aures adhiberet cum POPULOS LEVARE, NON PREMERE, BONI PRINCIPIS ESSE, DICTITARET, UT PATRIS. Accedat Imperatoribus Romanis, post Hebræum Davidem, Stephanus Ungarorum Rex, & Apostolus, qui Apostolica pietate, eodem ipso tempore, quo innumeras per Ungariam, Deo dicavit a fundamentis Ecclesias, ad tercentum sexaginta sex, Collegiis Canonicalibus, vel Monasticis insignes, præter decem Cathedrales, & duas Metropoliticas, amplissimis proventibus ditatas, ut eas taceam, quas Hierosolymis, Constantinopoli, Ravennæ, & Romæ, condidit, & perpetuis redditibus auxit, ac pretiosissimis decoravit ornamentis, tanta liberalitate pauperibus & egenis consuluit, ut quadragesimo ab ejus sepultura anno, sacris ipsius elevatis reliquiis, dum ossa dissoluti corporis inter suavissimum liquorem natantia extarent, unica manus dextera, annulo Regali dives, integra, tanquam recens a corpore avulsa, ingenti miraculo est inventa; privilegio illius munificentiæ, ut Cartuirius in ipsius vita testatur, qua indefessa largitate, pauperum necessitatibus illam perpetuo porrexit. Siquidem, ut ait Bernardus, dum Davidicum illud: sumite psalmum, & date tympanum explicat: optimus ille est, qui discrete, & congrue, & hæc operatur, & illa. Post sanctissimos utriusque testamenti Principes, ævi nostri præclara duo Ecclesiæ sanctæ luminaria producamus in medium. Quis Gregorio XIII., in sacris ædibus extruendis, ornandisve, inter Romanos Præsules solertior extitit, atque profusior? Loquatur, ut innumera alia omittam divina cultui loca dicata, vel exornata, unicum Vaticanæ Basilicæ Gregorianum Sacellum, vel potius terrestre cælum. Attamen a Petro Apostolo, an alius Romanorum Pontificum majo-

jo-

jori charitate erga Christi pauperes exarserit, quotquot nationes terrarum orbe continentur, dum stabit ipsa tellus, fateri cogentur. Sixto V. successore Gregorii, utrum in Urbe ornanda, sacratisque Deo domibus extruendis, ac omni elegantia illustrandis, aliquis antecessorum fuerit augustior, ipsa Roma testatur; at vel unica illa pauperibus Christi, ætate, morbo, vel quocumque imbecilliori casu confectis, ad pontem janiculum domus amplissima, & opulentissime animæ, corporisque commodis affluens, æternitati dicata, quicquid hactenus inter homines, in eo genere, usitatum fuit, longe exuperat. Habuit olim Roma totius orbis extructa victoriis, vix unicam tabernam meritoriam effætæ militiæ necessariis instructam, sed brevi tempore, utpote crudeliter paulominus quam extincti generis humani præmium; ubi præsens Roma piorum sanguine consecrata, cuilibet ætati, sexui, professioni, fovendæ conservandæque æternum, inde mansuras aperit pietatis officinas. Duobus Romanis Pontificibus, duos addamus amplissimos sacri Senatus, Eminentissimæ pietatis Cardinales, ab ipsa Urbe, & Orbe Christiano nuper deploratos, Alexandrum Perettum, & Ludovicum Ludovisium, pia, vereque sacerdotali æmulatione, in duobus templis totius Urbis augustissimis, extruendis, & Deo dicandis, in omne ævum immortales. At utriusque pietatis in Christi pauperes effusionem, post eorum e vivis excessum, anniversarium spontaneum justitium, incolarum totius Laurentianæ Parochiæ, omnium Urbicarum amplissimæ, agi consuetum, testatam exhibet. Et ut Ludovisianam voluntatem erga Divinum cultum illustrandum, & Christi pauperes ab inopia sublevandos, Christianus orbis agnoscat evidentius, tabulas ipsius testamentarias, quadriennio ante fatum ejus conditas, ad calcem dissertationis hujus, ære perennius monimentum adjungemus. Eo libentius, quia eidem viventi, propositionem (ut vocant) Episcopalis nostræ dignitatis, in sacro consistorio, acceptam referimus.

Quam porro Deus ille, qui bonorum nostrorum minime licet indigeat, ergo eos, qui suæ divinæ gloriæ, vel alicui suorum, sacras erexere memorias, afficiatur; quantique ponderis apud eumdem sint, præ omnibus aliis Christianæ pietatis studiis, ejusmodi obsequia; non absque summe mirando Divinæ justitiæ libramento, videre est ex Innocentii III., ante quadringentos annos Romani Pontificis, magnæ eruditionis, & eximiæ prudentiæ Principis, in primisque erga Christi pauperes effusissimi pectoris, cum amplissimæ domus Sancti Spiritus in Saxia appellatæ ædificio, cui nulla ætas, nulla natio vidit aliquid tale comparandum, casu plane admirabili, a pluribus scriptoribus, & demum ab ipso nostri ævi Sydere Cardinali Bellarminio replicato. Quem ex Thoma Cantipratensi, apud Surium, Tom. 3. in vita B. Lutgardis acceptum, iisdem verbis referimus: Dominus Innocentius Papa III., post celebratum Lateranense Concilium, ab hac vita migravit, moxque apparuit visibiliter Lutgardi. Illa autem ut vidit eum ingenti flamma cinctum, quisnam sit percontatur: respondit se esse Innocentium Papam: & illa cum gemitu: quid, hoc est, inquit, communem omnium nostrum patrem tam dire cruciari? Respondit ille: tres ob causas crucior, quæ etiam æternis suppliciis me justissime addixissent, nisi per intercessionem piissimæ Matris Dei, cui Monasterium condidi, in extremis me pœnituisset; & æternam quidem mortem evasi, sed pœnis atrocissimis usque ad judicii diem cruciabor; quod autem a te suffragia petiturus venire potui, mihi a suo filio, Mater misericordiæ impetravit. His dictis confestim disparuit. Hactenus ibi; ubi unica Ecclesia cum Monasterio, Pontificem alioqui totum miserorum subsidio natum, æternis subtraxit suppliciis; ut mirum minime videatur, quod eruditissimus Cardinalis Baronius Tom. xi., de Fulberto scribit Carnotensi Episcopo, qui obit anno salutis 1028. morienti nimirum Dei genitricem adfuisse, sacraque sua ubera eidem sugenda aperuisse, eo quod Basilicam olim suæ gloriæ construxisset, librumque de laudibus ejus conscripsisset. Sed ut revertamur ad eorum querelam, qui pauperum videntur patrocinio, potius quam divino cultui studere: utinam eorum voces non potius ex latrocinio Judæ avarissimo exundent, quam Christiano affectu, quo ut habet textus Evangelicus apud Joannem, dum unguentum in Christi caput effusum a Magdalena, arguebat melius potuisse venundari trecentis denariis, & dari egenis, non quia de egenis pertinebat ad eum, moveretur, sed quia fur erat,

rat, & loculos habens, ea, quæ mittebantur, portabat. Ita Joannes. Furem itaque, & latronem ex Apostolo, Judam habet auctorem eorum secta, qui quæ Deo offeruntur, contendunt utilius in pauperes erogari debere. Secta dixi, verius forsan hæresis, cum Christi sententiam contra Judam, & ei similes prolatam oppugnent impudenter. Nec pietatis ardore erga pauperes, sed furandi affectu. Unde miror cur veteres patres, ut Epiphanius, & qui de hæresibus scripsere, Scarioticæ latronalis sectæ nullibi meminerint, nisi forte cum Christi testimonio nossent, nos semper pauperes habituros nobiscum, noverint quoque perpetuo futuros, qui sub prætextu patrocinandi pauperibus, divinis, æque ac humanis, inhiaturi essent divitiis. Aliam etenim Vigilantii Calaguritani Cauponæ, Scariotarum veterani, non fuisse rabiem, in pretiosa sacrarum reliquiarum ornamenta, quam latrocinium, præclara illa in eumdem scripta Epistola testatur D. Hieronymus, Epiphanio coævus, & amicissime conjunctus. Ad cuius lectionem quemlibet pium remitto. Horrescit licet animus, attamen veritatis amans stylus tenere se nequit, quominus attingat, Scariotica secta Vigilantiano latrocinio sæviens, quam funestæ patrum nostrorum memoria, Lutheranæ nimirum, & Calvinianæ pestes, in sacra fuerint ornamenta grassatæ, cum tamen omnibus eorum rapinis, quas Evangelico zelo conabantur honestare, nullus pauper ab illis sublevatus ab egestate legatur. Et ut millia Sacrorum Templorum ab ipsis, non spoliata solum, sed solo strata prætermittam, & quod nulla ætas absque lacbrymis audire poterit, præstantissimorum sanctæ Ecclesiæ columinum, plurima sacra corpora, Scariotico æstu violata; quodque nec ipsius barrathri furor excogitaverat unquam, impie exhumata, & furialibus flammis in cineres redacta, atque in decurrentes aquas sparsa, Policarpi nempe Apostolorum discipuli; eiusque auditoris Irenei; Martini nullis laudibus satis ab Ecclesia prædicati; Bonaventuræ Doctoris Seraphici; & ut alios taceam, Francisci Minimorum Fundatoris, quo omnium Christianorum sæculorum pietas in illis violaretur; unus Henricus Rex Angliæ præter ditissimum Christiani orbis Thomæ Cantuariensis præsulis Martyrium spoliatum, post ipsius venerandas reliquias omni contumeliarum genere in proximum fluvium projectas, octo millia Ecclesiarum in Christianissimis Anglorum Regnis, inaudito latrocinio nudavit. Non tamen eiusce modi sacrilegis rapinis, vel ipsius Scariotici latronis, vel pauperum adcrevere fortunæ; quin satis superque constat, ad eam illum egestatem post hæc omnia redactum, ut deficientibus etiam vilissimis metallis, insanæ ejus explendæ avaritiæ, ex corio monetam cudere fuerit adactus. Et ne nos primum ita de Scariotica secta sensisse videamur, audiamus Augustinum in Joannem scribentem *quæst. 3. can. 4.* relatum: non undecumque tollere, hoc est sacrilegium committere, sed de Ecclesia, qui aliquid furatur, Judæ proditori comparatur. Ita Augustinus. At hosce Judaicæ sectæ colluviem facile ea nota quivis deteget, qua observabit eos, qui sacra damnant donaria, longe a pauperum auxilio, factis abesse, quin etiam ut in omnibus Coripheo suo similes evadant, ne unus eorum sacra ornamenta vero pretio censet, sed sicuti Judas unguentum illud Nardi spicati, mixturam nimirum puri olei cum Nardo conditi, ut peritorum in aromatibus est sententia, vix fortasse ad quinquaginta denariorum valorem ascendens, in Judæa præsertim, balsamo aliisque pretiosissimis aromatibus feracissima, juxta illud poetæ:

India mittit Ebur, molles sua Thura Sabæi.

ad trecentorum denariorum summam extulit, ita recentiores Scariotistæ, minimam micam pretiosi metalli in sacris locis effulgentem, immensis auctionibus exaggerant. Hinc illæ voces: quousque tandem insanus hic luxus in Ecclesiis tolerandus? Pervanæ opes Altaribus ornandis exhauriuntur, unde tot puellæ indotatæ lupanaribus hauriuntur. Quod si sacræ oblationes eorum permitterentur arbitrio, non lupanaribus evacuandis, sed voraginibus impudicitiarum illas hauriri statim videremus. Cogit pietas, & divinæ gloriæ zelus strictioribus argumentis, divini cultus splendorem tueri. Si regnantibus summæ pietatis, & sinceræ religionis Pastoribus, atque Principibus, munificentissima liberalitas, & liberalissima munificentia benignitatis æternæ, ea rerum abundantia, & felicitate tempora beat, qua non dicam summorum Principum Regiæ, sed inferioris gradus procerum, & infimi subsellii Equitum, ipsorumque civium, & oppidano-

danorum, privata tecta, auro, gemmisque relucent, & iis etiam usibus, quos effari, nefas, pretiosa metalla damnari ingemiscunt, quibus olim teste Joa: Chrisostomo, gemuere: pretiosissimi lapilli, & quidquid admirandi Ganges evomit, & Indus, vanæ ostentationi, & superbo luxui mancipati, cubiculorum inter tenebras languescunt, robora domorum nunquam pretioso satiantur metallo, Regio plane apparatu, aurea civium suppellex instruitur, Clitellæ jumentorum argento superbiunt, fræna, Epiphia gemmis irradiantur, auratis soleis magnatum Equi non raro subfultant, & jam passim lanificium aurificio, in Textrinis excluditur. Sedes civium privatorum, summorum Principum solia supergrediuntur; vela Ostiaria cubiculorum, auro gemmisque obruuntur; ignes in cineres residere, nisi in argenteis focis dedignatur; vestium luxus eo processit, ut Clemens Alexandrinus lib. 2. de Pedagogo, jam non hyperbolice scripsisse noscatur, dum ait: unam vestem mille talentis ementes, se esse vestibus viliores ostendunt, cum passim pretiosiores vestes in humeris servulorum obstupescamus, quam sint capita dominorum, quorum famulatui mancipantur. Omitto Abbacorum divitias, præ quibus nobilissimarum Basilicarum summæ Aræ pauperimæ dignoscuntur. Mitto Rhedas, Cubilia, mensas, aliaque domestica Cimelia. Mittere tamen nequeo quod olim eidem Clementi, eodem loco admirationi, ævo nostro familiaris res habetur: tornatorum in Vitro gloria, ad frangendum propter artem paratior, quæ simul docet, & timere, & bibere. Plinius vero *lib.* 33. *cap.* 1. Turba gemmarum potamus, & Smaragdis teximus Calices, & temulentiæ causa, tenere Indiam juvat. At ævo nostro, nec India sufficit, reliqua Asia, tota Africa, & America adjecta. Remotissimæ insulæ profundo vallatæ Oceano, ad ventrem implendum, corpusculumque unius homunculi contegendum scrutantur, ut aptissime nobis quadret quod Tertullianus libro de anima in hæc verba scripsit: onerosi sumus mundo, vix nobis elementa sufficiunt. Re vera lues, & fames, & bella, & voragines civitatum, pro remedio deputanda, tanquam tonsura insolescentis generis humani. Ita ille. Verissime enim constat, dum novos Orbes mille periculis adeundos, eviscceramus augmento nostræ luxuriæ, deliciis Assyriorum, luxuique Persico Eclypsim obduximus. Si inquam hæc ævi nostri conditio, cur miseries pauperum unicis ornamentis Regi Regum Deo dicatis obnoxia redditur? Dicam, & dicam libere, tantis auri, argenti, pretiosæque suppellectilis, ponderibus, non dicam summorum, sed inferiorum etiam Principum Vestiaria, solo tenebrarum testimonio onerantur, quantis maximæ Urbis Ecclesiæ, & Altaria omnia, Deo, Angelis, hominibus testibus, non illustrantur. Non invehor in Principum virorum pretiosum quantumvis apparatum, cum decorandæ eorum majestati conveniat apprime, utpote illius appendicem potentiæ, quam Davidi, Salamoni, Cyro, aliisque summis Regibus Deus ipse contulit; sed intolerandum duco, dum homines divinis splendent divitiis, Deum per homines ad nuditatem suarum divitiarum reduci; & jam passim illud petulantissimi poetæ, a Scariotistis occini.

Dicite Pontifices in sancto, quid facit aurum? Inepta plane interrogatio, & diluvio responsionum facile opprimenda. Aurum in templo, idem præstat quod in cælo sydera, flores in arvis, margaritæ in mari, gemmæ in montibus, quod ipsum aurum in terræ visceribus, laudat nempe suum conditorem, sed feliciori modo, religione nempe animatum, pietate accensum. Præstat idem quod ornamenta pretiosa in Principum Regia, pulcherrima splendorum suorum custodia Majestatem apud simpliciores tuetur, hoc tamen magno suo bono perficit, supremo mundi domino famulando. Præstat idem quod assidue in ejusdem terræ cavernis efficit, animos nempe hominum ad se attrahit, sed ea sortis conditione, & gloriæ, ut ubi adtractos ad illas cecæ noctis latebras, & inferna spelæa; vel noxiis halitibus, vel inundationibus repente emergentibus, vel irreparabilibus ruinis eos subinde exanimat, in Templo sacraris imaginibus, ad virtutem animat, & accendit. Præstat idem, quo mirum in modum Philosophorum turba superbit, ut enim ii chimicis artibus, spiritus quosdam subtilissimos, & incredibilis efficaciæ elicere dicuntur, ita sacrarum imaginum ornamenta, suspiria quædam, & adspirationes quasdam nobiliores cælum versus eliciunt, dum cum S. Ruspensi Episcopo Fulgentio, cum spectator adesset pompæ, in regia inauguratione Theodorici Go-

Gothi Regis Italiæ, ita argumentatur. Quam speciosa potest esse Hierusalem cælestis, si sic fulget Roma terrestris? & si in hoc sæculo datur tanti honoris dignitas diligentibus vanitatem, qualis honor, & gloria præstabitur sanctis contemplantibus veritatem? Sur in S. Ful. In sancto quid facit aurum? Sanctificatur in templis, & ne prorsus depereat superfluitate luxus humani, & abominandis expensis, ut potest, auctori suo inservire conatur, & ut audactius loquar, nativa spe sua potitur. Et ut æternæ taciturnitatis silenrio petulantissimi satirici sepeliatur interrogatio, quæ unquam in orbe terrarum adeo barbara fuit natio, quæ aliqua divinitatis habita cognitione, amplissimis templis divino cultui non studuerit? Et ut ab orientali terrarum parte incipiamus, nonne Japones, alioqui non magnarum divitiarum natio, auro, & argento, amplissima sua templa exornat? Sinarum populi, Pequinense suum Templum, nonne solido auro texere, & obduxere, Zeilanæ Insulæ habitatores, nonne tot millibus columnarum primariam sacram ædem struxere, ut jure meritò apud orientales populos miraculi loco habeatur? Mexicanæ metropolis Urbis in novo orbe cives Idolo suo Vizilpetzli appellato, insanæ molis templum erexere. Sed insaniorum ornamentorum pretiosissimis ad admirationem lapidibus, divite structura auxere. Ingi Pervanæ telluris Monarchæ templa suorum Deorum tanta auri, atque argenti vi onerare potius, quam ornare consuevere, ut fidem relatio eorum qui rem oculis inspexere suis excederet, ni testium auctoritas omnem exceptionem excederet. Et hæc quidem apud olim ignotas gentes, nostro ævo notissimas. Jam vero ad antiquiores, sed plurimorum probatissimorum scriptorum auctoritate fultorum accedentes, Chaldæi totius Asiæ gens vetustissima, quam immensa mole, & quam incredibili opulentia, Jovi Belo, ædem sacraverint, veterum scriptorum documenta testantur. Ægyptii Caldæorum gloriæ æmulatores perpetui, impuris Fellibus, & Cocodrillis, quanta magnificentia Templa struxerint, inde orta docent Adagia. Dianæ Ephesiæ templum ab omnibus Asiæ Regibus, tot sæculis structum, subticeo. Delphici oraculi ædem totius orbis donariis stipatam, sicuti, & Junonis Laciniæ in extrema ora Italiæ; divitiarum fama ex remotissimis terrarum partibus, summos copiarum duces ad prædam allicientes, prætereo. Cum hæc omnia ut propbana, Juvenali prophano, & ejus scholæ alumnis pro responsione perstrinxisse sufficiat; ditiores memoriæ, sacratiora tempora nos avocant. Hinc, & veteris testamenti argumenta, libenter omittimus; splendorem Tabernaculi Fœderis, & Arcæ testamenti contemplandum, capitibus supra citatis, curiosioribus relinquendo. Incredibilem Salamonici Templi magnificentiam exaggerabimus nequaquam; silentio involvimus 97. milliones auri, in columnas expositos, millionem millionum supra 400. milliones argenti, pondus æris innumerum, accuratissime a Vilalpanda in Ezechielem scribente, examinata. Ad magis spiritualia tempora, Christiana præsertim, gradum facimus, quando nec Hierosolymis, nec in monte Garizim, sed ubique, juxta verbum Christi, ad mulierem Samaritanam, veri adoratores adorant patrem in spiritu, & veritate. Ecquando fuit tempus, Scarioticas appello, quo Ecclesiæ auro non fulserunt? Persecutione sæviente fortasse? At quomodo vasorum aureorum thesauros, ne ad Tyranni manus pervenirent, Laurentius dispersit dedit pauperibus? Quomodo Prudentius cecinit per ea tempora auro libare Antistites, auroque nocturnis sacris, adstare fixos cereos? Quomodo Hieronymus Epistola 27. scribit aureis funalibus dependentia fulsisse luminaria? Juliani Apostatæ infelix satelles Felix, dum pretiosissima vasa in Antiochenæ Ecclesiæ Sacrario contemplatur apud Theod. *lib. 5. cap. 11.* in stuporem raptus exclamat: quam pretiosis vasis filio Mariæ ministratur! Squalore pressa fortasse jacuit Ecclesia in tenera adhuc infantia, mox post Apostolorum tempora? Minime gentium, cum ipsas inter persecutionum flammas, Trophæa Apostolorum, Petri in Vaticano, Pauli in via Ostiensi, ex antiquissimis scriptoribus doceat Baronius, ad annum domini 215. Gregorius vero Turonensis, in Arenariis, quibus per persecutores obstructis, dum fideles sacra inibi peragerent, ut vivi sepelirentur, pretiosissimam suppellectilem sacrorum vasorum, progressu temporis apertis, inventam testatur. Lucianus apostatarum perditissimus, & cujuscunque divinitatis, & legis illusor perpetuus, dum refert sacros conventus Christianorum in locis abditissimis, ad quos per longos gra-

duum

dinum ascensus, vix patebat aditus, quibus loco Ecclesiarum Christiani utebantur, fatetur, se ejusdem loci laquearia auro fulgentia vidisse. Et hæc quidem illis temporibus per quæ, ut ait Apostolus in Epistola ad Hebræos, Sancti ludibria, & verbera experti, insuper, & vincula, & carceres, lapidati, secti, in occisione gladii mortui, circuissent in melotis, in pellibus caprinis, egentes, angustiati, afflicti, in solitudinibus errantes, in montibus, & speluncis, & in cavernis terræ. Verum enimvero ubi indignæ servitutis jugum collo excussit Ecclesia, liberumque caput extulit, quis verbis effari queat, quibus divitiis affluxerint ornamenta ædium Deo dicatarum? Ubinam gentium hodiernus dies ostendet januas, ebore, & argento interductas, quales suo tempore Paulinus *lib.* 8. Epistola 2. describit? Quis altaria gemmis rigentia, & onusta, ab eodem Epistola 161. memorata? Quis eadem altaria solido auro assurgentia, Paulino ibidem, Epist. 20. teste, & ab inferiori stratu argenteo, auro superducto? Epistola ejusdem 11. quis ostendet ingentia illa vasa gemmis coronata, quibus Basilius Magnus in sacrosanctis utebatur mysteriis, teste in vita ipsius, Amphilochio? Quis hodie in Ecclesiis inveniet mensam Altaris illi comparandam, quam Justinianus Imperator fieri curavit, in qua omnia metallorum genera, omnes gemmarum species, omnem pretiosissimi cujusque ligni materiem includi voluit, ut æmula terrarum orbis, posteritati inimitabile opus extaret? quemadmodum scribit Cedrenus. In cujus Ecclesiæ thesauro, hodie 40. millia librarum argenti signatæ inveniemus pecuniæ, prout inveniebatur in sacrario Constantinopolitanæ Basilicæ, æternæ sapientiæ dicatæ, tempore Procopii; ejusdem thesauri mentionem *lib.* 4. facientis? Quam sacram ædem in orbe Christiano habemus, quæ nec media parte illius argenti glorietur, quo paulo ante desolationem religiosissimæ Anglicanæ Ecclesiæ, tumulus Christi confessoris Thomæ Cantuariensis ornabatur, unde viginti sex currus, pretioso metallo onustos, impius prædo Henricus surripuit. Quis pares divitias numerabit iis, quibus Abbate Desiderio, postea Victore summo Pontifice, Cassinensis superbiebat Ecclesia? Quando, ne numeremus altaria argentea, & columnas argenteis item celatas historiis, & ex eodem metallo trabem ingentis molis, arcui Ecclesiæ superpositam, auro illitam? Visebantur in ea Calices ex duobus unionibus confecti, præter complures alios ex pretioso lapide, spectabatur Lychnus pensilis, lampadarium vulgo vocant, ad coronæ formam, immani ambitu, 20. cubitorum, ex argento circumductus, 12. turres sustinens, 3. lampadibus ex qualibet turre, hoc est 36. appensis, omnibus hisce ex auro puro fulgentibus. Omitto sacellum ex argento solido, Prudentio notum, 20. arculas ex auro puro, sacras Evangeliorum paginas includentes, a Chidilberto Victore, inter Amalarici spolia inventas. At quorsum sparsas per alias provincias scrutamur memorias, si sacrosancta hæc Urbs plures nobis, quam totus orbis subministrat? Et sane si universa ejus pretiosa donaria enumerare velimus, nec illis distinguendis stylus, nec tempus enumerandis, nec legentis sufficeret patientia, & potius in illis describendis lassabimur, quam in iis donandis lassata est antiquitas. Credent fortasse Scariotistæ hujus ævi splendorem, ultimam metam sacrorum ornamentorum attingere. Utinam sacræ urbis Basilicæ possent eloqui, sentiremus equidem, quanto affectu, priorum Pontificum, & Principum munificentiam suspirarent. Miratur inopiam suam Sessoriana triumphali Cruci sacrata Basilica, dum in Sacello suo frustra requirit candelabra puro auro elaborata, munus illius ætatis piæ. Respicit curiosa, quonam avolaverit Altare illud, quod gemmis onustum, ex solido auro ponderis 250. librarum Hilarus Pontifex erexerat. Desiderat Janua ejusdem sacelli ex puro puto auro, sicuti, & ejusdem sacelli arcum, & agnum ex eodem metallo, duabus columnis, Onichinæ altera, Sardonica alia, sustentatum, valvas sacrarii æreas argento cælatas, ejusdem Hilarii donaria; præter alia auro, gemmarumque ornamenta pretiosissima. Quarum ne vestigia quidem, temporis injuria, barbarorumque urbem inundantium rapacitas intuendum nobis dereliquit. Suspirat Levitæ Laurentio munificentissimo in agro Verano dicata Basilica, celeberrimas suas lampades aureas triginta librarum unamquamque; ingentes ejusdem materiei Patenas, 15. libris singulam constantem; aurea vasa ad 150. libras ascendentia; Cancellos, & Tribunam Confessioni superstantem

ex argento conflata. Attollit Sol ex oriente cupidum caput lustrandi Fornicem amplissimum anterioris templi Lateranensis Basilicæ Magni Constantini opus argenteum, a Valentiniano deinde Imperatore restitutum, simulque salutandi, & adorandi ingentem illam Salvatoris statuam, quæ pari materie fusa, eidem fornici, veneranda majestate super insidebat. Flagrat idem sol aviditate, recenter emissos radios suos, reflexu Valvarum Vaticanæ Basilicæ, flavo auro fulgentium, consecrari. Sed proh dolor! cupiditate frustratur, dum Lateranensibus ruinis offenditur, Vaticanas Valvas, ter licet a diversis Romanis Pontificibus priori splendori restitutas, ære solo nigricantes, nisi Pauli V. pietas splendorem iis exteriorem, Urbani VIII. munificentia, interiorem ornatum auxisset, intueretur. Constantiniani sacri lavacri reliquiæ, ne fontes lachrymarum effundant, Urbani Sanctissimi Patris munificentissima pietas efficit. Nihilominus, quid tam pretiosum hodie universa recondit Lateranensis Basilica, quod vel proxime ad antiqua dicti Baptisterii accedat ornamenta? Visebatur in eo ingens Porphiretica concha, tota crassissimo argento obducta; Columnæ fasciis argenteis circumamictæ, vasa odoromentaria 300. librarum aurea, ne materiei addamus opus, & odoramentorum unguenta; Patenæ aureæ, quarum unaquæque 30. libris censebatur; Canna ex auro, lucernæ loco inserviens, ponderis librarum 52. Vasa aurea ad usum aquæ, 150. librarum quodque; Lychnus aureus 52. librarum, balsamo ardens; præter incredibilem aliorum instrumentorum ex auro maximi ponderis apparatum. Ad Basilicam Doctoris gentium, in via ostiensi, si accedemus, quid in illa ad præsens inveniemus comparandum unicæ Cruci aureæ, 150. librarum, muneri ejusdem Constantini conditoris Basilicæ? præter immensum alium thesaurum sacræ suppellectilis, ab eodem in Basilica Vaticana, congestæ, supparem. Verum ne ab hac ipsa Vaticana longe recedamus, intra quam majestas ævi nostri sedem posuisse videtur, illa ipsa Sanctorum Apostolorum Confessio appellata, quæ ut aliqua ex parte barbaricarum injuriarum, tot sæculorum spatiis illatarum, dolorem aliquando minuat, pietate Pauli V. pretiosissimorum marmorum splendore sinum aperit, & superbissimarum columnarum ærearum pompa, regia Urbani VIII. munificentia, nobilissimum sustollit ejusdem metalli ciborium; illa ipsa, inquam, confessio, oblivisci potest nequaquam, antiqui ciborii argentei, columnis argenteis, pietate Magni Gregorii extructi. Recordatur strati argentei sacræ Aræ appositi ab Hadriano I. Pontifice. Item Peristiliorum, & cancellorum ex argento, a Leone IV., & postea a Gregorio III., restitutorum. Ingemiscit eadem peristilia, & eosdem cancellos, non amplius ex argento, sed auro solido, 1328. librarum, solius metalli, incredibili magnificentia, ab Hadriano positos. Suspirat magnam illam retem auream ponderis 266. librarum, pretiosissimis coloribus illitam, & gemmatis nodis cohærentem Benedicti Pontificis donum, altari Apostolorum superductam; ut auream trabem, lilia, & statuas argenteas sustentantem, Gregorii munus omittam. Perquirit, sed frustra auream statuam Salvatoris, & Apostolorum duodecim in duodecim portis ejusdem materiei existentium, mirabili grandine gemmarum accedente, Valentiniani III. munificentia. Altare itidem aureum unionibus, & smaragdis coruscans, librarum decem supra tercentum. Sicuti, & imaginem Salvatoris 200. librarum auri ab Hadriano Pontifice sacratam. Desideratur præter duas lampades Onichinas, ingens illa 300. millium scutatorum valoris, a Costantino Magno Apostolico altari suspensa. Item Scyphus Corallinus, raro, & incredibili artificio, auro inclusus, & smaragdis, horridus, 20. librarum pondo. Simulque pallium auri solidi, gemmis illustre Leonis IV. pietate, Apostolorum principi oblatum. Angelorum statuas aureas eximio opere cælatas, oculis gemmis micantibus, mirabili dispositione inter reliquas sanctorum a Constantino 130. librarum pondere erectas. Necnon, & lampadem Delphinis ornatam, 50. librarum auri pondere, a Silvestro Pontifice appensam. Silentio involvo donaria argentea, sacras vestes inæstimabiles, auro gemmisque intertextas, Christi ejusque sanctorum exprimentes historias iis tantum quæ protulimus, erit ne aliquis qui præsentia veteribus audeat comparare? Sed addo etiam; quibusnam hodie sacratis ædibus Deo, lampades puro balsami liquore aluntur? vel oleo spica nardi confecto? illo inquam oleo, vel unguento dicam, cui Latro Judas obmurmurando, malus magister, pesti-

pessimos instituit, etiam ad præsens, obmurmurantes discipulos. Quibus in Lychnis vel lampadibus hodie Ellychnia ardent ex Amianto incombustibilis petræ venulis intorta? Sed dices; hæc ut nostro sæculo inusitata, ita priori impossibilia; respondeo gravissimorum scriptorum auctoritate probari, 200. libras balsami, Lateranensibus Lychnis annuatim fuisse assignatas, quibus Ellychnia incombustibilia innatabant; 130. Vaticanis, quibus in Vaticano nempe addebantur octingentæ triginta libræ olei, sive unguenti Nardi spicati. Adolebantur pretiosissimis odoramentorum vasis, 560. libræ præstantissimorum aromatum, ex votivis Asiæ partibus conquisitorum. Præterea milliaria lampadarum, stellati cæli speciem repræsentabant, cum in unico lampadario, 1370. lumina conspicerentur Hadriani Pontificis pietate. Hinc integræ olivetorum sylvæ huic adeo præclaro officio dicabantur. Nullum vas priscis illis temporibus in sacris ædibus fuisse legitur, non argento solido conflatum; & si forte aliquo alio metallo constaret, quod non argento obduceretur. Hinc quivis argumentetur, an suppellex nostrorum temporum, quibus præsertim a 150 annis, quotannis tot onerariæ naves auro, atque argento ad nostra litora appellunt, veteri comparata, luxus, an melius paupertas est appellanda. Verum enimvero sentire mihi videor aliquem, tanquam enervaturum vim auctoritatum productarum, qui dicat: quæcumque diximus propria supremarum Urbis Basilicarum fuisse decora, & ornamenta, non vero aliarum inferioris notæ, quales hodie penes nos complures ditissima suppellectile superbiunt, quarum multitudo si majoribus nunc extantibus adjungeretur, fortasse non inferiora nostri temporis, antiquioribus, apparerent ornamenta. Sed quisquis ita argumentatur, toto cælo aberrat a veritate. Vos enim, vos fortissimos Gethas, sive Gothos connationales meos appello, testes, qui sub Alarico Rege, triumphatores orbis, urbem orbis Reginam, prædam vestram effecistis, quænam fuit illa Ecclesia, cujus tot, & adeo varia aurea, & argentea vasa ablata; jussu Regis vestri, sacrilegam prædam abhorrentis, tot succolantium humeris, ad Vaticanum Templum retulistis, ut longa serie militum, inter victores enses, tanquam in triumphum pietatis, illa per mediam Urbem retuleritis; quis custos illius erat Ecclesiæ? Eratne fortassis una ex illis, quas Constantinus magnificentissime extruxerat, Pontifices Romani ingentibus auxerant postea donariis? Dicite quæso, quam numerosi cleri colebatur officiis? Nil minus; sacellum fuerat in extrema parte maximæ Urbis, idque angulare, ut ob ignobilitatem, nec nomen ipsius prodatur; sacellum inquam unius sanctimonialis curæ commissum, sed adeo vasis aureis atque argenteis abundans, ut cum ad emendandam sacrilegam prædam, jussu Alarici, ad Vaticanum templum essent reportanda, manipulo militari opus fuerit. Adeo communia, & numero multiplicia, illa tempestate sacrarum ædium donaria, & vasa pretiosa habebantur. Esajæ Vaticinio felicissime impleto: Me expectant Insulæ, aurum eorum, & argentum eorum meum est. Melius licet hoc ipsum Vaticinium pertingat ad nostra tempora, quibus Insulæ, antiquis ignotæ, inexhausta jam effundunt pretiosissimorum metallorum venas, ita ut si unquam antea, jam jure merito aurum, & argentum, quod suum protestatur Deus ex insulis, quæ eum ad nostra tempora expectavere, ipsi potissimum debeatur, ipso sic volente. At ut ad institutum sermonem redeamus: si unius pientissimi, munificentissimi, sanctissimi Constantini munificentiam erga Deo dicatas ædes pensemus, ut hactenus egimus, nullum dubium, ætatis nostræ in Dei domibus, divitias æstimatas, pauperatem ipsam esse: verum enimvero quod me sanctissimi principis observantissimum, & inter alios titulos concivem, & ejusdem patriæ concivem, confusione quadam afficit, illud est, si quæ indefessa liberalitate Deo vero Constantinus obtulit, iis comparemus, quæ Demoniis Octavianus, uterque autem Romanus Imperator, itidem obtulit, majori munificentia Dæmonis cultum inveniemus quam veri Dei, superbire. Qui aurum a Constantino Italiæ Ecclesiis donatum diligenti indagatione subduxere, ejus summam ad 2689. librarum ajunt ascendere, argentum ad 21860. præter mirabile illud divinæ sapientiæ Templum Byzantii dicatum, cujus xilimbrices æreæ, auro illitæ, cum solis radiis splendore certare videbantur. At si hæc omnia comparentur cum unico donario, quod Octavianus Augustus Jovi suo Capitolino obtulit, cedat erit necesse Constantiniana munificen-

tia

tia Octavianæ, ut jam potius Rhetorum colore, quam veritatis calore de Constantino dicatur: Jam vetera non quærant, jam omnia te ad se vocare templa videntur, postquam teste Suetonio, unica vice, 60. millia librarum auri, quæ millionem nostrum, & 600. millia scutorum efficiunt, & tantam, & adeo pretiosam vim gemmarum, ut ad millionem, & 250. millia scutorum pertingerint, in unico Jovis sacello dicavit: cum Dio afferat, maxima horum comparatione, illa quoque fuisse, quæ ab eodem Octaviano duobus aliis sacellis ejusdem templi fuere donata. Nondum Christo dicata templa, suas januas laminis aureis fulgentes habuere, sicuti Capitolini Jovis illæ fuere, quas postquam Stilico avulsit, a tergo illarum, infaustum illud epigramma incisum invenit: Infelici principi servantur. Non vidit christiana ætas Templa integra, argento usque ad tectum obducta, trabibus argento, & ebore distinctis, & pavimento ære instrato, sicuti fuit illud Neptuni, a Platone in suo Crisia, descriptum: non columnis 50. cubitorum altitudinis, unico lapide, & integro, solidis innixum, ut in vita M. Aurelii Antonini Pii scribit Zonaras: non muros templi puro prius auro tectos, postea laminis argenteis, & demum ad tegendam tanti thesauri machinam, æneis tabulis superimpositis, sicuti videbantur in Serapidis templo, a Ruffino descripto, in Eusebii Histor. l. 11. c. 23. non tegulas æreas auro illitas, expensis septem millionum, ut constat ex Plutarco in Publicola, non marmora, loco calcis aureis filis juncta, ut scribit de Templo Ciziceno Plinius l. 36. c. 15. non crustaturam inaudito luxu croci, & lactis coagulatum, sicut fuit illud in Elide, eodem auctore l. 36. c. 23. Nondum visa sunt atria duobus millibus passuum lata, circum cincta Sixtis, summis columnarum machinis innixis, pretiosissimis marmoribus strata, ut refert Prosper. lib. de promiss. p. 3. cap. 38. fuisse templum Cybeles in Carthagine. Non supereminent templis nostris immensæ molis orbes, solido auro rutilantes, ut in Fessano, & Marochiensi Regno, per Africam plurimis ædibus Mahometicæ superstitionis hodie est videre: nihilominus audemus iactare nostrarum Ecclesiarum thesauros, & non potius nostram pauperiem deplorare, potius, quam eum Scariotistis pia damnare donaria? Saltem qua vires facultatum nostrarum ad Dei domicilia exornanda non accedunt, pia cordis veneratio, & veneranda oris pietas pertingeret: sed heu heu nostrorum temporum calamitatem! dum admodum paucæ numero sacræ ædes, aliquibus fulgent ornamentis, in amplissimis Urbibus; inter ditissimas plebes, quot Ecclesiæ, quot altaria ita nuda, & deserta gemunt, ut veteres querelas Petri Chrysologi serm. 103. possint excitare, dum ait: Doleo quod lego, Christi incunabula Magos rigasse auro, & video altare Corporis Christi vacuum reliquisse: ita ille: cui si magnificentia opum satisfacere non valemus, animarum pietate, & religione saltem facere satis curemus. Iis breviter expositis, interim Tabulas testamentarias Cardinalis Ludovisii promamus, ut promisimus.

Testamentum Cardinalis Ludovisii.

EGo Ludovicus Tituli S. Laurentii in Damaso Presbyter Cardinalis Ludovisius, S. R. E. Vicecancellarius, Archiepiscopus Bononiensis, & Princeps, Dux Zagaroli, his omnibus dignitatibus D. O. M. munificentia, ejusque in terra Vicarii Gregorii XV. Patrui mei felicis recordationis, dextera ornatus, prospiciens diem illum, qui ut loquitur S. Cyprianus, singulos assignat domicilio suo: ex concessione amplissima testandi, a prædicto Gregorio XV. mihi concessa, & vi aliarum facultatum mihi concessarum, & iterum, si opus erit, concedendarum, ac omni magis valido, & stabili modo, de bonis temporalibus mature disponere, & testari, eorumque sollicita cogitatione animum liberare decrevi, ut patrocinante Dei gratia, & opem ferente BB. Virgine, in supremo agone, nudus feliciter luctari, & æternæ beatitudinis palmam consequi possim: si vestitus quispiam cum nudo luctatur, ut monet S. Gregorius, citius ad terram dejicitur, quia habet unde teneatur: quid sunt terrena omnia, nisi quædam corporis indumenta? Qui ergo contra Diabolum ad certamen properat, vestimenta abjiciat ne succumbat.

Animam primo Christi sanguinem redemptam, & sæpius ablutam, in divinæ Clementiæ sinu, humillime colloco, & post maxima accepta a Dei, ejusque Ecclesiæ Thesauro beneficia, pro quibus gratias ago utrique immor-

mortales, fretus inexhaustis Christi meritis, æternam in Cælo sanctorum felicitatem spero, & infimis precibus deprecor.

Instituo heredem universalem omnium meorum bonorum, quæ quocumque modo ad me pertinent, D. Principem Venusiæ fratrem meum, ejusque filios masculos, & descendentes per lineam masculinam, ut fortasse distinctius, & expressius declarabo in particulari Instrumento de primogenitura, quæ si a me stabiliretur, volo ut quam exactissime observetur: Hortor autem, & oro heredem, & posteros meos, ut majorum nostrorum gloria, virtute parta, virtute etiam amplificetur, & crescat.

D. Ducissæ matri meæ dilectissimæ, præter id quod a D. Duce Patre meo, felicis record. in suo Testamento, & Codicillo relictum fuit, donec vixerit, singulis annis persolventur tria scutorum millia monetæ Romanæ, propensissima autem voluntate hoc matri meæ lego, ne illam etiam post mortem colere desinam.

D. Principissæ Venusiæ Fratris meæ, quam semper plurimi feci, aulea relinquo auro phrygiata, inholoserico villoso coccineo, & veste attalica distincta, quibus meum ambulacrum convestiri solebat.

D. Principissæ Rossani, sorori meæ, adamantem destino, in vestiario, conservatum olim mihi a D. Cardinali Lerma, donatum erit sorori meæ, hæc gemma perpetuus fraternæ benevolentiæ Index.

Unicuique mearum duarum sororum monialium, Bononiæ, in singulos menses donec vixerint, 50. scuta monetæ Romanæ lego: utramque vero, si mihi supervixerint, animæ meæ suffragaturam esse confido.

D. Hieronymæ Lodovisiæ meæ propinquæ, in monasterio S. Jo: Baptistæ Bononiæ, vita superstite, pendantur singulis annis, 200. scuta.

Lego quæcumque bona acquisita, & acquirenda in Civitate, & Diœcesi Bononiensi, & præsertim in Territorio Centino, Marchioni Ugoni Albergato, eiusque filiis, & heredibus, quos nobilitati, & virtuti majorum, amorique erga familiam meam, semper responsuros esse confido.

D. Cardinali Aldobrandino, Christi effigiem, & Reliquiarium gemmatum, cum ornamentis, ut mei erga illum amoris monumentum offero, quod olim matri meæ, Florentia transeunti, Magnus Dux Etruriæ, donavit, & in meo Vestiario custoditur.

DD. Cardinalibus Mediceo, Boncompagno, Torres, Ubaldino, Capponio, pictam Tabulam, benevolentiæ meæ erga illos testem exhibeo, a singulis suo arbitrio eligendam, iis tantum tabulis exceptis, de quibus nominatim fortasse disponam.

Si inchoatum S. Ignatii Templum in Collegio Romano, non erit omnino perfectum, & absolutum, volo, ut perdiligenter subducantur rationes omnium sumptuum, usque ad tempus mortis meæ, in ea constructione factorum, & expresse præcipio, & mando, ut meus heres primo anno a morte mea, usque ad summam ducentorum millium scutorum, residuam pecuniam solvat, ad Templum perficiendum, & ad extinguendam omnem obligationem erga societatem, nomine hujus Templi. Quod si fine imposito fabricæ, aliquid superesset ex ducentis millibus scutis, arbitrio meorum commissariorum cedat in utilitatem, & ornamentum, vel Ecclesiæ, vel Sacristiæ, vel Collegii Romani: ut autem hæc pecunia brevi cogatur, si opus erit, tota mea suppellex, Tabulæ pictæ, statuæ, gemmæ, argentum, factum, & infectum, loca montium, Vestiarium, domus, prædia, & aliud quodcumque bonum, exceptis jurisdictionalibus, vendatur, ut prompte, & sine ulla excusatione, aut mora, pecunia superius definita solvatur: hoc autem ita constitutum apud me est, ut nolim heredem meum adire posse hereditatem, donec integre prædictam pecuniam solverit. Interim vero mea omnia bona, per Administratorem, de consensu heredis, & Commissariorum eligendum, gubernari volo.

Ceterum confido S. Ignatium recepturum me amice in æterna Tabernacula, cui pro mea erga illum pietate, ejusque erga Societatem benevolentia, hoc Templum singulari animi propensione construo. Lego eidem Ecclesiæ S. Ignatii, sex magna vasa argentea, quæ in fulcris ligneis inauratis, in meo ambulacro imponi solent. Lego item duo aliis altiora Candelabra argentea, Cereis Funalibus sustinendis apta. Lego eidem Ecclesiæ S. Ignatii omnia vela, ostiaria, vel phrygiata, vel serico, auroque contexta, meoque stemmate insignita.

Le-

Lego RR. Generali S. J. eburneam Christi Crucifixi effigiem, argento ornatam, capsula rubro Corio cooperta, inclusam, & in meo Vestiario conservatam: in capite vero Societatis, quam semper plurimi feci, & unice dilexi, Societatem universam singulari amore amplexus exoro, ut suis sacrificiis, & precibus salutis meæ caussam apud cælestem Judicem agat.

Lego Ecclesiæ S. Andreæ Novitiatus S. J. quatuor argenteas Angelorum statuas, quæ in meo Vestiario conservantur.

Lego Ecclesiæ Domus Professæ Romanæ S. J. aureum calicem adamantibus ornatum, quem ejusdem ordinis Patres Patruo meo Gregorio XV. felicissimæ recordationis, in Canonizatione S. Ignatii donaverunt.

Si tempore mortis meæ, non erit empta Domus pro Alumnis Collegii Hibernorum, ematur quamprimum, & si eidem Collegio redditus nondum assignassem, lego prædium meum, apud oppidum Gandulphum, & mille scuta, singulis annis, a meo herede solvenda: in hoc vero si quæ occurret difficultas, adigatur meus hæres ad assignandom bonum immobile, ex quo mille scut. fructus percipiantur: committo autem, & trado fidei, & curæ Societatis Jesu hujus Collegii gubernationem, ex quo, ut spero, prodibunt Alumni, qui Hiberniam meo patrocinio commissam, diuturna hæresi liberent.

Lego Ecclesiæ, & Domui Probationis Sancti Ignatii Bononiæ, duo Candelabra argentea, cui funales cerei solent imponi; hic enim locus Societatis Jesu, me non segniter collaborante, fundatus est.

Lego Ecclesiæ mei Tituli S. Laurentii in Damaso, omnem sacram supellectilem mei Sacelli, hoc est non solum omnes sacras vestes Sacerdotis, & Altaris, sed etiam Cruces, Candelabra argentea, & alia vasa, & Instrumenta, quæ a me in sacris mysteriis adhiberi solebant.

Lego eidem Ecclesiæ scuta quingenta, quibus organum fiat.

Lego Ecclesiæ Cappuccinorum, quorum Protector fui, 300. scuta pro supellectile sacra, meum vero patrocinium valde libens huic ordini impendi, propter singularem erga S. Franciscum pietatem, ejusque erga familiam amorem.

Lego puellis derelictis Sanctæ Euphemiæ, una vice tantum, duo millia scutorum.

Monialibus S. Urbani, quingenta.

Pueris Litteratis, tercenta.

Confraternitati SS. Apostolorum, tercenta.

Pauperibus Parochiæ S. Laurentii in Damaso, tercenta.

Puellis S. Catharinæ de Funariis, tercenta.

Monialibus Cappuccinis Romæ, tercenta.

Trinitati S. Sixti, tercenta.

Congregationi de Propaganda Fide, mille quingenta.

Lego familiæ meæ, decem millia scutorum, quæ pro arbitrio a meis Commissariis dividantur Aulicis, & famulis meis, habita tamen ratione conditionis personarum, & famulatus singulorum.

Lego Lucæ Antonio Junctæ Caudatario meo, una vice duo millia scutorum, & donec vixerit partem familiaribus meis dari solitam, pro ipso, & uno famulo.

Lego sex millia scut. Reverendo Capitulo meæ Metropolitanæ, quod obligo ad ea investienda quamprimum, ut sex Cappellaniæ instituantur, iisque suæ dotes deputentur. Dispono, ut hæ Cappellaniæ pro media parte vocis, sint de Jurepatronatus meæ familiæ, pro altera media parte, sint de Jurepatronatus prædicti Capituli, eæ tamen nonnisi illis conferantur, qui exacto in Metropolitana, famulatu, sese hac remuneratione reddiderint dignos; hi vero Cappellani teneantur quotidie celebrare, & canere in Choro.

Lego meæ Metropolitanæ, Stragulum cum stemmate meo; Stragulum vero fiat ei simile, quod in sollemnibus exequiis patrui mei Gregorii XV. felicissimæ memoriæ, eidem Ecclesiæ dedi.

Lego Monasterio Corporis Christi Bononiæ, libras mille monetæ Bononiens.

Lego Monasterio S. Bernardini, libras item mille.

Lego Monasterio S. Helenæ, libras mille.

Lego Monasterio Jesus Mariæ, libras mille.

Lego Monasterio Sancti Augustini, libras mille.

Lego Pauperibus Verecundis, libras sexcentas.

Lego Domui Succursus S. Pauli, libras quadringentas.

Lego

Lego Domui Probationis, libras quadringentas.

Lego Pueris S. Magdalenæ, libras quadringentas.

Lego Pueris S. Jacobi, libras quadringentas.

Lego Pueris S. Bartholomæi, libras quadringentas.

Lego Carcere inclusis, libras quadringentas.

Lego Domui Mendicantium, libras mille.

Quoniam propter absentiam, & propter incuriam ministrorum, sæpe Abbatiarum Ecclesiæ, & Domus indigent refectione, & Vestibus, ac Vasis Sacris, si quis forte defectus in meis Abbatiis contigisset, lego singulis quas possideo, centum nummos aureos, ut defectus suppleantur.

Onero heredem meum, quod tamen onus non erit illi nisi summo honori, ut corpus Gregorii XV. patrui nostri, funebri apparatu, & pompa, quæ tanto Pontifici de nostra familia, atque adeo de universa Ecclesia, præclarissime merito, debetur, in Templum S. Ignatii transferat, eoque in tumulo condat, quem tanti viri virtus, & cineres ipsæ deposcunt; meum vero corpus in sepulchro sito, ad prædicti Pontificis pedes locetur, ut sicuti viventem Patruum, vivus nepos sum ex animo veneratus, ita etiam mortuus ei mortuo, subditos, & supplices cineres habeam.

Commissarii, & executores hujus ultimæ meæ voluntatis, & Testamenti, cui soli standum est, erunt RR. PP. Generalis, & Assistentes pro tempore S. J., quos pro sua benignitate hoc munus recepturos spero, & oro; illam vero ipsam facultatem quam ego, si viverem, interponere possem ad executionem prædictarum rerum, Commissariis prædictis, amplissime concedo, & quidquid ab iis juxta prædicta explicabitur, & decernetur in dubiis, sine ulla appellatione, aut forma Judicii, ratum, certumque esse volo, & definio.

Demum hæc duo minuta, quæ opulentissima voluntate in Dei, & Ecclesiæ Thesaurum refero, æternum Judicem propitium mihi redditura esse confido, qui pro sua infinita benignitate, potum etiam aquæ frigidæ irremuneratum esse non patitur.

Ego Ludovicus Presbyter Cardinalis Ludovisius, S. R. E. Vicecancellarius, Archiepiscopus Bononiæ, in mea Metropolitana residens, anno Domini MDCXXIX. die XI. Aprilis, ætatis meæ 34. mortem Dei gratia æquis oculis intuitus, de prædictis omnibus, & singulis, tota animi inductione, ultimo disposui, & quam exactissime observari volo, & præcipio: nam hujus meæ ultimæ voluntatis, Dux & Magistra, grati animi virtus, Deique, & Ecclesiæ gloria fuit. Hoc autem Testamentum plene stabilitum, & confirmatum, ad Reverendiss. P. Generalem S J., eique Patres Assistentes transmitto. In quorum fide, prudentia, integritate, omnis mea sollicitudo post Deum, conquiescit.

Idem Ludovicus Cardinalis Ludovisius.

Loco † Sigilli.

Quanti porro faciat Deus in Templis sibi dicatis, oblata, pieque servata sacra donaria, quicquid Juvenalis impius cum aliis sibi consimilibus garrierit, & adhuc garriunt, vel exinde patet, quod eorum violatores, horrendis perpetuo sit insectatus suppliciis. Et ut Balthassaris vitæ, & Regni, in veteri testamento, mittamus interitum, sacrorum donariorum abusu, repente maturatum; in prophanis itidem historiarum monimentis, in proverbium versos auri Tolosani, ex Delphici oraculi direptione, miserandos effectus; unius ex Christianis Principibus Alexii Imperatoris exemplum promptisse sufficiat; qui cum ærarium imperiale assiduis exhaustum bellis, ex donariis Ecclesiarum restaurare studuisset; ab exigua Northmannorum manu, 15. nempe millibus, in meditullio sui Regni, ipse 170. millibus obvallatus, superatus fuit, ut scribit illius ævi scriptor Ostiensis Leo lib. 3. c. 48. Caussam tantæ cladis ex sacrilega rapina fluxisse ingemiscendo, Constitutionem edidit, ob munimen aurei sigilli, Bullam auream nuncupatam, cavens ne talia unquam a quovis Imperatore tentarentur, quam quoniam Card. Baronius suis Annalibus inferendam censuit, ad annum Domini 1082. nos quoque pro coronide hujus nostræ lucubratiunculæ, libenter adjungimus.

Domini Alexii Comneni Græcorum Imp. de donariis, & rebus sacris Rescriptum,

ſive oratio, quam auream bullam inſcripſit.

Qui corpore male affecti ſunt, medicaque curatione egent, ſi modo ſe morbo laborare ſenſerint, multo facilius a medicis curantur. Qui vero morbi quo laborant gravitatem minime perſentiſcunt; immo nec ſe ægrotare ſciunt; ii proculdubio non parum negotii, & ſibi, & medicis faceſſere ſolent. Hoc ipſum quidem certe in animi quoque morbis perſpicuum eſt. Atque ex nobis, cum peccant alii, quamlibet in profundum malorum gurgitem prolapſi, in utramvis ſecuri dormimus aurem; ſcelerumque gravitati ſuccumbentes, vix ac ne vix quidem nos peccare ſentimus, quia nimirum malus ille habitus jam in naturam tranſiit. Quibus autem ſalutiferi ſui luminis ſcintillam aliquam Deus indidit, quorumque intellectus non omnino mundi hujus ſublunaris cœno obſorduit, nec lateritio operi mens prorſus inſervire cogitur: ii demum a lapſu reſurgere, Deique conſortio, præter animi ſententiam exturbati ſæpius, ad eumdem non ſine ſedula, ſpontaneaque rerum meliorum diſquiſitione recurrere poſſunt.

Quæ res haud dubie nobis imperantibus uſu venit. Variæ enim multiplicesque negotiorum circumſtantiæ, dum ubique publica exhauriuntur æraria, paſſimque hoſtium incurſionibus patet aditus, tranquillum Imperii noſtri ſtatum repreſſerunt. Cum primumque adeo Imperatoriæ faſtigium majeſtatis conſcendimus, nos a tergo illa malorum myrmecia inſecuta eſt. Ex quo evenit, ut in ſummam rerum anguſtiam adducti, iiſque omnibus exuti, quæ lapſis alioqui adjumentum aliquod afferre poterant: tandem vel ſacra divinaque Dinodia contingere, iiſque noſtram ſolari inopiam ſtatuerimus. Quod certe facinus, in pleriſque ſacris diviniſque Eccleſiis admiſſum eſt, nec ſacrorum donariorum pauca in publicos ceſſerunt uſus. Neque eo quidem addacti ſumus, ut quidquam moliremur, vel in Dei conturbeliam, & contemptum, vel in eorum deſpectum, quæ illi pia conſecravit antiquitas (quod omen Deus ab omni animo Chriſtiani nominis amantiſſimo avertat) ſed urgente temporum neceſſitate; atque etiam conſilio noſtro, quod medio ſe operi immiſcuit. Imperatoriæ enim majeſtatis noſtræ animo viſum eſt, nulla Deum ira inde percitum iri, ubi mens male conſcia nullius criminis agentem reum coarguerct. Cum autem quidquid in Imperatoriis ærariis ſupererat, exhauſtum, & inſumptum eſſet, nec in ullos uſus neceſſarios ea ceſſiſſent, quæ a ſanctis extorſeramus Eccleſiis: tum vero conſilium omne noſtrum tot undique periculis Romam circumvallantibus, inverſum, & labefactatum eſt. Quocirca pleriſque in locis hoſtium noſtrorum cornu exaltatum eſt, noſtrique adeo Imperii naviculæ naufragium imminet, niſi præpotens Dei virtus iis quibus aſſolet judiciis illam vindicet, procellamque ipſam in auram convertat.

Itaque Imperatoriæ majeſtati noſtræ majore cura diſquirendum, & inveſtigandum eſſe viſum eſt, quod tandem ſit illud, quod tantam Dei iram concitavit, violentumque ejus furorem in nos exacuit. Præterea cum viris divino maxime ſpiritu afflatis de re ipſa conſilium iniit. Et poſteaquam certior ab illis facta eſt, ſatis eſſe cauſæ manibus cur in nos ira divina excanduiſſet, quod profanis manibus ſacra, venerandaque ſanctarum Eccleſiarum vaſa contrectaſſemus, (etiam ſi nulla nos improbitas, maleve conſcia mens eo promoviſſet) quia nimirum, neque res divinæ profanandæ ſunt, nec a Dei manibus repetenda, in alioſve uſus convertenda ea, quæ ſemel illi conſecrata fuerint: operæ pretium illi fore viſum eſt, & futurum mali impetum reprimere, ne ullo in poſterum tempore, inter Chriſtiani nominis Principes irrepat; & præteritis (quoad ejus fieri poſſit) præſens afferre remedium. Quamobrem ut ſit erranti medicina confeſſio, coram Deo, & hominibus, Imperatoria ſe majeſtas prolapſam fatetur, veniamque delictis quæ temere admiſit, ex intimis animi adytis poſtulat; ſequentia omnia quæ ſui ſunt Imperii, divino numini mancipaturum, eaque viribus Imperatoriis denuo reſtituturum pollicetur, quæ in hodiernum uſque diem ab Eccleſiis Deo ſacris, ablata, in publicoſque uſus male verſa ſunt, ſi modo quæ orbem univerſum exagitat, procella deſævierit, Imperioque ſtatus melior reſtitutus fuerit.

Hæc enim perſolvenda nihilo ſecius quam privatum aliquod debitum, in ſe recipit; nec ſe ſanctis obæratum Eccleſiis inficiatur. Quare in poſterum tum ſibi, tum poſt ſe futuris Chriſtiani dogmatis Principibus AUREA hac BULLA legem non minus obſervandam impo-

ponit, quam si a Deo ipso dictaretur; NE QUIS POST HAC SACRA TEMERE CONTRECTET, etiam si vel Cadmea necessitas urgeat; ne manus impuras sacris rebus injiciat, ne profana ex divinis Dinodia fiant, dum in publicos usus circumferuntur. Cumque inter Deum, & homines sit interstitii loco positum, quod nullus, si modo pius fuerit, transgredietur; homines quidem, rebus nostris utemur, & fruemur: Deo autem sacra tecta manebunt, quæcumque illi consecrata fuerint, nec illa manibus, vel audacissimis contingent. Quod si quis, Domine Deus, in posterum manus sacris, & divinis Dinodiis utensilibus, & vasis, quæ sacris olim, & venerandis Ecclesiis tuis dicata, vel in posterum dicanda fuerint, injicere audeat: is ne lumine in die visitationis tuæ fruatur; ne sol illi matutinus illucescat, nec tuo hic auxilio, nec tua isthic divina protectione gaudeat; sed ubique despectus a te, desertusque jaceat. Tantum propitius esto nunc, o Rex, hereditati tuæ. Siste justam illam iram, qua in nos exarsisti, quin parce nobis, qui cum peccaverimus antea, nunc tandem ad te convertimur. Quoniam omnia peccata nostra cum misericordiæ tuæ abysso collata, & velut ad perpendiculum examinata, sic se habent tanquam aquæ hemina, si cum toto mari conferatur.

Ut ergo coram te, Domine, multitudinem peccatorum meorum confiteor: ita tuum quoque maxime saluriferum auxilium imploro, ex intimisque animi penetralibus, a sacris in posterum pertractandis desistens, etiam si extrema me necessitas eo impellat, & debitorem eorum quæ antea inde ablata fuerunt, me ingenue profiteor.

In hujus enim rei confirmationem universis Ecclesiis tuis sanctis, hanc aurea bulla obsignatam orationem, tanquam tutum aliquod antidotum appendi: ut quicumque posthac sacrorum Dinodiorum quodpiam contrectare ausus fuerit, impii sacrilegii nomine apud te, & pios quosque homines censeatur. Dat. mense Augusto quintæ Indictionis, quater anno millesimo quingentesimo nonagesimo, quo quidem tempore pium quoque hoc, & Deo subditum Imperium nobis designatum est) anniversaria nempe die. Hactenus bulla aurea aureis re vera litteris digna.

ET ut brevem Dissertationem claudamus, juvat post Græcanici Principis factum, Illyricæ patriæ meæ consimilem casum, eademque de caussa funestum, brevibus hic addere. Sciscia olim inter primarias Illyricanæ telluris Urbes, præcipua, ad Colapim fluvium, cruore S. Quirini ejusdem Urbis Episcopi, olim consecratum, teste Prudentio, Savo mox miscendum, extructa, Romanis Principibus, Tiberio præsertim, qui eam in Insulæ formam redegit etiam, tanquam Pannoniarum Arx, & proximæ Dalmatiæ propugnaculum, Trajano in expeditione Dacica, Theodosioque Seniori, contra perduelles Imperii Romani, belli sedes habita; occidente Romana majestate, ab iisdem contra quos propugnaculum steterat, eversa, deleri funditus non potuit, quominus in ejus angulo, munitio aliqua, ad instar Arcis, ab incolis ob loci opportunitatem, retineretur, & quo tutiori præsidio servaretur, a Regibus Ungariæ, pleno jure Venerabili Senatui, Zagrabiensis Ecclesiæ Capitulo, cum adjacenti agro donata fuit in perpetuum; non absque opere pretio. Siquidem ardenti illo zelo, quo sacer Senatus pro defensione Catholicæ fidei, ditiones suas ab omni impietatis labe præservavit, & Othomanico furori per Illyrici provincias debacchanti, restitit intrepide, præfectum ex sui Collegii corpore, annuali magistratu, Judicem indigenis, præsidiariis copiis Ducem, præposuit hactenus. Hanc Arcem, a quibusdam scriptoribus inepte Monasterium appellatam, cum ante 40. annos, Hasanes Purpuratus, sive Bassa Bosnensis proximi Regni, qui Romam ipsam vana spe devoraverat, bina obsidione, validissimo milite, tanquam claustrum, & obicem ad Italiæ viam, frustra tentasset, Nicolao Micatio, & Stephano Fabricio, primo anno, Blasio Juraco, & Mathia Finitio, Canonicis Zagabriensibus, sequenti, incredibili constantia defendentibus arcem; dum tertiam obsidionem, multo majori vi idem Hasanes, adaucto exercitu ad 40. millia, totius Turcici in Europa Imperii fortissimorum, cuius impetu regiones quascumque proximas, ad solitudinem redegerat, avidissime repetit, ac ferocissime, ab exiguis Christianorum copiis, quæ Arci obsessæ opem laturæ advolarant, sub ipsis Scisciæ mœnibus turpiter fusus, & Colapianis aquis absorptus, deleta maxima par-

parte exercitus, victoriam qualem Christianus miles, nunquam hactenus campestri prælio, post Joannis Corvini, & Mathiæ Regis ejusdem filii, palmas, audiverat nedum reportarat, Scisciensibus reliquit. Verum enimvero præsidiarius Sisciæ miles trino triumpho de fortissimo, & potentissimo Hasane reportato non contentus, prædaque opima ex ipsius adepta spoliis, haud exsatiatus, immo tanta felicitate petulantior effectus, cum stipendia plurium mensium a Zagabriensi Senatu solvi sibi contenderet, nec propter triennale bellum sustentatum, apud sacrum Collegium modus ullus stipendiorum solvendorum extaret, minus pio consilio, eventu infelicissimo, totum aurum, & argentum, quo in Zagabriensi sacrario, sanctorum virorum ossa, in primis vero Venerandum Cranium, duæque costæ Ungarorum Regis, & Apostoli Stephani, Zagabriensis Ecclesiæ, ac Regnorum omnium sacræ Coronæ Apostolicæ Patroni, per multa sæcula, munificentia piæ vetustatis habebatur obductum, in ferocissimi militis conflatur stipendium. Etenim sequenti anno, victore nostro exercitu ferme inspectante, sed panico quodam terrore perfuso, a longe minoribus copiis Turcicis, quam fuerant Hasani, quinque dierum spatio, Siscia illa quam integri triennii laboribus obtinere nequiverant, occupatur; præsidio universo, ne sacrilego stipendio gauderet ulterius, cæso, aut in servitutem perpetuam abducto, maxima Christianarum rerum per universam Ungariam, quam Turcæ impetebant, inclinatione. Adeo perniciosum in manibus prophanis evadit illud aurum, & argentum, quod dum sacris usibus inserviret, in oculis Divinæ majestatis pretiosissimum fulgebat. Sed hæc infelicitas, eximia pietate sæculi nostri, in omen maximæ felicitatis reparatur. Dum Eminentiss. Princeps Franciscus Card. Barberinus, incertum erga decorem domus Dei, an pauperum necessitates, indefessa munificentia, intra, extraque Urbem, per remotissima terrarum spatia, magis effusus, & sancte prodigus, utpote SS. URBANI PATRUI SUI, CUJUS PIA MUNIFICENTIA PASSIM FELICITER SACRA TECTA RESURGUNT, CUJUS PRETIOSIS DONARIIS OMNIA TEMPLA REFULGENT, CUJUS BENIGNA PROVIDENTIA ÆVO NOSTRO IGNORATUR EGESTAS, si qua in alia Heroica virtute, in effusione æternorum viscerum sedulus imitator; ubi primum nuditatem Reliquiæ Sanctissimi Regis, erga cujus cultum exardescit perpetuo, nuper a me accepit, pretiosissimum ornamentum, auro, argento, gemmisque ditissimum, ipsum Apostolici Regis caput, humeros, & pectus, exprimens, Ungarico Regali paludamento insigne, Regia Corona, ad imitationem Angelicæ, Apostolicæque Coronæ Ungaricæ, superbum, elegantia operis, nulli sacro Reliquiario secundum, Romana industria elaboratum, mihi ad Ecclesiam nostram Zagabriensem deferendum, ad manus, ingenti animi alacritate consignavit. In cujus illustrissimi ornamenti basi, ejusmodi pietatis argumentum incisum est perlegere, quod æque erga sanctissimum Regem, eminentissimæ tanti Cardinalis pietatis, ut erga gentem nostram paterni affectus argumentum; denique ex eo, quoniam divum Caput Stephani Regis, a Francisco sacro Principe coronatur, vix in lucem edito Francisco Ferdinando, Augustalis Austriacæ virtutis, & gloriæ, herede, utpote Ferdinandi Regis nostri primogenita sobole. Francisco Centenario, sed vegeto in omnibus, Zagabriensi Præsule; in omen futuræ felicitatis, animo præsagiente, libenter hujus dissertationis hic metam adnecto.

SACRO D. STEPHANI UNGARORUM
REGIS, APOSTOLIQUE CRANIO
IN ZAGABRIENSI ECCLESIA
EIDEM DICATA, SER-
VATO DECENTIUS
ADSERVANDO.

FRANCISCUS TIT. S. LAURENTII IN
DAMASO S. R. E. VICECANCELLA-
RIUS DIACONUS CARDINALIS
BARBERINUS

PIA IN S. REGEM OBSERVANTIA
HUMILITER OFFERT.

ANNO DOMINI MDCXXXV.

P. D.

P. D. JOHANNIS MABILLONII
MONACHI BENEDICTINI
De Altaribus
DISSERTATIO VIII.

I. HUC pertinet consideratio de altaribus sacris, de quibus ut aliquid admoneam, movet me Auctor historiæ eucharisticæ, dum ait, altare unicum in unaquaque ecclesia ante sæculum octavum fuisse; & altaria portatilia seu tabulas altaris, quas *itinerarias* vocat Ordo Romanus, in usu non fuisse ante sæculum undecimum. Utrumque examinandum hoc loco est. Altare unicum in qualibet Ecclesia primis Religionis Christianæ sæculis fuisse constat, tum quia unus Sacerdos uni Ecclesiæ præficiebatur, seu (ut ajunt) incardinabatur; tum quia rari erant Sacerdotes etiam in Monasteriis, Sacerdotum collegia nulla. Crescente numero Fidelium crevit & numerus ministrorum sacrorum Ecclesiarumque. Optatus *Milevitanus* in libro secundo *Romæ* quadraginta, & amplius fuisse testatur basilicas sub tempore persecutionis *Diocletiani*: & *Cornelius* Papa in epistola ad *Fabium*, ab *Eusebio* relata in historiæ libro sexto capite quadragesimo tertio, ait Romæ tum fuisse Presbyteros quatuor, & quadraginta, pro numero videlicet Ecclesiarum; septem autem Diaconos, totidemque Subdiaconos; Acolythos duos, & quadraginta; Exorcistas & Lectores cum Ostiariis quinquaginta duos, viduas denique cum infirmis, & egentibus plusquam mille, & quingentas. En qualis erat tum Romani Cleri status. Vix alia erat in Monasteriis disciplina: & si in Monasterio Nitriæ erant Presbyteri octo, unus tamen, is scilicet qui primus erat, quoad viveret, offerebat, judicabat, concionabaturque, teste *Palladio*, ceteris nihil eiusmodi præsumentibus. Verum de numero Presbyterorum in Monasteriis inferius oratio recurret. Sæculo sexto unius basilicæ unus titulus erat: testis ea de re *Gregorius* Turonicus Episcopus in libris de gloria Martyrum. Ecclesiæ plures in uno Monasterio constructæ, sua cuique ara. Hinc Sanctus Pater *Benedictus* in monte Casino duplex Oratorium, *S. Maurus Glannafolii* quadruplex erexit. Paullo post Sacerdotum numerus augeri, mysteria sancta frequentari amplius; & aræ plures una in Ecclesia construi cœptæ. Quippe in Sepulchri dominici Ecclesia, referente *Arculfo* Episcopo Gallo, qui loca sacra invisit sæculo septimo, altaria erant quinque, & in basilica S. Mariæ in valle *Josaphat* altaria quatuor; immo sæculo sexto *Burdigalæ* in Basilica S. Petri altare duplex erat, uti nos docet Gregorius Turonensis Episcopus in libro primo de gloria Martyrum, capite trigesimo tertio. Sæculo dein octavo numerus Altarium auctus: adeo ut *Carolus Magnus* in Capitulari edito anno octingesimo quarto ad *Theodonis-villam* mandaverit *de Altaribus, ut non superabundent in Ecclesia*. Certe in primaria *Romæ* Basilica *S. Petri*, præter majorem aram, *Paulus* Papa *mensam illam*, quam *Pippinus* Rex *Stephano* Pontifici direxerat, *infra aulam ipsius Principis Apostolorum introduxit, & super corpus ejusdem* positam *chrismate unctionis sanctificavit*, & in ea *sacrificium obtulit*, ut testatur epistola quartadecima Codicis Carolini. Etsi vero unius Ecclesiæ quondam unum erat altare, plures tamen in eo Missas unoquoque die celebrari fas erat, contra quam multi opinantur. Ea enim quæ hac de re leguntur interdicta, non de diversis Sacerdotibus, sed de uno eodemque explicanda sunt. Id ex Concilii Antisiodorensis, quod anno quingentesimo septuagesimo octavo celebratum est, capite decimo planum fiet. *Non licet super uno altario in una die duas Missas dicere; nec in Altario ubi Episcopus Missas dixerit, ut Presbyter in illa die Missas dicat*. Quibus sane verbis prærogativa quædam Episcopo supra ceteros Presbyteros tribuitur, ut scilicet in illo altari, in quo Mis-

Missam dixisset, Presbytero non liceret ea die sacrificium offerre. Ergo Presbyteris licebat, aliis post alios, Missas in eodem altari celebrare: alias frustranea esset Concilii additio de Episcopis. Hoc illustratur facto *Gregorii* Turonici Episcopi, qui cum ab æmulis apud *Chilpericum* esset accusatus maledicentiæ in *Fredegundem*, *apud* Berennacum *villam restitit ad hoc causa, ut dictis Missis in tribus altaribus se de his verbis exueret sacramento. Et licet canonibus essent contraria, pro causa tamen Regis impleta sunt*. Ad quid enim non in uno, sed in tribus Altaribus *Gregorius* celebravit Missas tres, nisi quia uni Sacerdoti id in uno altari non licebat?

II. Altaria mobilia seu portatilia in usu fuisse longe ante sæculum undecimum patet ex vita Sancti *VVlframi* Episcopi Senonensis, in qua *VVlframus* in navi Oceanum trajiciens, sacrum fecisse super altare portatile dicitur. Consentit *Beda* in historiæ libro quinto, capite undecimo, agens de duobus Ervaldis, qui *quotidie sacrificium Deo victimæ salutaris offerebant, habentes secum vascula, & tabulam altaris vice dedicatam*: & *Hincmarus* in Capitulari tertio præcipit, *ut nullus Missam celebret in altari non consecrato, vel sine tabula ab Episcopo consecrata*, quæ sit *de marmore vel nigra petra, aut libro honestissimo*. Nec alium fuisse usum sæculo quinto, ut putat Auctor historiæ eucharisticæ in Addendis, probat Exemplum *Theodoriti*, qui Diaconorum manibus vice altaris usus est ad sacrificium. Quamvis enim tabellæ ejusmodi in usu essent ævo *Theodori* Cantuariensis Episcopi, tamen ipse in Pœnitentiali suo libro ait licere Presbytero *Missam in Campo dicere, si Diaconus vel Presbyter, vel ipse calicem, & oblationem manibus tenuerit*. Quin immo *Theodoriti* factum innuit, non licuisse uti mensa profana in sacrificium: ut necesse fuerit adhibere manus ministri sacri vice altaris. Formam ejusmodi tabularum repræsentat nobis Codex manu exaratus Cœnobii Dionysiani prope Lutetiam Parisiorum: quo in Codice *Carolus Calvus* prædicto Monasterio multa donaria contulisse dicitur, in his *altare portatile de marmore porphyretico per quadrum auro incluso, quatuor pedes habente: in quo in anteriori parte posuit brachium Sancti* Jacobi *Apostoli, qui dictus est frater Domini*; *ad dexteram vero ejusdem altaris partem brachii pretiosissimi protomartyris* Stephani; *ad sinistram vero ejusdem altaris brachium* S. Vincentii *Martyris auro optimo inclusit*.

III. Porro edita fuisse ab initio altaria constat ex facto *Alexandri* Constantinopolitani Episcopi apud *Socratem* in historiæ ecclesiasticæ libro primo, capite trigesimo sexto, & ex facto *Gainæ* apud *Sozomenum* in libri octavi capite septimo, qui uterque subtus aram Deo preces fudisse perhibentur. Ejusdem erant formæ altaria in Occidente sæculis octavo, & nono. Nam teste *Adelhelmo* Sagiensi Episcopo in libro de miraculis sanctæ *Opportunæ*, numero nono, miles quidam *Bosonis* Regis, cæcitate a Deo percussus *subtus altare jacens* visum *Monciaci* recepisse perhibebetur, & in libello de translatione, & miraculis S. *Gorgonii* martyris hic, capite quarto-decimo, mutus quidam permissus est in Ecclesia *jacere sub gradibus, quibus ad altare ascenditur*: quod de crypta subterranea intelligendum non puto. Utrumque locum illustrat *Gregorius* Turonensis Episcopus in libro primo de gloria Martyrum, capite trigesimo tertio, ubi aram qualis suo tempore *Burdigalæ* in basilica Sancti *Petri* Apostoli cernebatur, describit in hunc modum. *Hujus altare positis in altum pulpitis locatum habetur: cujus pars inferior in modum cryptæ ostio clauditur, habens nihilominus, & ipsa cum Sanctorum pignoribus altare suum*. Neque solum edito in loco sita erant altaria: erant etiam cava, ut patet ex libro *Ardonis* de Vita *Benedicti Anianæ* Abbatis, ubi Auctor de Altare Salvatoris apud *Anianam* constructo scribit in hæc verba: *Altare illud forinsecus est solidum, ab intus autem cavum, retrorsum habens ostiolum, quo privatis diebus inclusæ tenentur capsæ cum diversis Reliquiis Patrum*. Ergo diebus Dominicis, & festis inde producebantur Reliquiæ Fidelium oculis, & cultui exhibendæ. Simile etiam erat illud aureum, quod *Angilbertus* Mediolanensis Episcopus in æde Ambrosiana, ubi tum degebant sodales nostri, fieri curavit ante medium sæculum nonum: quodque ex *Puricello* describens *Ughellus* in Italiæ Sacræ tomo quarto notat in posteriori altaris parte binas fuisse fores perangustas per quas ostiolum patebat in partem altaris interiorem, ubi repositæ Reliquiæ. Quin etiam mobilia erant quandoque alta-

altaria majora. Ejus rei auctorem habemus *Chronographum Laureshamensem* scribentem „ *Helmericum* Abbatem tumbam sancti *Nazarii* aureo argentoque decorasse, altare „ etiam simili impensa, & opera mirificasse, „ *quod postea ad Ecclesiam Sancti* Petri, *quæ* „ *dicitur* Altenmunster translatum est;" & in loco ubi Christus Dominus natus est, præter Altare quod erat in Ecclesia super speluncam ædificata, erat etiam altare minus, quod transferebatur in speluncam ab iis qui Missas ibi celebrare volebant, teste Sanctimoniali in Vita Sancti *VVillibaldi* Episcopi Eistetensis.

AD CAPUT IV.

P. FRANC. ANTONII PHOEBEI S. J.

De variis Ecclesiæ Liturgiis

DISSERTATIO IX.

I. SAcrosanctum Missæ Sacrificium, quod præsenti hac exercitatione suscepimus exornandum, duplici partium genere coalescit, quorum primum illas complectitur, in quibus est ipsa Essentia Sacrificii, qualis extra dubitationem nobis est consecratio specierum Panis, & Vini, etsi quæ sunt aliæ, de quibus est disceptatio inter Theologos. Alterum genus partium illas continet, quæ Sacrificium quodammodo vestiunt, & exornant, quales sunt preces, ritus, & cæremoniæ. Jam vero primas illas partes Sacrosancti hujus Mysterii substantiam componentes initium suum, & institutionem referre in summum, & æternum Sacerdotem secundum ordinem Melchisedech, Christum Dominum, res est ex sacris litteris compertissima, unde fit illas, quemadmodum & reliqua Sacramenta, immutari non posse per Ecclesiasticam potestatem, ut disertis verbis definitur a *Tridentino sess.* 21. *cap.* 2. Hinc a contrario sensu, & ex ejusdem Tridentini Doctrina certissimum nobis est, reliquas partes accessorias Sacrificio, non immediate a Christo, sed ab Apostolis, eorumve successoribus prodiisse, unde Ecclesiasticæ potestati subjectæ sunt, & mutationibus obnoxiæ; quicquid in contrarium erraverint plures Hæretici, contra quos Theologi polemici, ac præcipue *Bellarm. tom.* 2. *de Sacr.*

Inde factum est, ut, quemadmodum in aliis Sacramentalibus, ita etiam in ritibus Sacrificii, non fuerit semper ubique gentium praxis eadem in Ecclesia, quæ varietas potuit etiam ab Apostolis immediate manare: nam cum diversi in diversis Regionibus prædicaverint, & Ecclesias fundaverint, in his quæ pendebant ex humano arbitrio, varios ritus introducere potuerunt, ut est egregium exemplum in antiqua controversia de celebratione Paschatis, in qua Orientales affirmaverunt, ritum celebrandi Pascha luna decimaquarta, quocumque die hebdomadæ incideret, sibi fuisse traditum a Jo: Evangelista, cum contra Romani, & Occidentales celebrandum esse die Dominica, ex Petri traditione docerent, quem ritum postea pro universa Ecclesia præcepit Nicæna Synodus.

II. His prajactis generalibus fundamentis, duo mihi breviter enarranda sunt: Primo, quo ritu, & quo linguæ genere Apostoli Sacrificium celebraverint? Secundo, quænam sint præcipuæ Liturgiæ, quas Apostoli, vel eorum Successores diversi diversis Ecclesiis reliquerunt, ut legitimas ab iis, quæ spuriæ, vel saltem dubiæ Fidei sunt, discernamus?

III. Quod ad primum attinet, excussis diligenter veteribus monumentis, res est satis obscura; vel enim hac de re nihil scriptum accepimus ab antiquis Patribus, vel, si quid modicum ab illis relictum nobis est, in eo ipso non videntur unanimes consentire. Gre-

gn-

gorius enim in *Registro lib. 7. Epist. 63.* indicare videtur, morem Apostolorum fuisse, addere dumtaxat Orationem Dominicam ad verba consecrationis, quod fortasse sumpsit ex *Hier. lib. 3. contra Pelagianos*, quamvis ibi *Hier.* non adjungat particulam exclusivam, eidemque sententiæ adhæsisse videtur *Honorius in gemma Animæ Cap. 86. & Valfridus Strabo de rebus Ecclesiasticis cap. 22.* Contra tamen *Chrysost. hom. 27. in 1. ad Corinth. & Proclus Constantinopolitanus in libello de traditione Divinæ Liturgiæ* affirmant, Apostolos fusissime, longoque verborum ambitu Sacrificium celebrasse. Utramque tamen hanc sententiam conciliari facile posse non improbabiliter judicamus, si dicamus Apostolos statim post adventum Spiritus Sancti, & etiam aliquoties subsequentibus temporibus, quando temporis angustiis, vel persequentium metu premebantur; brevissima illa formula celebrasse; postea tamen rebus in majorem ordinem redactis, & adjunctis aliis Orationibus, & Cœremoniis, cum per tempus liceret, aliam prolixam formulam servavisse, ut conciliat *Franciscus Suarez tom. 3. in tertiam partem disput. 83. sect. 2.* & recentius *Eminentissimus Card. Bona rerum Liturgicarum lib. 1. cap. 5.*

IV. Quo autem linguæ genere compacta fuerit illa Apostolica Liturgia, altum ubique, quod sciam, apud veteres Ecclesiæ Patres, silentium est. Quod enim *Johannes Echius lib. 2. de Sacrificio Missæ cap. 2.* opinatus est, Missam non nisi Hebraice celebratam, tum ab Apostolis, tum ab eorum Successoribus, usque ad tempora Adriani Imperatoris, & tunc demum Ecclesiam uti cœpisse in Sacris lingua Græca, nullo antiquitatis Teste definivit, & propterea non facile adducimur, ut eidem assentiamur, cum præsertim etiam nunc extet per manus nobis tradita Liturgia, si vera est ea plurium sententia, græco sermone conscripta a Jacobo, de qua paulo infra sermo erit. Cum igitur hac in re conjecturis nobis uti necesse sit, censemus Apostolos diverso, in diversis Regionibus, idiomate usos, quod ibidem esset vernaculum, vel præcipuum, & sic Hierosolymis Chaldaice; Antiochiæ, Alexandriæ, in aliisque Græcorum Civitatibus Græce; Romæ autem, & in aliis Occidentis partibus latine Sacrificium celebrasse. Ducimur ad hoc asserendum ab immemorabili Ecclesiæ consuetudine, cujus initii memoria non extat, ac proinde cujus institutio referenda videtur ad Apostolicam traditionem, & exemplum. Constat enim antiquissimas Liturgias in partibus Occidentalibus non inveniri, nisi latino sermone compositas; in Orientalibus autem non nisi græco sermone, quo utuntur Græci, & Melchitæ; atque Chaldaico, quo Maronitæ, aliique plures per varias Orientis Regiones dispersi: quæ idiomatum genera penes easdem Regiones in sacris immutata permanserunt, quamvis cæteroquin in humano convictu desierint esse vulgaria, quæ Religiosissima cura fuit majorum nostrorum, tum ad antiquitatis obsequium, tum etiam ne unquam irreperet in res sacras aliquod erroneum, aut impurum, quod facile contigisset, si ab antiquo sermone, quo ab Apostolis, & Apostolicis viris traditæ fuerant, in aliud, atque aliud idioma, quod inciperet esse vernaculum, fuissent translatæ.

V. Quod autem spectat ad diversas Liturgias, diversis Ecclesiis relictas, atque servatas, illud in primis notatum volumus, omnes inter se convenire non solum in iis, sine quibus Sacrificii ratio non subsisteret, sed etiam in præcipuis rituum speciebus, quales sunt Ministrorum apparatus, Psalmorum modulatio, lectio sacræ Scripturæ, thurificatio, precatio pacis, preces diversæ, gratiarum actio, & si qua sunt alia ejusdem generis, quamvis non unus, idemque istorum omnium modus, & ordo sit in omnibus Liturgiis, ut sic Reginæ formosissimæ adstantis Sponso suo vestitus deauratus unus sit, simulque non indecora varietate contextus. Varietas ista exinde nata fuisse dicenda est, quod, cum varia sint diversarum Nationum ingenia, & mores, & aliunde res ista commissa esset a Christo Ecclesiasticæ potestati, Ecclesiarum Fundatores, immo, & Successores Episcopi eum diversis nationibus ritum præscripserunt, qui unicuique magis expediens visus est: Quamvis non negaverim hujus potestatis usum, qui aliquando fasiens, & e dignitate Ecclesiastica fuit, apud plures postea in abusum degenerasse, dum alii, atque alii Episcopi, immo, & nonnulli religiosorum ordinum Moderatores, pro arbitrio, plura mutarent, & sensim deflecterent ab antiqua majestate Religionis, ut propterea pluribus Conciliis opus fuerit ad cam

lica.r-

licentiam compescendam, ut constat ex *Conc. Epaonensi anno 509. cap. 27. ex Gerundensi anno 517. cap. 1. ex Bracarensi primo, & secundo, aliisque Sanctorum Patrum statutis*.

VI. Apostolos ea potestate pro suo jure perfunctos in fundandis, & instituendis Ecclesiis nemo, ut opinor, negaverit, quo videtur respexisse *Paulus ad Corinth.* dicens : *Cætera cum venero disponam*; juxta interpretationem *Augustini Epist. 118. ad Januarium*: quamvis pleræque earum Liturgiarum temporis antiquitate perierint, & aliquæ, quæ supersunt quorumdam Apostolorum nomine inscriptæ, spuriæ sint, vel saltem fidei dubiæ. Inter istas eam numeramus, quam Petri nomine insignitam græce, & latine edidit ex Codice manuscripto Cardinalis Sirleti, & notis illustravit Wilhelmus Lindanus. Sufficiens enim nobis præsumptio falsitatis est, quod per mille quingentos, & amplius annos fuerit Scriptoribus Orthodoxis prorsus incognita, totoque eo tempore latuerit, ac tandem emerserit ex Apulia, ubi dicitur Sirletus eam reperisse. Ut quid enim eam sacrificandi formulam, si Petri esset, neglexisset Romana Ecclesia, quæ cæteroquin tam solerti diligentia semper adhæsit institutionibus Petri, ejusque Epistolas inter tot persecutionum procellas tam sollicite custodivit? Ut interim omittam alias conjecturas, quibus illius monumenti fides elevatur. In eadem quoque classe Liturgiarum dubiæ fidei reponimus Liturgias Matthæi, & Marci Evangelistarum nominibus inscriptas, quarum prima dicitur Æthiopum, quibus Matthæus prædicavit, altera Alexandrinorum. De prima enim altum ubique silentium est apud veteres Scriptores; aliam autem, quæ per Sirletum in lucem prodiit ex vetusto Codice Monasterii Rossanensis in Calabria, commemorat, & rejicit Sæculi duodecimi Scriptor *Theodorus Balsamon*, *Responsione prima ad Marcum Patriarcham*, *& ad Can. 32. Concilii Trullani*.

VII. Excipimus tamen ab hac classe Liturgiarum Liturgiam Jacobi Apostoli Hierosolymorum Episcopi, quam genuinam agnoscimus, atque legitimam. Quamvis enim pluribus admotis machinis eam abolere conati sint Hæretici, quorum plures errores in eadem Liturgia jugulantur, quorum objectionibus erudite respondet *Leo Allatius in fimmictis*, attamen sufficientissimum nobis veritatis argumentum est, perpetua Ecclesiæ Græcæ traditio, cui accedunt plurima veterum Scriptorum testimonia affirmantia, hanc traditionem ad ipsos per manus deductam a tempore Apostolorum, & exemplaria in vetustissimis codicibus exarata, unde etiam veteres Patres argumenta sumpserunt ad Catholicæ Fidei dogmata confirmanda, ut præ reliquis videre est in *Trullana Synodo Can. 32.* Hac sacrificandi formula diu usi sunt Græci primis Ecclesiæ sæculis, quando charitas Fidelium non lassabatur prolixa illa precum formula, quibus Jacobi Liturgia compacta est, donec frigescente paulatim charitate *Basilius Magnus hominum socordiam, & in deterius prolapsionem conspicatus* (ut verbis utar Procli,) *ac proinde longinquitate productæ Missæ pertæsos: non quod ipse supervacaneum quicquam, vel nimis longius productum in ea fore arbitraretur, sed ut pariter tum simul orantium, tum audientium ignaviam ex longo illo temporis intervallo præcideret, breviorem recitandam tradidit*. Atque hæc est illa Liturgia, qua Græci certis quibusdam anni diebus utuntur, nempe in die festo ipsius Basilii, in Dominicis Quadragesimæ, excepta Dominica Palmarum, aliisque non ullis anni diebus. Reliquo enim anni tempore utuntur Liturgia Chrysostomi, qui eadem, qua Basilius, ratione ductus, alteri formulæ breviori componendæ manum admovit, plura desumens ex Liturgia Basiliana, multa etiam præcidens, & concisiori pressiorique oratione, ut idem Proclus eius Discipulus, & in throno Successor loquitur, formulam ordinans *ne sensim homines, qui libertatem quamdam, & inertiam, quam maxime complectuntur fallacibus Adversarii rationibus decepti, ab hujusmodi Apostolica hac, & Divina absterriti traditione eam omitterent, quemadmodum hoc ipsum multis, variis sæpe in locis, accidisse ad hunc usque diem deprehendimus*. Ita præcitatus Auctor.

Supereffet hic alias quoque plures minoris nominis Liturgias enarrare, quæ particularibus quibusdam Regionibus Orientalibus in usu sunt, sed quia nimis longum esset ire per singula, ideo brevitatis studio præterimus. Quod etiam attinet ad latinam Liturgiam Occidentalium peculiari oratione narrandum est.

P. FRAN-

P. FRANCISCI ANTONII PHOEBEI

SOCIETATIS JESU

De Liturgia Latina.

DISSERTATIO X.

I. INter Ecclesiasticas Liturgias potissimum locum jure suo sibi vendicat Liturgia Romana, sive spectemus ejus primordia, quæ prodierunt ex Magisterio Apicis Apostolici, ut loquitur *Valfridus Abbas lib. de Rebus Eccl. cap.* 21. sive ejus incrementum, & constantissimam sinceritatem ab omni semper erroris labe penitus impollutam, ut decebat eam esse, quæ propria esset Matris, & Magistræ omnium Ecclesiarum; quicquid in contrarium oblatraverint Hæretici, præsertim contra Canonem Missæ, quos *Tridentinum sess.* 22. *cap.* 4. *& Can.* 6. justissimo anathemate condemnavit. Circa hanc Liturgiam, duo mihi breviter exponenda sunt: primo, quod attinet ad ejus Institutorem: secundo, quod ad incrementum, & propagationem per totam Ecclesiam Occidentalem.

II. Primo igitur constanter asserimus, Missæ Ordinem, quem servat Sacrosancta Romana Ecclesia, saltem quoad præcipuas ejus partes, a Petro Apostolorum Principe processisse: id quod, præter complura Veterum Patrum testimonia, qualia sunt *Isidori lib.* 1. *de Eccl. Off. cap.* 15. *Innocentii I. in Ep. ad Decentium Episcopum Eugubinum*, *Vigilii Papæ in Epist. ad Eucherium* (*Profuturum*), *Clementis lib.* 8. *Innoc. III. in cap. cum Marthæ*, *De celebratione Missæ*, aliorumque plurium, sufficientissime comprobatur antiqua Ecclesiæ traditione ab iisdem Patribus indicata, juncto præsertim, quod ejusdem Ordinis Institutio nullibi legatur ab alio facta subsequente aliquo tempore: est enim celebris Regula, quam tradit *Augustin. lib.* 4. *de Bapt. cap.* 24. referenda esse ad Apostolicam traditionem, quæ ita antiqua sunt in Ecclesia, ut eorum initium, & Auctor ignorentur. Cum autem Petrum nominamus hujus ritus Institutorem, Paulum ejusdem Apostolorum Principis Coapostolum non excludimus, quinimmo censemus, etiam ipsum concordi animo, & eodem Apostolico spiritu, eodem ritu Romanam Ecclesiam informasse, cujus argumentum non leve ex eo etiam desumitur, quod idem ritus perfecte redoleat mentem Apostoli, *prima ad Timoth.* 2. expressam in iis verbis: *Obsecro primum omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, & gratiarum actiones pro omnibus hominibus &c.* quæ verba declarantur a Sanctis Patribus de publicis Orationibus, iis præsertim, quæ nomine totius Ecclesiæ fiunt, dum Missæ Sacrificium offertur, ut videre est apud *Chrysostomum hom.* 6. *Prosperum lib.* 1. *de vocat. gent. cap.* 4. *Ambrosium lib.* 6. *de Sacram. cap. ult.* & præter alios plures distinctius apud *Augustin. Epistol.* 59. *ad Paulin.* ubi quatuor illa, quæ Paulus enumerat, quatuor Missæ partibus accommodat, *& obsecrationes fieri dicit in celebratione Sacramentorum, antequam illud, quod est in Domini mensa incipiat benedici*; *orationes, cum benedicitur, & sanctificatur, & ad distribuendum comminuitur*, quia scilicet tunc fit oblatio, *quam partem* (ait) *fere omnis Ecclesia Dominica Oratione concludit*: unde in reliqua parte, usque ad consumptionem Sacramenti sentit, fieri postulationes, seu interpellationes: Unde subjungit: *Quibus peractis, & participato Sacramento, gratiarum actio cuncta concludit.*

Quod dictum est hactenus de Romano ordine Liturgiæ, intellectum volumus de præcipuis ejus partibus, & inter reliquas de Canone Missæ, cujus institutionem referimus ad Apostolos, quod etiam disertis verbis testantur plures ex Patribus, quos paulo ante citavimus. Idque satis aperte convincunt nonnulla, quæ in eodem Canone reperiuntur,

nti.

uti sunt verba illa, quæ pertinent ad historiam, seu quibus referuntur actiones, & verba, quibus Christus usus est in hoc Mysterio conficiendo, qualia sunt saltem ab illis verbis, *Qui pridie quam pateretur*, usque ad illa, *Hæc quotiescumque feceritis &c.* Omnia enim, & singula ibidem expressa habent æque infallibilem veritatem, etiam ea, quæ cæteroquin non referuntur in Evangelio, ut explicat *Innoc. in cit. cap. cum Marthæ. De celebr. Missar.* unde, cum aliunde non sint recepta ex speciali aliqua revelatione, fit, Ecclesiam ea accepisse ex Apostolica auctoritate, quam etiam perpetua traditio, & universalis Ecclesiæ consensus ostendit, ut sapienter advertit *Suar. Tom. 3. in 3. part. Disp. 83. Sect. 2.*

III. Per hæc tamen non intendimus affirmare totum, & integrum Canonem, quem habemus, ab Apostolis esse: ultro enim concedimus nonnulla addita illi fuisse Auctoritate Summorum Pontificum, saltem usque ad tempora Gregorii Magni, qui legitur addidisse in Canone, verba illa *Diesque nostros in tua pace disponas*. Sicut etiam Leo I. refertur addidisse illa alia verba, *Sanctum Sacrificium, Immaculatam Hostiam;* deinceps enim post Gregorium nullam legimus illi factam additionem. Non sunt igitur audiendi Hæretici, qui ut Canonis auctoritatem elevent, dicunt Auctorem ejus fuisse Scholasticum quemdam, cujus meminit *Greg. in Registro lib. 7. Epist. 63.* dicens: *Valde mihi inconveniens visum est, ut precem, quam Scholasticus composuerat, super oblationem diceremus, & ipsam traditionem, quam Redemptor Noster composuit, super Corpus, & Sanguinem ejus non diceremus.* Audiendi, inquam, non sunt: tum quia non constat, nomine Scholastici significari ibi a Gregorio personam certam, cum idem Gregorius pluribus in locis ea voce utatur ad significandum generatim Virum doctum Ecclesiæ, ut videre est in ejus *Epist. 2. lib. 10. & Epist. 30. lib. 12.* quemadmodum usus etiam fuerat in eadem significatione *August. ad Psal. 44. & Hieron. lib. de Scriptoribus Ecclesiasticis in Serapione*; tum etiam, quia, etiamsi significaretur ibi a Gregorio persona certa, non exinde evincitur, ipsum dedisse primum initium Canoni, aut omnes ejus orationes composuisse, cum constet multas earum antiquissimas esse, & ut tales illas commemoret *Ambros. lib. 4. de Sacram. cap. 4. 5. & 6.* aliique Patres; sed ad summum sequitur Scholasticum illum peculiarem aliquam precem composuisse, eamque fuisse additam Missæ, quod sufficientissimum esse potest ad verificanda verba Gregorii; de qua prece non satis constat qualis fuerit, quia ibi a Gregorio non exprimitur, ideo fortasse, quia res erat illis temporibus notissima, & aliqui putant fuisse Orationes, quæ dicuntur proxime post *Agnus Dei*; alii autem illam *Per quem hæc omnia, Domine, semper bona creas*. Ex simili quoque historiarum, & Scriptorum veterum quoad hoc punctum taciturnitate, non possumus certo discernere ex toto contextu verborum Canonis, quænam sint ex ore Petri, aut alterius Apostoli desumpta, quæ autem a Pontificibus eorum successoribus addita, præter pauca quædam, quæ Leoni, & Gregorio tribuuntur, ut paulo ante notavi: illud tamen extra Controversiam nobis est, totum Canonem consideratum secundum substantiam, Apostolicæ traditionis esse: hoc enim modo Oratio pro universa Ecclesia, pro vivis, & defunctis, & similia ab Apostolis sine dubio desumpta sunt, quamvis circa modum, vel ordinem, vel aliqua etiam verba, credendum sit nonnulla esse addita a posterioribus Pontificibus, ab his præsertim, qui Divinum Officium in meliorem formam redegerunt, unde *Trident. sess. 22. cap. 4. & Can. 6.* docet constare hunc Canonem ex Christi Verbis, Apostolorum traditionibus, & Sanctorum Pontificum piis institutionibus, quod totum etiam asserimus de reliquo ordine Missæ.

IV. Ritus iste liturgicus ab Apostolis primum traditus, & successu temporis Auctoritate Summorum Pontificum aliquantulum auctus, ab Ecclesia Romana constantissime semper servatus est. Quod enim indicare videtur *Abailardus in Epist. Apologetica adversus Sanctum Bernardum*, de diverso ordine aliarum Romæ Ecclesiarum ab ordine Ecclesiæ Lateranensis, ut aliquid veritatis, aut probabilitatis habeat, intelligendum est de Horis Canonicis, quarum ordinem duplicem olim fuisse, unum breviorem, qui dicebatur ad usum Curiæ, alterum prolixiorem, qui proprie vocabatur ritus Romanus, docuit *Radulphus Tungrensis in lib. de Canonum observantia*, & ab antiquis codicibus videtur subindicatum, ut-

unde si *Abailardus* tali fundamento ductus censuit, Ordinem Missæ diversum fuisse in Ecclesia Lateranensi, & in aliis Urbis Ecclesiis, manifesta æquivocatione deceptus est. Sed neque satis fuit Ecclesiæ Romanæ in hoc supremo actu Religionis sibi ipsi esse concordem: summo enim studio conata est, ac tandem feliciter obtinuit, ut idem liturgicus ritus ad reliquas gentes occidentalium partium commearet. Id quod non difficile ipsi fuit in prima Ecclesiarum fundatione, & institutione: constat enim omnes illas Ecclesias filias esse Romanæ Sedis, non solum jure primatus, sed etiam quia a Romana Ecclesia genitæ sunt per Apostolicos viros missos a Petro, vel Successoribus ejus, ut de Ecclesiis Italiæ, Galliarum, Hispaniarum, Africæ, Siciliæ, Insularumque interjacentium constat ex *S. Innoc. I. in Epist. ad Decentium Episcopum Eugubinum*, de Ecclesia Anglorum *ex Gregorio Magno*, qui, misso in eam Insulam Augustino, Gentes illas convertit ad Christum, de Ecclesiis Germaniæ, aliarumque Septentrionalium Regionum ex Epistolis *Gregorii Secundi ad Sanctum Bonifacium*, qui fundato Moguntino Episcopatu, Evangelium in iis Regionibus plurimum propagavit. Dubitandum autem non est, quin Apostolici illi viri a Summis Pontificibus missi, sicut Romana Fide Populos illos imbuerunt, ita etiam Romanis pro Sacrificio ritibus informaverint, quemadmodum Nationes aliquæ Orientales Græcos ritus susceperunt, ex eo quod per aliquem Græcum Antistitem Christiana Fide fuerunt initiati, ut inter reliquas narrat de Moschis *Eminentissimus Bona rerum Liturgicarum lib. 1. cap. 9.*

V. Utcumque tamen res ista feliciter processerit e sententia Romanæ Ecclesiæ in prima fundatione Ecclesiarum, paris tamen facilitatis non extitit, illas in eodem Romano ritu, procedente tempore retinere, aut si ab illo deflexissent, ad primæva instituta revocare. Ut enim varia sunt variarum Nationum ingenia, sensim factum est, ut alii, alique alia mutaverint, ex quo orta rituum diversitas est, idque primum citra omne Fidei periculum, & citra læsionem Religionis, unde factum est, ut eam aliquandiu Romana Ecclesia permiserit, nullo exstante de illis præcepto Christi, vel Apostolorum. Sed cum facile sit, confractis semel pro arbitrio repagulis, justos terminos transilire, paulatim degeneratum fuit in multa prorsus insulsa, & ab Ecclesiastica gravitate aliena, quæ non sine indignatione videre est in codicibus Ritualibus antiquitatis, immo quod pejus est in plura erronea, contra Catholicam Fidem, perversitate, & audacia hæreticorum. Huic malo succidendo sollicite admovit Apostolicam falcem Romana Ecclesia qua Legatis missis ad Principes, qua litteris ad ipsos, & Episcopos datis, ut a Romana Ecclesia tamquam a fonte sincero rursus acciperent illibatam formam Sacrificii. Quod tamen non omnibus Ecclesiis pari facilitate persuasum est: exortæ sunt enim alicubi pro ea re contentiones, & turbæ, pugnantibus pluribus pro patria consuetudine tamquam pro aris, & focis, ut moris esse solet, quando consuetudini fomenta præbet prætextus Religionis. Sed vicit tamdem eorum renitentiam Summorum Pontificum potestas, piorum Episcoporum industria, Regum, ac Principum pietas, & erga Apostolicam Sedem reverentia.

VI. Ut autem in posterum amputaretur omne periculum ad pristinas varietates redeundi, sapientissime instituit Apostolica Sedes Sacram Rituum Congregationem, a qua non solum summa sapientia, & prudentia examinantur officia petita a particularibus Ecclesiis, sed etiam justissimæ Leges sancitæ sunt ad viam abusibus olim irrepentibus præcludendam.

FINIS TOMI SECUNDI.